COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XXXII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. ATHANASIUS.

III.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,
APUD **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,
APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,
APUD **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS;

ROMÆ,
APUD **MERLE**, BIBLIOPOLAM;

PERPINIANO,
APUD **ALZINC**, BIBLIOPOLAM.

TRECIS, E TYPIS CARDON,
VIA VULGO DICTA MOYENNE, N° 2.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES;

BRUXELLIS, APUD EUMDEM;

PARISIIS, ANT. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA CIMETIÈRE-S.-ANDRÉ-DES-ARCS.

M. DCCC. XXX.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLÆ AD SERAPIONEM IV.

EPISTOLA DE SYNODIS.

TOMUS AD ANTIOCHENOS.

EPISTOLA JOVIANI, AD JOVIANUM, ET ALIA FRAGMENTA.

VITA S. ANTONII.

EPISTOLÆ AD ORSISIUM, ETC.

DE INCARNATIONE DEI VERBI, ET ADVERSUS ARIANOS.

EPISTOLA AD AFROS EPISCOPOS.

CONTRA APOLLINARIUM, LIBRI II.

EPISTOLÆ AD DIVERSOS.

LIBER DE TRINITATE ET SPIRITU SANCTO.

SERMO MAJOR DE FIDE.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA I AD SERAPIONEM

THMUITANUM EPISCOPUM,

Contra illos qui blasphemant et dicunt, Spiritum sanctum rem creatam esse.

I. LITTERAS sacræ tuæ caritatis in eremo accepi[1]. Nam tametsi acerba adversum nos persecutio instabat, et multa perquisitio eorum qui necem nobis moliebantur: tamen « Pater misericordiarum et Deus totius consola» tionis[2], » tuis nos litteris est consolatus. Tuæ enim et omnium sincere amicorum benevolentiæ recordatus, illos tunc mecum præsentes videre mihi videbar. Itaque acceptis tuis litteris valde gavisus sum : sed vixdum illas perlegeram, cum rursus vehementer dolere incœpi, eorum pervicacia motus, qui contra veritatem pugnare semel in animum induxerunt. Siquidem tute ipse, dilecte vereque optatissime, non sine dolore mihi significasti,

[1] Vid. D. Guillon, t. v, p. 237-238. — [2] 2 Cor. 1, 3.

quosdam impiam Arianorum in Dei Filium hæresin detestantes, ab illis quidem discessise, sed eosdem de Spiritu sancto prave sentire, contendereque, illum non tantum rem creatam, sed etiam unum ex administris spiritibus esse, soloque gradu ab Angelis differre[1]. Et hæc simulata quidem pugna cum Arianis, sed vera est cum pia fide certatio. Nam ut illi Filium negantes, negant et Patrem : ita et isti indigna de Spiritu sancto loquentes, indigna quoque de Filio loquantur necesse est. Ita ambæ illæ sectæ bellum veritati indictum divisere, ut illi contra Filium, et isti contra Spiritum sanctum perversa sentientes, ejusdem in sanctam Trinitatem blasphemiæ simul rei sint. Cum igitur hæc perspicerem multaque mecum cogitarem, in gravem incidi luctum, quod iterum Diabolus ludificandi ansam apud illos nactus esset, qui ejus insaniam et furorem imitari nihil verentur. Hinc ego hoc temporis silere decreveram. Verumtamen cum ut tuæ Sanctitatis cohortationi cederem, tum ut pravam illorum opinionem et satanicam audaciam propulsarem, vix tandem paucis hanc potui scribere epistolam, ut tu occasione inde accepta, pro tua qua polles prudentia, ea quæ desunt suppleas, atque adeo plene refellatur impia hæresis.

II. Itaque Arianorum quidem nequaquam aliena est hujusmodi sententia. Postquam enim semel Dei Verbum negare ausi sunt, merito eadem de ejus Spiritu impie mentiuntur. Quocirca nec plura adversus illos dicere necesse est, sed satis esse debent quæ antea contra ipsos dicta sunt. Quod autem ad illos spectat, qui falsa de Spiritu sancto errantes opinantur, ipsis quodam modo sive tropo, ut iidem loquuntur, convenit respondere. Mira enim profecto videatur ipsorum amentia, quod scilicet ii qui Fi-

[1] Hebr. 1, 14.

lium Dei rem creatam esse nolunt, (qua quidem in re recte sentiunt) Spiritum Filii rem creatam esse vel etiam audire patiantur. Si enim propter Verbi cum Patre unitatem nolunt Filium esse e rebus factis : sed, quod quidem verum est, ipsum rerum factarum opificem esse sentiunt ; quare Spiritum sanctum, qui eamdem habet cum Filio unitatem quam Filius cum Patre, rem creatam esse audent dicere? Cur ignorant quod quemadmodum Filium a Patre non dividendo, Dei unitatem servant, ita dividendo Spiritum a Verbo, non amplius unam in Trinitate servant divinitatem, quam nempe diffindunt, et cui alienam ac diversam naturam admiscent, quam denique inter res creatas collocant? Id sane probat non jam rem unam esse Trinitatem, sed ipsam ex duabus ac diversis naturis constare, ob diversam videlicet Spiritus substantiam, quam illi sibi ipsis commenti sunt. Quænam ergo ista tandem est theologia ex creatore et re creata conflata? Vel enim non est Trinitas sed dualitas, ac deinde res creata : vel si Trinitas est, uti vere est : quomodo cum rebus creatis quæ post Trinitatem existunt, Trinitatis Spiritum audent collocare? Id enim rursus est dividere ac dissolvere Trinitatem. Itaque si male de Spiritu sancto sentiant, bene de Filio sentire non queunt. Nam si recte de Verbo sentirent, recte quoque de Spiritu sancto qui a Patre procedit sentirent, qui cum Filii sit proprius, ab illo Discipulis omnibusque in eum credentibus datur. Quin etiam qui in hujusmodi errore versantur, neque in Patrem sanam fidem habere possint. Nam qui Spiritui resistunt, uti insignis martyr Stephanus dixit, iidem et Filium negant[1]. Filium autem negantes, neque Patrem profecto habuerint[2].

III. Undenam ergo tantæ vobis temeritatis causa, ut

[1] Act. VII, 51. — [2] I Joan. II, 23.

nec illud a Salvatore dictum vereamini, « Qui blasphe-
» maverit in Spiritum sanctum, non habebit remissio-
» nem neque in hoc sæculo neque in futuro[1] ? » Ariani quidem etsi corpoream Verbi præsentiam, et quæ ejus causa dicta sunt non intelligerent, ex his tamen occasionem suæ comminiscendæ hæresis improbissime nacti, Dei hostes esse et vere de terra inania loqui convicti sunt. Vos vero undenam, quæso, in errorem inducti estis[2] ? Quis vos ita docuit, vel quis tandem modus vestri erroris ? Legimus, inquiunt, in Propheta Amos hæc Dei verba : « Quia ecce ego firmans tonitru, et creans spiritum et an-
» nuncians ad homines Christum ejus, faciens diluculum
» et nebulam, et gradiens super excelsa terræ, Dominus
» Deus omnipotens, nomen ipsi[3]. » Inde adducti fuimus ut Arianis qui spiritum Sanctum rem creatam esse docent assentiremur. An ergo quod apud Amos extat legistis : quod autem in Proverbiis dicitur, « Dominus creavit me
» initium viarum suarum in opera sua[4], » an legistis nec ne ? Ergone istud Proverbiorum ex veritate interpretamini, ne videlicet Verbum rem creatam dicatis : illud autem Prophetæ nulla interpretatione explicatis sed voce « spiritus » tantummodo audita, Spiritum sanctum rem creatam dici existimatis ? Atqui in Proverbiis Sapientia aperte dicit, « creavit me. » Verumtamen recte vos dictum illud ita excipitis, ut non creatricem Sapientiam rebus creatis annumeretis. Sic igitur vox illa Prophetæ non Spiritum sanctum denotat, sed tantum de spiritu dicitur. Cum ergo multa sit in Scripturis spirituum differentia, rectumque sensum habere possit iste Scripturæ locus, cur vos velut litigiosi aut serpentis Ariani morsu ulcerati, de Spiritu sancto prophetam Amos loqui arbi-

1 Marc. III, 29; Matth. XII, 32. — 2 Joan III, 31. — 3 Amos. IV, 13. — 4 Prov. VIII, 22.

tramini, ne scilicet credere desistatis Spiritum sanctum rem creatam esse ?

IV. Dicite, amabo, an in aliquo divinæ Scripturæ loco Spiritum sanctum simpliciter spiritum dici reperiatis, sine addita voce vel Dei , vel Patris, vel mei , vel ipsius Christi et Filii , vel a me , quod est, a Deo, vel nisi cum articulo , ita ut non spiritus solum dicatur , sed vel ille Spiritus, vel Spiritus sanctus, vel Paraclitus , vel veritatis, id est , Filii dicentis scilicet, « Ego sum veritas[1] ; » ut vos nuda voce « spiritus » audita, sanctum Spiritum esse suspicaremini ? Ex hac tamen regula eos velim excipi, qui cum Spiritum sanctum jam accepissent, de iisdem fit postea iterum mentio, vel qui cum prius quid de Spiritu sancto credendum sit didicerint , deinde repetitionis et commonitionis ergo mera voce « Spiritus » prolata , quis ille intelligendus sit non ignorant, maxime quia sic etiam cum articulo exprimatur. Denique sine articulo vel prædicto additamento nunquam Spiritum sanctum significari inveneritis. Hujusmodi sunt ea quæ Paulus ad Galatas scribit : « Hoc solum a vobis volo discere : Ex ope» ribus legis Spiritum accepistis , an ex auditu fidei[2]? » Quem vero alium acceperant quam Spiritum sanctum qui credentibus et per regenerationis lavacrum renascentibus datur ? Ad Thessalonicenses autem scribit · « Spiritum no» lite extinguere[3]. » Nempe eos qui utique noverant quem acceperant Spiritum, admonebat , ne accensam in ipsis Spiritus gratiam ex negligentia extinguerent. Quod si Evangelistæ in Evangeliis de Salvatore humano more , propter carnem ab eo assumptam hæc habent : « Jesus au» tem plenus Spiritu egressus a Jordane[4] ; » et , « Tunc » Jesus ductus est in desertum a Spiritu[5] ; » idem quo-

[1] Joan. XIV, 6. — [2] Galat. III, 2. — [3] 1 Thess. V, 19. — [4] Luc. IV, 1. — [5] Matth. IV, 1.

que sensus hic observandus est. Siquidem prius a Luca dictum fuerat : « Factum est autem cum baptizaretur om- » nis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est » cœlum : et descendit Spiritus sanctus corporali specie » sicut columba in ipsum[1]. » Quocirca patet ipsum Spiritum sanctum, Spiritus vocabulo illic significari. Similiter apud quos est Spiritus sanctus, licet sine additamento Spiritus tantum dicatur; non dubitandum tamen est quin Spiritus sanctus denotetur, præsertim si adsit articulus.

V. Vos autem ostendite, quod vobis proposuimus, si nempe alicubi in Scriptura divina Spiritum sanctum invenistis tantummodo Spiritum appellari sine prædicto additamento et observatione cujus meminimus. Id certe nunquam præstare potueritis. Siquidem nunquam ita scriptum vobis occurret. Sed contra in Genesi scriptum est : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas[2], » Et paulopost : « Non permanebit Spiritus meus in hominibus » his, quia carnes sunt[3]. » Et in Numeris dicit Moyses ad filium Nave : « Ne mihi æmuleris. Quis tribuerit Po- » pulum Domini esse Prophetas, cum dederit Dominus » Spiritum suum super eos[4]? » Et in Judicum libris, de Othoniel dicitur : « Et factus est super eum Spi- » ritus Domini, et judicavit Israël[5]. *Et* factus est super » Jephte Spiritus Domini[6]. » Et de Samsone : « Cre- » vit[7], » inquit, « puer, et benedixit ei Dominus, cœ- » pitque Spiritus Domini ire cum illo[8]. *Et*, Irruit in » eum Spiritus Domini[9]. » David item psallit : « Spiri- » tum sanctum tuum ne auferas a me. » Et rursus in Psalmo centesimo quadragesimo secundo : « Spiritus

[1] Luc. III, 21. — [2] Gen. I, 2. — [3] Gen. VI, 3. — [4] Num. XI, 29. — [5] Jud. III, 10. — [6] Judic. XI, 29. — [7] Judic. XIII, 24 et 25. — [8] Ibid. XV, 14. — [9] Psal. L, 13.

» tuus bonus deducet me in terram rectam, propter » nomen tuum, Domine, vivificabis me[1]. » In Esaïa quoque scriptum legimus : « Spiritus Domini super me, » propterea unxit me[2]. » Ante quæ verba dictum erat : « Væ filii desertores. Hæc dicit Dominus : Fecistis con» silium non per me : et pacta, sed non per Spiritum » meum, ad peccata peccatis addenda[3]. » Et iterum. « Audite hæc : Non a principio in abscondito locutus » sum. Cum fieret, illic eram : et nunc Dominus misit » me, et Spiritus ejus[4]. » Deinde paucis interjectis addit : « Hoc fœdus meum cum ipsis, dixit Dominus; » Spiritus meus, qui est in te[5]. » Et in his quæ sequuntur, rursus ait : « Non legatus, nec Angelus, sed ipse » Dominus servavit eos, quia illos diligebat et ipsis par» cebat; ipse redemit eos et assumpsit eos, et elevavit » eos cunctis diebus sæculi. Ipsi vero repugnaverunt et » ad iracundiam provocaverunt Spiritum sanctum ejus, » et conversum est eis in inimicitiam[6]. » Hæc sunt etiam Ezechelis verba : « Et levavit me Spiritus adduxit» que in terram Chaldæorum, in captivitatem, in vi» sione, in Spiritu Dei[7]. » Et apud Danielem : « Susci» tavit Deus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus » nomen Daniel : et exclamavit voce magna : Mundus » ego sum a sanguine hujus[8]. » Michæas item dicit : « Domus Jacob irritavit Spiritum Domini[9]. » Et per Joëlem Deus dicit : « Et erit post ea : effundam de Spi» ritu meo super omnem carnem[10]. » Per Zachariam similiter ita loquitur Deus : « Verumtamen verba mea et » legitima mea suscipite, quæcumque ego præcipio in » Spiritu meo servis meis Prophetis[11], » Cum item Pro-

[1] Psal. CXLII, 10. — [2] Isai. LXI, 1. — [3] Isai. XXX, 1. — [4] Ib. XLVIII, 16. — [5] Ib. LIX, 21. — [6] Ib. LXIII, 9. — [7] Ezech. XI, 24. — [8] Dan. XIII, 45. — [9] Mich. II, 7. — [10] Joel II, 28. — [11] Zach. I, 6.

pheta populum increparet, paulopost ait : « Et cor » suum obstinatum constituerunt, ne audirent legem » meam, et verba quæ misit Dominus omnipotens in » Spiritu suo per manum Prophetarum priorum[1]. » Hæc pauca ex vetere Testamento collegimus.

VI. Jam vos Evangelia et quæ Apostoli conscripserunt, si lubet, consulite, atque illic etiam audituri estis, cum plurima sit spirituum differentia, speciatim tamen Spiritum sanctum non simpliciter Spiritum, sed cum memorato additamento nominari. Itaque cum Dominus, ut supra dixi, humanitus baptizaretur, propter assumptam carnem, dicitur super eum descendisse Spiritus sanctus : quem ipse cum discipulis daret dicebat[2] : « Accipite Spiritum sanctum[3]. » Eos item docebat, « Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine » meo, ille vos docebit omnia[4]. » Et post pauca de eodem subjicit ; « Cum venerit Paraclitus quem ego » mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a » Patre procedit, illi testimonium perhibebit de me[5]. » Et iterum : « Non enim vos estis, qui loquimini, sed » Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis[6]. » Et paulopost : « Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmo- » nia, igitur pervenit in vos regnum Dei[7]. » Universam item theologiam nostrique initiationem, in qua scilicet nos sibi ipsi et per seipsum Patri conjunxit, in eodem complens, Discipulis hæc præcipiebat : « Euntes docete » omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et » Filii et Spiritus sancti[8]. » Præterea cum se illis eum missurum promisit, « præcepit ab Jerosolymis ne disce- » derent[9], » ac paucis diebus interjectis, « cum comple-

[1] Zach. vii, 12. — [2] Joan. i, 32. — [3] Ib. xx, 22. — [4] Ibid. xiv, 26. — [5] Ib. xv, 26. — [6] Matth. x, 20. — [7] Luc. xi, 20. — [8] Matth. xxviii, 19. — [9] Act. i, 4.

» retur dies Pentescostes, erant omnes pariter in eodem » loco : et factus est repente de cœlo sonus tanquam ad- » venientis spiritus vehementis, et replevit totam do- » mum, ubi erant sedentes : et apparuerunt illis disper- « titæ linguæ tanquam ignis, sederuntque supra singulos » eorum : et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœ- » perunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus » dabat eloqui illis[1]. » Hinc postea impositione manuum Apostolorum Spiritus sanctus renascentibus dabatur. Quidam insuper Agabus in eodem vaticinatus est, aiens : « Hæc dicit Spiritus sanctus[2]. » Et Paulus : « In quo vos » Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam » Dei, quam acquisivit proprio sanguine[3]. » Et Eunucho baptizato, « Spiritus Domini rapuit Philippum[4]. » Scripsit quoque Petrus : « Reportantes finem Fidei salutem » animarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati » sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia propheta- » verunt, scrutantes in quod vel quale tempus significa- » retur in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in » Christo sunt passiones et posteriores glorias[5]. » Joannes item scribit : « In hoc cognoscimus quoniam in eo ma- » nemus, et ipse in nobis : quoniam de Spiritu suo dedit » nobis[6]. » Paulus similiter hæc ad Romanos scribit : « Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu : si » tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem » Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem » Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est » propter peccatum, spiritus vero vita est propter justi- » tiam. Quod si Spiritus ejus qui suscitat Christum Je- » sum a mortuis, habitat in vobis : qui suscitavit Jesum » Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora

[1] Act. II, 1. — [2] Ib. XXI, 11. — [3] Ib. XX, 28. — [4] Ib. VIII, 39. — [5] 1 Pet. I, 9. — [6] 1 Joan. IV, 13.

» vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis[1]. » Et ad Corinthios : « Spiritus enim omnia scrutatur, » etiam profunda Dei. Quis enim scit quæ sunt hominis » nisi Spiritus hominis qui in ipso est? ita et quæ Dei » sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem » non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui » ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt no- » bis[2]. » Et post pauca : « Nescitis quia templum Dei » estis, et Spiritus Dei habitabat in vobis[3]. *Et :* Sed » abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis » in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu » Dei nostri[4]. » Et rursus : « Hæc autem omnia operatur » unus et idem Spiritus, dividens proprie singulis, » prout vult[5]. *Et*, Dominus autem Spiritus est, ubi » autem Spiritus Domini, ibi libertas[6]. » Vide etiam quomodo ad Galatas his verbis scribat : « Ut benedictio » Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spi- » ritus accipiamus per fidem[7]. » Et iterum : « Quoniam » autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda » vestra clamantem : Abba, Pater. Itaque jam non es ser- » vus, sed filius, quod si filius et hæres Dei per Christum[8].» Hæc quoque ejus sunt ad Ephesios verba : «Et nolite con- » tristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in » diem redemptionis[9]. » Et rursus : « Solliciti servare » unitatem Spiritus in vinculo pacis[10]. » Ad Philippenses vero hæc confidentissime scribit : « Quid enim ? dum » omni modo sive per occasionem, sive per veritatem » Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gau- » debo. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, » per vestram orationem et subministrationem Spiritus

[1] Rom. VIII, 9. — [2] I Cor. II, 11. — [3] Ibid. III, 16. — [4] Ibid. VI, 11. — [5] Ibid. XII, 11. — [6] Ibid. III, 17. — [7] Galat. III, 14. — [8] Ibid. IV, 6. — [9] Ephes. IV, 30. — [10] Ibid. 3.

» Jesu Christi, secundum expectationem et spem meam, » quia in nullo confundar[1]. » *Et*, Nos enim sumus cir- » cumcisio, qui Spiritui Dei servimus et gloriamur in » Christo Jesu[2]. » Et ad Thessalonicenses : « Itaque qui » spernit, non hominem spernit, sed Deum qui dat » Spiritum sanctum suum in vobis[3]. » Hæc item ad Hebræos scribit : « Hoc significante Spiritu sancto nondum » propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore ta- » bernaculo habente statum[4]. » Et rursus : « Quanto, » putatis, deteriori afficietur supplicio, qui Filium Dei » conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum du- » xerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ con- » tumeliam fecerit[5]? » Et iterum : « Si enim sanguis » taurorum et hircorum, et cinis vitulæ aspersus, ini- » quinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto » magis sanguis Christi, qui per Spiritum sempiternum, » semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit » conscientiam nostram ab operibus mortuis[6]? » Et ad Thessalonicenses : « Et tunc revelabitur ille iniquus, » quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, et » destruet adventu præsentiæ suæ[7]. »

VII. Ecce quo pacto Spiritus sanctus per omnes divinæ Scripturæ paginas indicatur. Quid ergo vos his simile in Propheta animadvertistis? Nec enim vel etiam articulum adjunctum habet « spiritus » de quo ille loquitur, ut saltem aliqua vobis ratio subesset. Vos vero perperam vobis ipsis tropos fingere audetis, nec veremini asserere, « spiritum, » qui creari dicitur, ipsum esse Spiritum sanctum, quamvis a peritis viris spirituum differentiam vobis discere liceret. Nam et ipsius quoque hominis spiritus dicitur, uti canit David :

[1] Philip. I, 18. — [2] Ibid. III, 3. — [3] I Thess. IV, 8. — [4] Hebr. IX, 8. — [5] Ibid. X, 29. — [6] Ibid. IX, 13. — [7] 2 Thess. II, 8.

« Nocte cum corde meo meditabar, et tristis erat spiri-
» tus meus[1]. » Baruch item his verbis precatur : « Anima
» in angustiis et spiritus anxius clamat ad te[2]. » Et in hymno trium puerorum : « Benedicite spiritus et animæ
» justorum Domino[3]. » Ita etiam scribit Apostolus : « Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes[4]. » Et rursus. « Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui
» in ipso est[5]. » Et Epistola ad Thessalonicenses hæc precatur : « Integer spiritus vester et anima et corpus sine
» querela in adventu Domini nostri Jesu Christi serve-
» tur[6]. » Dicitur etiam ventorum spiritus sicuti in Genesi scriptum est : « Et adduxit Deus spiritum super
» terram, et imminutæ sunt aquæ[7]. » De Jona item : « Et excitavit Dominus spiritum in mare, et facta est
» tempestas magna in mari, et navis periclitabatur
» conteri[8]. » Et in centesimo sexto Psalmo : « Dixit et
» venit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus[9]. » Et in centesimo quadragesimo octavo Psalmo : « Laudate
» Dominum de terra, dracones et omnes abyssi, ignis,
» grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ fa-
» ciunt Verbum ejus[10]. » Et apud Ezechielem, in lamento Tyri : « In corde maris, in aquis multis adduxe-
» runt te remiges tui : spiritus austri contrivit te [11]. »

VIII. Quin etiam si vobis sanctas Litteras legere lubeat, ipsum divinorum verborum sensum, spiritum quoque appellari reperietis. Sic enim Paulus scribit : « Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti,
» non litteræ, sed spiritus. Littera enim occidit, spiri-
» tus autem vivificat[12]. » Siquidem dictum, littera exa-

[1] Psal. LXXVI, 7. — [2] Baruch. III, 1. — [3] Dan. III, 26. — [4] Rom. VIII, 16. — [5] 1 Cor. II, 11. — [6] 1 Thess. V, 23. — [7] Gen. II, 1. — [8] Joan. I, 4. — [9] Psal. CVI, 25. — [10] Psal. CXVIII, 8. — [11] Ezech. XXVII, 25. — [12] 2 Cor. III, 6.

ratum est : sensus vero quem continet, spiritus dicitur. Ita et « lex spiritualis est[1], » ut, quemadmodum idem dixit, non serviamus in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus. Idem quoque gratias agens dicebat; « Igitur » ego ipse mente servio lege Dei : carne autem, legi » peccati. Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt » in Christo Jesu. Lex enim spiritus vitæ in Christo » Jesu liberavit me a lege peccati[2]. » Philippus etiam Eunuchum a littera ad spiritum convertere volens aiebat : « Intelligis quæ legis[3]? » Talem quoque spiritum Caleb habuisse ex Numeris constat, Deo dicente : « Servus meus Caleb, quia factus est alius spiritus in eo, » et secutus est me, inducam ipsum in terram in quam » illic ingressus est[4]. » Nempe quia ille alia ab illis mente locutus sit, Deo fuit acceptus. Tale item cor populum habere jussit Deus per Ezechielem : « Facite vobis cor » novum et spiritum novum[5]. » Quæ cum ita sint, et tanta sit, ut ostendimus, spirituum differentia : æquius profecto ageretis, si, ubi de creato spiritu mentio facta fuerit, id de aliquo prædictorum spirituum intelligeretis. Hujusmodi ille est de quo apud Esaïam legitur : « Consensit Aram cum Ephraïm, et obstupuit anima « ejus, et anima populi ejus, quemadmodum in silva » arbor a spiritu concutitur.[6] » Idem item his verbis indicatur : « Excitavit Dominus spiritum in mare[7], » propter Jonam. Tonitru siquidem sequuntur spiritus ventorum, uti contigit in pluvia quæ contra Achab cecidit, quemadmodum scriptum est : « Et factus est usque » huc et usque huc, et cœli obscurati sunt nubibus et » spiritu[8]. »

[1] Rom. VII, 14, 6. — [2] Ibid. vers. 25, et c. VIII, 1, 2. — [3] Act. VIII, 30. — [4] Num. XIV, 24. — [5] Ezech. XVIII, 31. — [6] Isai. VII, 2. — [7] Joan. I, 4. — 3 Reg. XVIII, 45.

IX. Verum quia Christi, inquiunt, meminit Scriptura : hinc fit ut spiritus de quo hic est quæstio, nullus alius intelligendus sit præter Spiritum sanctum. Itane ergo Spiritum sanctum una quidem cum Christo nominari attendistis ? at ubinam illum natura a Filio dividi et separari intellexistis, qui Christum quidem rem creatam non esse, sed Spiritum sanctum rem creatam esse audetis dicere ? Absurdum sane fuerit ea quæ natura dissimilia sunt simul nominare, eademque gloria celebrare. Quæ enim communio vel quæ similitudo rei creatæ cum creatore? Profecto si ita est, nihil aliud superest quam ut Filio res quas ipse creavit annumeretis et conjungatis. Itaque satis quidem esse videbatur quod apud Prophetam scriptum est, de spiritu ventorum, ut jam dictum est, intelligere. Verum quandoquidem factam ibidem de Christo mentionem objicitis, accurate res est nobis explicanda, si forte quid melius de illo spiritu, qui creari dicitur, ostendere possimus[1]. Quid est igitur annunciare inter homines Christum ejus, quam ipsum hominem fieri, idemque esse ac illud : « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, » et vocabunt nomen ejus Emmanuël[2], » et alia quæ de ejus adventu scripta sunt ? Cum igitur eo loci Verbi in carnem adventus annuntietur, qualem creatum spiritum intelligere debemus, præter hominum spiritum qui reficitur et renovatur, quemadmodum Deus per Ezechielem pollicitus est, dicens : « Et dabo vobis cor novum, et » spiritum novum dabo vobis : et auferam cor lapideum » de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et Spiri» tum meum dabo in vobis[3]. » Quando ergo id impletum est, nisi cum advenit Dominus, et sua gratia omnia renovavit ? Porro hoc etiam in loco spirituum differentia ostenditur. Nam Spiritus noster, is est qui renovatur :

[1] Amos. IV, 13. — [2] Isai. VII, 14. — [3] Ezech. XXXVI, 26.

sed Spiritum sanctum, non simpliciter spiritum, sed suum esse spiritum Deus declarat, in quo scilicet spiritu noster renovatur, uti Psalmista Psalmo centesimo tertio luculenter docet : « Auferes spiritum eorum et deficient, » et in pulverem suum revertentur. Emittes Spiritum » tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ[1]. » Quod si in Spiritu Dei renovamur : non ergo Spiritus sanctus, is est qui creari dicitur, sed noster spiritus. Si item quia omnia per Verbum facta sunt, recte sentitis Filium non esse rem creatam : an non itidem impium est vos Spiritum sanctum, in quo Pater per Verbum omnia perficit et renovat, contendere rem esse creatam? Si igitur quod simpliciter scriptum sit spiritum creari, illum idcirco Spiritum sanctum esse sibi ipsis finxere : jam persuasum illis esse debet, non Spiritum sanctum, illum esse qui creatur, sed nostrum esse qui in eo renovatur ; qua de re et ipse David hoc modo precabatur : « Cor mun» dum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in » visceribus meis[2]. » Etenim hoc in loco spiritum creare dicitur, quem antea finxerat, ut ait Zacharias : « Ex» tendens cœlum, et fundans terram et fingens spiritum » hominis in ipso[3]. » Quem enim antea finxerat, eumdem postea lapsum denuo creavit, factus ipse in re creata, nempe cum Verbum caro factum est, *ut,* quemadmodum Apostolus ait, « Duos condat in unum novum hominem, » qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate » veritatis[4]. » Id enim non dixit tanquam creatus sit alius ab illo homine qui initio ad imaginem factus fuit, sed ad creatam et renovatam in Christo mentem suscipiendam fideles hortabatur, quod idem his verbis præstat Ezechiel : « Facite vobis cor novum et spiritum novum : et quare

[1] Psal. cv, 19. — [2] Psal. L, 12. — [3] Zach. xii, 1. — [4] Ephes, ii, 15 ; Ibid. iv, 24.

» morimini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, » dicit Adonaï Dominus.[1] »

X. Cum igitur ita sentiendum sit de illo spiritu qui creatur, congruenter quoque intelligi potest tonitru, quod firmari ibidem dicitur, fidelis sermo et immobilis lex spiritus : cujus cum Jacobum et Joannem ministros esse vellet Dominus, illos Boanerges nominavit, quod est, filii tonitrui[2]. Hinc Joannes vere e cœlis clamat : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum[3]. » Lex quippe prius umbram futurorum bonorum habuit. Cum autem Christus hominibus annuntiatus est; et ipse adfuit dicens, « Ipse » qui loquor adsum, tunc[4], » ut dixit Paulus, « ejus vox » terram concussit, cum id prius pollicitus esset[5] : Adhuc » semel ego movebo non solum terram, sed et cœlum. » Quod autem adhuc semel dicit : declarat mobilium » translationem, ut maneant ea quæ sunt immobilia. » Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gra- » tiam, per quam servimus placentes Deo[6]. » Quod autem hic immobile regnum dicit, idem firmatum canit David : « Dominus regnavit, decorem induit, induit Do- » minus fortitudinem et ea præcinxit se. Etenim firma- » vit orbem terræ, qui non commovebitur[7]. » Itaque quod a Propheta dictum est, Salvatoris adventum significat, in quo et nos renovati sumus, et lex spiritus immobilis perseverat. Sed illi vere Tropici seu versatiles fœdere cum Arianis inito, ac inter se impietate adversus Divinitatem divisa, ut videlicet illi Filium, ipsi Spiritum rem creatam esse pugnent, tropos, ut iidem loquuntur, effingere, atque illud etiam quod recte ad Timotheum scripsit Apostolus, male interpretari ausi sunt. « Testor, »

[1] Ezech. XVIII, 31. — [2] Marc. III, 17. — [3] Joan. I, 1. — [4] Joan. IV, 26. — [5] Hebr. XII, 26. — [6] Agg. II, 7. — [7] Psal. XCII, 1.

inquit Paulus, « coram Deo et Christo Jesu, et electis » angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil fa» ciens ex invitatione[1]. » Ex quibus illi concludunt, quod cum Deum et Christum nominaverit, deindeque angelos, necesse est Spiritum inter angelos annumerari, eumque ex illorum esse ordine, atque angelum aliis majorem esse. Primo, hoc impii Valentini inventum est, neque latet ipsos eadem ac illum loqui. Ille siquidem dixit, quod misso Paraclito, una cum illo coævi ejus angeli missi fuerint. Deinde, dum Spiritum ad angelorum naturam deducunt, non advertunt se angelos in Trinitate collocare. Nam si secundum illos post Patrem et Filium sequuntur angeli : certe e Trinitate sunt angeli, nec jam sunt « administratores spiritus in ministerium missi[2], » nec ipsi sancti efficiuntur, sed potius alios sanctos efficiunt.

XI. Quænam tandem hæc tam absurda illorum dementia est? Quo in loco rursus Scripturæ sacræ invenerunt Spiritum angelum dici? Eadem enim quæ jam dixi, mihi repetere necesse est. Paraclitus dictus est et spiritus adoptionis, spiritus sanctimoniæ, et Christi spiritus. At nunquam vel angelus aut archangelus, aut spiritus ministerii quales sunt angeli, appellatus est. Quin immo eidem et Filio ministrat Gabriël cum Mariæ ait : « Spiritus » sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbra» bit tibi[3]. » Cum igitur Scripturæ Spiritum angelum non appellent, quid excusationis habere possint in tanta tamque absurda temeritate, maxime cum ipse Valentinus qui impiam hanc mentem illis inseruit, illum quidem, Paraclitum, hos vero, Angelos nominaverit, licet idem stultissimus Spiritum angelis coætaneum eodemque duntaxat tempore ac illos extitisse senserit. Sed ecce, in-

[1] 1 Tim. v, 21. [2] — Hebr. 1, 14. — [3] Luc. 1, 35.

quiunt, apud Prophetam Zachariam scriptum est : « Hæc » dicit angelus qui loquitur in me[1]. » Atqui perspicuum est hic spiritus nomine angelum in ipso loquentem significari. Verum id minime dicerent, si quod legunt vellent attendere. Nam Zacharias in candelabri visione, ait : « Et respondit angelus qui loquebatur in me, et dixit : » Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi : Non Domine. » Et respondit, et ait ad me, dicens : Hoc est verbum » Domini ad Zorobabel, dicens : Non in virtute magna, » nec in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus om- » nipotens[2]. » Ex quibus liquet angelum qui Prophetæ loquebatur non fuisse Spiritum sanctum, sed illum quidem esse Angelum, hunc autem esse Spiritum Dei omnipotentis, cui et Angelus ministrat, quique a divinitate dividi nequit, ac Verbi proprius est. Quod si Apostoli verba nobis opposuerint, qui scilicet post Christum, electos angelos nominavit ; dicant quinam ex illis omnibus Trinitati adjungendus sit? Nec enim omnes unus sunt numero. Aut quis illorum in columbæ specie in Jordanem descendit? Nam millia millium et decies millies dena millia ministrant ei[3]. Vel quare cœlis apertis non dictum est, Et descendit aliquis ex electis angelis, sed, Spiritus sanctus? Vel quare ipse Dominus de fine temporum cum Discipulis disserens, distincte ait : « Mittet filius hominis » angelos suos[4]. » Item et antea dictum fuerat : « Angeli » ministrabant ei[5]. » Iterum quoque dixit : « Exibunt » Angeli[6]. » Cum vero Discipulis sanctum Spiritum daret, ait : « Accipite Spiritum sanctum[7]. » Rursus et cum eos- » dem ad prædicandum misit : « Euntes, « inquit, » do- » cete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et » Filii et Spiritus sancti[8]. » Nec enim Angelum cum di-

[1] Zach. IV. — [2] Ibid v. — [3] Dan. VII, 10. — [4] Matth. XIII. 41. — [5] Ib, IV, 11. — [6] Ibid. XIII, 49. — [7] Joan. XX, 22. — [8] Matth. XXVIII, 19.

vinitate copulavit, neque nos sibi ipsi et Patri in re creata conjunxit, sed in Spiritu sancto, quem cum promitteret, non ait se Angelum mittere, sed « Spiritum veri» tatis qui a Patre procedit[1], » qui idem ex ipso accipit et datur.

XII. Moyses quoque qui Angelos quidem res creatas esse, Spiritum autem sanctum Filio et Patri conjunctum noverat, Deo ipsi dicente : « Vade, ascende de loco isto tu et » populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti in ter» ram, quam juravi Abraham, Isaac et Jacob dicens : » semini vestro dabo eam : et mittam ante faciem » tuam Angelum meum, et ejiciet Chananæum[2]; » id recusavit, ita respondens : « Nisi ipse proficiscaris nobis» cum, ne me ex isto loco educas[3]. » Nolebat nempe populum a re creata duci, ne rei creatæ potius quam Deo omnium creatori servire discerent. Certe idem ille qui angelum ducem habere renuerat, Deum ipsum ut sui dux esset rogavit. Quod cum Deus pollicitus ipsi responderit : « Et istud verbum tuum, quod locutus es faciam : » invenisti enim gratiam coram me, et novi te præ om» nibus[4] : » Cum item inde in Isaia scriptum legamus : « Qui e terra eduxit pastorem ovium : ubi est qui posuit » in ipsis Spiritum sanctum, qui Moysem dextera dedu» xit[5] : » Et paulopost : « Descendit Spiritus a Domino » et ductor illorum fuit. Sic duxisti populum tuum, ut » faceres tibi nomen gloriæ[6] : » quis ex his veritatem non perspicit? Nam cum Deus se ducem populi fore esset pollicitus, ecce non jam angelum, sed suum Spiritum, qui Angelis superior est, ductorem populi se missurum promittit. Quare patet Spiritum non ex rebus creatis neque Angelum esse, sed rebus omnibus creatis superiorem et

[1] Joan. xv, 26; Ibid. xvi, 14. — [2] Exod. xxxiii, 1. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 17. — [5] Isai. lxiii, 11. — [6] Ibid. 14.

Patris divinitati conjunctum esse. Namque ipse Deus per Verbum in Spiritu populum ducebat; unde per totam Scripturam testatur : « Ego eduxi vos de terra Ægypti : » testes vos estis, si Deus alienus erat in vobis præter me[1].» Sancti quoque ita Deo loquuntur : « Deduxisti sicut oves » populum tuum[2]. » Et « Deduxit eos Dominus in spe, » et non timuerunt[3].» Huic eidem hymnum offerunt qui aiunt : « Qui traduxit populum suum per desertum, quo» niam in sæculum misericordia ejus[4]. » Magnus vero Moyses identidem repetit : « Dominus Deus qui præit » ante faciem vestram[5]. » Itaque Dei Spiritus non est Angelus neque res creata, sed ejus divinitatis est proprius. Nam cum Spiritus in populo esset, Deus per Filium in Spiritu in iisdem erat.

XIII. Verum hæc ita sint, inquiunt illi, cur igitur Apostolus post Christum, non Spiritum sanctum, sed electos Angelos nominavit? Atqui idem ab illis merito quis sciscitetur : Quare non Archangelos, neque Cherubim, neque Seraphim, neque Dominationes, neque Thronos, neque quid aliud, sed solos electos Angelos Paulus nominavit? Num ergo, quia non ita nominavit, Angeli sunt Archangeli, aut soli Angeli existunt, nullique sunt Seraphim aut Cherubim, nulli Archangeli, et Dominationes, nulli Throni et Principatus, nihil denique aliud existit? Verum id inquirere nihil aliud est, quam Apostolo necessitatem hoc vel illo modo scribendi imponere, nec non divinas Scripturas ignorare, ac proinde a veritate aberrare. Ecce enim apud Esaïam scriptum legimus : « Acce» dite ad me et audite hæc : Non ab initio in abscondito » locutus sum; quum fieret, ibi eram : et nunc Dominus

[1] Levit. xi, 45; Deut. xxxii, 39. — [2] Isai. xlv, 21; Ose. xiii, 4. — [3] Psal. lxxvi, 21; Psal. lxxvii, 53. — [4] Psal. cxxxv, 16. — [5] Deut. i, 30, 33.

» misit me et Spiritus ejus[1]. » Et apud Aggæum : « Et » nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, et confor- » tare Jesu fili Josedec, sacerdos magne, et confortetur » omnis populus terræ, dicit Dominus, et facite, quo- » niam ego vobiscum sum, dicit Dominus omnipotens. » Et Spiritus meus stetit in medio vestri[2]. » Hic apud utrumque Prophetam, solius Domini et Spiritus fit mentio : quid igitur ad id dicturi sunt ? Nam si eo quod Paulus Christi mentionem faciens, de Spiritu tacuerit, et electorum angelorum meminerit, si inquam, eam ob causam Spiritum inter Angelos collocare nihil verentur : restat ut ex his propheticis verbis, iidem de illo qui ibi silentio omittitur audacius disputent. Nam si dicant Dominum esse, idem esse ac Filium esse : quid de Patre dicturi sunt? Si vero illud de Patre intelligant; quid dicturi sunt de Filio? Procul autem absit vel a sola cogitatione, ea quæ ex illorum sententia consequitur impietas. Nempe illos respondere necesse est, vel nullum illum esse, vel, quod silentio prætermissus sit, eum inter res creatas annumerare.

XIV. Quid item dicturi sunt, si ipsum etiam Dominum dicentem audierint : « Judex quidam erat in qua- » dam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non » reverebatur[3]. » Numquid quia post Deum, hominem nominavit, ille homo est Filius quem injustus judex non reveretur? An forte quia post Deum, hominem subdiderit, tertius est Filius post hominem, et quartus, Spiritus sanctus? Quid, si Apostolum eadem epistola rursus dicentem audiant : « Præcipio tibi coram Deo, qui vivifi- » cat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit » sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves » mandatum sine macula, irreprehensibile[4]. » Num quia

[1] Isai. XLVIII, 16. — [2] Agg. II, 5. — [3] Luc. XVIII, 2. — [4] I Tim. VI, 13.

hic de Angelis et Spiritu siluit, de Spiritu et de Angelis utrum sint dubitant? Ita sane dubitaverint, quamdiu hæc adeo impia contra Spiritum meditabuntur. Si præterea ad hæc libri Exodi verba attendant : « Timuit autem populus Dominum, et crediderunt Deo et Moysi » servo ejus[1] : » an Moysem Deo annumeraturi sunt, neque post Deum, Filium sed solum Moysem sunt intellecturi? Quid si etiam Patriarcham Jacob Josepho his verbis benedicere meminerint : « Deus qui pascit me ab » adolescentia mea usque in præsentem diem : Angelus, » qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis[2]. » Num quia post Deum, Angelum nominavit, prior est Angelus Filio, aut Filius inter Angelos annumeratur? Ita profecto senserint, quippe quibus cor corruptum sit. Verum non hæc est apostolica fides, neque ea ferre licet Christiano. Nam sancta et beata Trinitas individua atque ipsa secum unita est, ita ut ubi Patris mentio fiat, ejusdem statim Verbum, ac in Filio Spiritus debeat intelligi. Quod si Filius nominetur, similiter in Filio est Pater, nec extra Verbum est Spiritus sanctus. Siquidem una est Patris gratia quæ per Filium in Spiritu sancto completur. Una pariter divinitas et unus Deus est qui est super omnia, et per omnia, atque in omnibus. Namque ipse etiam Paulus cujus hæc sunt verba, « Testificor co» ram Deo et Jesu Christo[3], » Spiritum a Filio neutiquam dividi, sed ipsum in Christo esse, quemadmodum Filius in Patre est, optime noverat. Convenienter tamen electos Angelos una adjunxit, ut, quoniam hæc ad Discipulum scribebat, ille cui minime latebat ea quæ a Deo dicta sunt per Christum in Spiritu dicta esse, et Angelos res nostras administrare, singulorumque actus speculari, magistri exhortationes custodiret, ut cui persuasum esset

[1] Exod. XIV, 31. — [2] Gen. XLVIII, 15. — [3] 1 Tim. IV, 1.

omnium quæ diceret ipsos Angelos speculatores testes habere. An forte Angelos qui semper vident faciem Patris, qui in cœlis est, propter Ecclesiæ pusillos testes appellat, ut discipulus, cognitis populorum curatoribus, Apostoli admonitiones non negligeret.

XV. Itaque is mihi videtur esse sensus Scripturæ sacræ, quo plane illorum adversus Spiritum impietas validissime refutatur. Verum iidem illi veritati adversari pergunt, ut scribis, non jam ex Scripturis, quippe qui nihil ibi inveniant, sed ex proprii cordis redundantia hæc rursus eructant : Si Spiritus res creata non est, neque unus ex Angelis, sed ex Patre procedit : igitur filius quoque ipse dicendus est, proindeque duo sunt fratres, ipse scilicet et Verbum. Quod si frater est : quî fieri potest ut unigenitum sit Verbum, vel ut æquales non sint, sed hic post Patrem, ille post Filium nominetur ? Si item ex Patre est, cur non et ipse genitus, aut filius esse, sed simpliciter Spiritus sanctus dicitur ? Denique si filii dicatur esse spiritus : Pater ergo avus est Spiritus sancti. Hæc turpissimi homines cavillando effutiunt, qui curiosius profunda Dei scrutari conantur, quæ nemo novit nisi Spiritus Dei, de quo illi tam impie sentiunt : quibus nihil amplius respondere æquum sane esset ; sed secundum Apostoli præceptum, post prædictam admonitionem, tanquam hæretici vitandi essent[1] : vel certe ut nos interrogant, sic eos a nobis interrogari operæ pretium fuerit, idemque nos ab illis responsum efflagitare, quod illi a nobis exigunt. Respondeant igitur, utrum Pater ex patre sit, et num alius cum illo genitus fuerit, sintque ex uno fratres, qualeque nomen illis sit ? Quis item eorum Pater et avus, qui proavi ? Atqui nullos esse respondebunt. Quare ergo Pater ab illis dicitur, qui idem ex

[1] Tit. III, 10.

patre non sit ortus ? Vel quî filium habere potuit, qui ipse prius filius non fuit genitus ? Equidem non me fugit ista inquirere nefas omnino esse. Verum haud ab re fuerit ita illudentibus vicissim illudere, ut saltem ex hujusmodi absurda et impia interrogatione propriam insipientiam percipere valeant. Nec enim illa ullo modo sunt : absit : neque hæc de divinitate sciscitari decet. Siquidem non est Deus similis hominum, ut ista humana de illo percuntari quis audeat.

XVI. Itaque, ut jam monui, silentium in his quæstionibus servare, et hujusmodi illorum argutias dissimulare satius certe fuerit. Verumtamen ne nostrum silentium majoris ipsis fiat impudentiæ occasio, hæc illis reponere non gravabor. Nempe quemadmodum Patris patrem dicere non possumus, ita nec Filii fratrem. Namque Patris, ut antea dictum est, alius deus nullus fuit : nec ullus similiter alius est filius : unigenitus enim est. Proinde et solus et unus Pater, solius et unius Filii est pater, atque adeo in sola divinitate semper et est, et fuit pater ac filius. Nam tametsi inter homines pater aliquis dicitur, tamen idem alterius filius fuit. Tametsi similiter filius quis dicitur, tamen idem alterius est pater. Unde non proprie in hominibus patris et filii nomen servatur. Sic Abraham qui fuit filius Tharæ, idem fuit pater Isaac. Similiter Isaac qui filius erat Abrahæ, fuit pater Jacob, eaque est humanæ naturæ conditio. Nam sibi invicem sunt partes, et quisquis gignitur, patris partem habet, ut et ipse alterius fiat pater. At non ita se res habet in divinitate. Nec enim hominum similis est Deus, nec divisam habet naturam. Quapropter neque sui divisione Filium generat, ut et ipse alterius pater fiat, cum neque ipse sit ex patre, neque Filius pars sit patris. Itaque Filius non generat, ut ipse genitus est, sed totus est totius imago et splendor :

atque in sola divinitate Pater proprie est pater, et Filius proprie est filius: qui Pater semper fuit pater, et Filius pariter semper fuit filius. Quemadmodum item nunquam Pater futurus est filius, sic nunquam Filius futurus est pater. Et ut nunquam Pater desinet solus esse pater : ita Filius nunquam desinet esse solus filius. Nemo igitur nisi mente captus dixerit vel cogitaverit fratrem esse Filio, et nomen avi Patri convenire. Hinc enim nusquam in Scripturis sacris Spiritus filius dictus est, ne frater esse existimaretur : uti nec filius Filii, ne Pater avus crederetur. Sed Filius, Patris est filius; et Spiritus, Patris spiritus dictus est, atque ita una Trinitatis divinitas et fides est.

XVII. Quocirca eam quoque ob rationem insania sine dubio fuerit contendere rem creatam illum esse. Nam si res creata esset, Trinitati non adjungeretur. Nam tota unus Deus est. Satis ergo fuerit cognoscere Spiritum rem creatam non esse, nec rebus creatis annumerari. Siquidem nihil alienum Trinitati admiscetur, sed individua et sibi ipsi similis est. Hæc, inquam, fidelibus satis esse debent : huc usque humana cognitio pervenire potest : hic Cherubim alis faciem velant. Qui autem his plura quærit et investigare cupit, refragatur dicenti : « Ne » plus sapias quam necesse est, ne obstupescas [1]. » Quæ enim fide tradita sunt, hæc non humana sapientia expendere, sed fidei auditu excipere convenit. Quæ enim oratio ea quæ creatam naturam transcendunt digne possit explicare? Vel quænam, quæso, aures capere possint quæ hominibus nec audire nec loqui licet? Sic enim Paulus de his quæ ipse audivit testatus est : de Deo autem hæc dicit : « Quam investigabiles viæ ejus! Quis enim » cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus » fuit [2]? » Hinc Abraham nihil curiose inquisivit, nec

[1] Eccles. VII, 17. — [2] Rom. XI, 33.

loquentis verba discussit, sed « credidit Deo et reputa-» tum est ei ad justitiam [1]. » Sic Moyses fidelis famulus appellatus est. Quod si Ariani, quia in malevolam ipsorum animam non ingredietur sapientia, individuam et sanctam Trinitatem nec intelligere nec credere queunt : ne idcirco veritatem adulterent, nec quæ ipsi percipere non possunt, hæc non posse esse contendant. Perabsurda enim res est, quod, cum concipere non valeant, quî fieri possit ut individua sit sancta Trinitas, Ariani idcirco Filium, et Tropici Spiritum sanctum inter res creatas numerent. Nempe æquum erat vel ista non intelligentes, prorsus silere, nec illos Filium, nec istos Spiritum sanctum inter res creatas collocare : vel certe quod scriptum est agnoscere, Filiumque cum Patre conjungere, nec Spiritum a Filio dividere, ut scilicet individua ac ejusdem vere particeps naturæ permaneret sancta Trinitas. Quibus utique cognitis non eo audaciæ prorumpere debebant, ut dubitantes inquirerent, quonam pacto hæc se habeant, ne si interrogatus in respondendo hæreret, ipsi pravos sibi ipsis sensus comminiscerentur. Hæc enim est rerum omnium factarum inprimisque hominum conditio, ut de rebus quæ verbis exprimi non queunt, digne loqui non possimus. Major autem sane temeritas fuerit, si ad hæc eadem explicanda, nova vocabula aliaque a Scripturis excogitemus. Immo vere insanus admodum ille censendus sit, qui hisce de rebus interroganti vel tantum cogitet respondere : quandoquidem nec is mentis compos esse æstimabitur, qui hæc eadem de rebus factis fuerit percontatus.

XVIII. Nam vel tandem illi qui de re nulla dubitant, respondere audeant, quomodo et ex qua materia cœli constituti sint, vel quænam illorum sit admixtio? quove

[1] Rom, IV, 3; Heb, III, 5,

modo sol et singula astra composita fuerint? Verum quid mirum, si ex superioribus sive cœlestibus rebus, illorum amentiam convincamus, cum neque ipsis pateat quænam sit rerum inferiorum, verbi causa, lignorum natura, quomodo consistant aquæ, quænam sit animalium conformatio ac compositio. Hæc enim profecto nunquam illi explicaverint, quando ipse Salomon, qui sapientiæ cumulatius fuit particeps quam alii omnes, ista ab homine inveniri non posse perspiciens ait : « Et quidem » universum sæculum dedit in corde eorum, ut non in» veniat homo opus quod fecit Deus ab initio et usque » in finem [1]. » An ergo quia hæc omnia nosse nequeunt, idcirco contendent non existere? Nullus utique dubito quin id contenderint, quippe qui mentem penitus corruptam habeant. Jure igitur merito eos ita alloqui liceat : O stulti atque ad omnia audaces et præcipites! quare non potius sanctam Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apostolum hac in re imitati, cujus hæc sunt verba : « Credere enim » oportet primum Deo, quia est, et inquirentibus se re» munerator sit [2]. » Nec enim dixit, quomodo est, sed tantum, « quia est, » Quod si nec sic quidem erubescunt, dicant ergo quomodo sit Pater, ut hoc pacto discant quomodo quoque ejus sit Verbum. Sed absurdum est, inquient, hæc de Patre inquirere. Audiant igitur absurdum quoque esse idem de ejus Verbo sciscitari.

XIX. Itaque cum inutilis et stultus sit hujusmodi conatus, nemo jam amplius de his percuntari audeat, sed ea tantum quæ Scripturis continentur, discere satis habeant. Siquidem omnino sufficiunt quæ in hanc rem profert exempla. Nempe fons et lux Pater dicitur : Me, enim inquit, « dereliquerunt fontem aquæ viventis [3]. »

[1] Eccles. III, 11. — [2] Hebr. XI, 6. — [3] Jerem. II, 13.

Et iterum apud Baruch : « Quid est, Israël, quod in terra » inimicorum es? dereliquisti fontem sapientiæ [1]. » Et secundum Joannem, « Deus noster lux est[2]. » Filius vero, cum refertur ad fontem, dicitur fluvius : Namque « Flu- » men Dei repletum est aquis [3]. » Cum autem idem ad lucem refertur, splendor appellatur, dicente Paulo : « Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantia ejus [4]. » Cum ergo Pater sit lux, et Filius ejus sit splendor, (nam eadem sæpe, præsertim de hujusmodi rebus, dicere nemini grave videri debet) licet quoque in Filio perspicere Spiritum sanctum, in quo nempe illuminamur. Hinc enim Apostolus, « Ut det vobis, » inquit, « Spiritum » sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus, illumina- » tos oculos cordis [5]. » Porro cum Spiritu illuminamur, Christus ipse est qui nos in illo illuminat, ut hæc verba testantur : « Erat lux vera quæ illuminat omnem homi- » nem venientem in mundum [6]. » Similiter ut Pater est fons, et Filius fluvius appellatur, ita Spiritum bibere dicimur. Nam scriptum est : « Omnes unum Spiritum bi- » bimus [7]. » Rursus cum Spiritum bibimus, Christum una bibimus. Namque « Bibebant de spiritali consequente » petra. Petra autem erat Christus [8]. » Præterea ut Christus verus est Filius, ita nos Spiritum accipientes, filii efficimur. « Non enim, » inquit, « accepistis spiritum servitu- » tis iterum in timore : sed accepistis Spiritum adoptio- » nis. [9] » Cum autem Spiritu filii Dei efficimur, manifestum est nos in Christo filios Dei appellari. Nam « Quotquot » receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri [10]. » Deinde quemadmodum Pater, uti docet Paulus, solus est sapiens, sic ejus Filius est sapientia. *Christus* enim « Dei

[1] Bar. III, 10 et 12. — [2] 1 Joan. I, 5. — [3] Psal. LXIV, 10. — [4] Hebr. I, 3. — [5] Ephes. I, 17. — [6] Joan. I, 9. — [7] 1 Cor. XII, 13. — [8] 1 Cor. X, 4. — [9] Rom. VIII, 15. — [10] Joan. I, 12.

» virtus et Dei sapientia[1]. » Ut item Filius est sapientia, ita nos Spiritu sapientiæ accepto, Filium habemus et in eodem sapientes efficimur. Sic enim scriptum est in Psalmo centesimo quadragesimo quinto : « Dominus solvit com» peditos, Dominus cœcos sapientes efficit[2]. » Cum insuper Spiritus nobis datur, « Accipite » enim « Spiritum » sanctum[3], » inquiebant Salvator : Deus ita in nobis est : sic enim scripsit Joannes : « Si diligamus invicem, » Deus in nobis manet. In hoc cognoscimus quoniam » in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu » suo dedit nobis[4]. » Cumque Deus in nobis est, Filius certe itidem in nobis est, ipso Filio dicente : « Ego et » Pater veniemus et mansionem apud eum faciemus[5]. » Similiter ut Filius est vita eodem testante, « Ego sum » vita[6]; » sic etiam in Spiritu vivificari dicimur, quemadmodum Paulus ait : « Qui suscitavit Jesum Christum » a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per » inhabitantem ejus Spiritum in vobis[7]. » Nobis porro in Spiritu vitam accipientibus, ipse Christus in nobis vivere dicitur, ut ex his verbis patet : « Christo confixus » sum cruci. Vivo autem jam non ego : vivit vero in » me Christus. » Et rursus, quemadmodum Filius quæ faciebat opera, Patrem suum facere ita testabatur : « Pater in me manens, ipse facit opera. Credite mihi, » quia ego in Patre, et Pater in me est. Alioquin propter » opera ipsa credite mihi[8] : » sic quæ in virtute Spiritus Paulus efficiebat, Christi opera esse docebat : « Non » enim audebo, » inquit, « aliquid loqui eorum quæ » per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, » verbo et opere, in virtute signorum et prodigiorum, » in virtute Spiritus sancti[9]. »

[1] 1 Cor. I, 24 — [2] Ps. CXLV, 7. — [3] Joan. XX. 22. — [4] 1 Joan. IV, 13. — [5] Joan. XIV, 23. — [6] Joan. XIV, 6. — [7] Rom. VIII, 11. — [8] Joan. XIV, 10. — [9] Rom. XV, 18.

XX. Cum igitur ea sit in sancta Trinitate conjunctio et unitas : quis jam vel Filium a Patre, vel Spiritum a Filio aut ab ipso Patre separare audeat ? vel quis eo temeritatis deveniet, ut dissimilis et diversæ naturæ Trinitatem esse, aliamque a Patre substantiam Filium habere, ac denique Spiritum Filio externum esse contendat? Siquis vero rursus sciscitetur quonammodo hæc esse possint, ut scilicet cum Spiritus in nobis est, Filius in nobis est, et similiter cum Filius in nobis est, Pater in nobis esse itidem dicatur : vel quomodo, cum sit Trinitas, in uno tamen significetur Trinitas : quomodo item cum unus in nobis est, Trinitas in nobis esse dici queat; quisquis, inquam, ita interrogaverit, vel prius ipse splendorem a luce et sapientiam a sapiente dividat, vel quomodo hæc sint edisserat. Quod si præstare non valeat : multo magis hæc de Deo inquirere summæ temeritatis et insaniæ esse fatendum est. Siquidem divinitas, uti dictum est, non argumentis traditur, sed fide, necnon ratione cum pietate conjuncta. Nam si quæ ad salutarem crucem pertinent [1], « non in » sapientia verbi, sed in ostensione spiritus et vir» tutis [2], » prædicavit Paulus, « et audivit arcana » verba » in paradiso, « quæ non licet homini loqui : quis de sancta Trinitate disserere poterit ? Verumtamen hujusmodi hæsitatio cum præsertim fide sanari poterit, tum etiam prædictis exemplis imaginis, splendoris, fontis, fluvii, substantiæ, et figuræ. Quemadmodum enim Filius in Spiritu tanquam in propria imagine est; ita et Pater in Filio. Scilicet divina Scriptura ut nostram infirmitatem levaret, per quam nobis res tantas haud licet comprehendere et sermone explicare, nobis ista exempla subministravit, ut hoc modo propter petulantium

[1] 1 Cor. I, 17, et II, 4. — [2] 2 Cor. XII, 4.

hominum infidelitatem simplicius et extra periculum de his loqui possemus, liceretque sine culpa res ita arduas intelligere, ac denique credere unam esse sanctificationem ex Patre per Filium in Spiritu sancto productam. Nam quemadmodum unigenitus est Filius : sic et Spiritus qui a Filio datur et mittitur, unus item est, non multi, neque ex multis unus, sod solus ipse Spiritus est. Quia enim unus est Filius qui et vivens est Verbum : unam quoque esse necesse est perfectam et plenam, sanctificantem et illuminantem, viventem ejus efficaciam et donum quod ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre esse conceditur, effulget, et ab eodem mittitur ac datur. Filium quidem a Patre mitti verissimum est, ut ipse his verbis testatur : « Sic » Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum » mitteret[1]. » Sic etiam Filius Spiritum mittit. *Si* enim, inquit, « ego abiero, mittam Paraclitum [2]. » Filius similiter Patrem honorat, ut ipse ait : « Ego te clarifi» cavi [3]. » Spiritus item Filium honorat, ut idem Filius dixit : « Ille me clarificabit [4]. » Filius præterea dicit : « Quæ audivi a Patre, hæc loquor in mundo [5]. » Spiritus autem ex Filio quoque accipit. « De meo, » inquit, « accipiet et annuntiabit vobis [6]. » Rursus, Filius in nomine Patris venit. Ita etiam « Spiritus sanctus, » inquit Filius, « quem mittet Pater in nomine meo [7]. »

XXI. Cum igitur eumdem ordinem eamdemque naturam habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem, qua, quæso, ratione is qui Spiritum sanctum rem creatam esse contendit, non idem necessario de Filio sentiet? Nam si Filii Spiritus res est creata, consequens est ut et Verbum Patris rem creatam esse fateantur. Hæc

[1] Joan. III, 16. — [2] Joan. XVI, 7. — [3] Joan. XVII, 4. — [4] Joan. XVI, 14. — [5] Joan. VIII, 26. — [6] Joan. XVI, 14. — [7] Joan. XIV, 26.

nempe opinati Ariani, in Caiphæ Judaïsmum delapsi sunt. Si porro hi qui de Spiritu hæc audent dicere, Arii sententiam tueri nolint, ejus ergo verba quoque fugiant, nec impii sint in Spiritum sanctum. Nam ut Filius, qui in Patre est, in quo etiam est Pater, non est res creata, sed Patris substantiæ proprius est, quod et vos asseveratis : ita et Spiritum sanctum qui in Filio est, et in quo Filius est, inter res creatas collocare, aut a Verbo dividere, atque ita imperfectam Trinitatem reddere, nefas omnino fuerit. Sed satis sit hactenus Tropicorum impietatem ex ignorantia ortam coarguisse, quo videlicet Prophetæ et Apostoli verba explicaremus, quorum illi sensum adulterantes, seipsos in errorem induxerunt. Jam vero seorsim inspiciamus quænam in divinis Scripturis de Spiritu sancto dicta fuerint, ac velut probi mensarii discernamus, num proprium aliquid habeat Spiritus cum rebus creatis, vel an proprius sit Dei, ut eum vel rem creatam, vel alium a rebus creatis, propriumque divinitatis Trinitatis et unum ex ea esse discamus. Forsan enim hoc pacto erubescent illi, ubi didicerint, quantum impietatis verba quæ commenti sunt, a divinis oraculis discrepent.

XXII. Itaque res creatæ ex nulla re factæ sunt, habentque existendi principium. Siquidem in principio fecit Deus cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt [1]. At Spiritus sanctus ex Deo esse dicitur. « Nemo [2] » enim, inquit, « scit quæ sunt hominis, nisi spiritus homi-» nis, qui in ipso est : ita et quæ Dei sunt, nemo » cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum » mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. » Quænam igitur cognatio Spiritus cum rebus creatis ex his esse videtur? Etenim res creatæ non erant : at Deus

[1] Gen. 1. — [2] 1 Cor. 11, 11.

is est qui est, ex quo et ipse Spiritus est. Quod autem ex Deo est, non potest esse ex nihilo, neque res creata, ne secundum eos ille quoque ex quo Spiritus sanctus est, res creata esse putetur. Quis ergo hujusmodi insipientes ferre possit, qui et ipsi in corde suo dicunt non esse Deum [1]? Nam si quemadmodum nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita et quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus qui in ipso est : an non summæ impietatis fuerit dicere rem creatam esse Spiritum qui in Deo est, et qui profunda Dei scrutatur? Nam qui ea mente est, fateri utique cogetur spiritum hominis extra hominem esse, et Verbum quod est in Patre, rem item creatam esse. Præterea, Spiritus et est et dicitur spiritus sanctitatis et renovationis. Scribit siquidem Paulus : « Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute » secundum Spiritum sanctitatis ex resurrectione mor- » tuorum Jesus Christus Dominus noster [2]. » Et iterum dicit : « Sed sanctificati estis, sed justificati estis in no- » mine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei » nostri [3]. » Hæc quoque ad Titum scribit : « Cum au- » tem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri » Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed se- » cundum suam misericordiam salvos nos fecit per lava- » crum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, » quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salva- » torem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes si- » mus secundum spem vitæ æternæ [4]. » At quod res creatas spectat, ipsæ sanctæ efficiuntur et renovantur : « Emittes » enim « Spiritum tuum et creabuntur, et » renovabis faciem terræ [5]. » Et Paulus : « Impossibile » est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt

[1] Psal. XIII, 1. — [2] Rom. I, 4. — [3] I Cor. VI, 11. — [4] Tit. III, 4. — [5] Ps. CIII, 4.

» etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus » sancti [1]. »

XXIII. Itaque qui non ab alio sanctus efficitur, neque sanctimoniæ fit particeps, sed ipse alios participes reddit, in quo et res universæ creatæ, sanctæ efficiuntur, quî inquam, fieri potest ut is locum inter res omnes habeat, vel proprius illorum sit qui ipsius fiunt participes? Nam qui hæc ita esse pugnaverint, eos etiam concedere necesse sit Filium per quem res omnes factæ sunt, unam tamen illarum esse. Spiritus item vivificus dicitur: « Qui » suscitavit, » inquit, « Christum a mortuis, vivifica- » bit et mortalia corpora vestra per inhabitantem ejus » Spiritum in vobis [2]. » Et Dominus quidem ipsa est vita et « auctor vitæ [3], » ut ait Petrus. Idem tamen Dominus ait: « Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ sa- » lientis in vitam æternam. Hoc autem dixit de Spiritu » quam accepturi erant credentes in eum [4]. » Res autem creatæ, uti dictum est, vitam per ipsum accipiunt [5]. Qui igitur vitæ non fit particeps, sed ipse alios participes facit, et vitam rebus creatis impertit, qualem, quæso, cognationem cum rebus factis habere potest? Aut qua tandem ratione inter res creatas censendus sit, cum ipsæ in illo vitam a Verbo accipiant? Unctio quoque Spiritus dicitur, et est item sigillum; unde Joannes scribit: « Et » vos unctionem quam accepistis ab eo, manet in vobis. » Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut » unctio ejus [6], » nempe ejus Spiritus, « docet vos de » omnibus. » Et apud Esaïam Prophetam legitur: « Spi- » ritus Domini super me, cujus causa unxit me [7]. » Paulus etiam ait: « In quo et credentes signati estis in » diem redemptionis. » At res creatæ illo signantur et

[1] Hebr. VI, 4. — [2] Rom. VIII, 11. — [3] Act. III, 15. — [4] Joan. IV, 14. — [5] Joan. VII, 39. — [6] I Joan. II, 28. — [7] Isai. LXI, 1.

unguntur, ac de omnibus docentur. Si igitur Spiritus unctio sive unguentum et sigillum est, in quo omnia ungit et signat Verbum : quænam similitudo et convenientia unguenti et sigilli esse potest cum his rebus quæ unguntur et signantur? Nequit proinde fieri ut ipse inter res omnes numeretur. Nec enim aliquis ex his qui signantur, sigillum ipse dicendus sit : nec similiter aliquis ex his qui unguntur, unguentum idem erit. Sed id proprium est ungentis et signantis Verbi. Unguentum quidem ungentis suavitatem et odorem retinet, cujus participes facti qui unguntur, dicunt : « Christi bonus odor » sumus [1]. » Sigillum vero signantis Christi effigiem servat, cujus qui signantur, participes effecti, ad eam conformantur, ut ait Apostolus : « Filioli mei, quos iterum » parturio, donec formetur Christus in vobis [2]. » Hoc autem modo signati, convenienter divinæ naturæ consortes reddimur, uti docet Petrus : atque ita universæ res creatæ Verbi in Spiritu fiunt participes[3].

XXIV. Omnes similiter per Spiritum, Dei participes dicimur. « *Nescitis*, inquit, quia templum Dei estis, et » Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei vio- » laverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei » sanctum est, quod estis vos [4]. » Sed si Spiritus sanctus res creata esset : nulla sane Dei communicatio nobis in ipso esset ; sed rei creatæ conjungeremur, et divinæ naturæ alieni essemus, utpote nulla in parte ejus facti participes. Nunc vero cum Christi et Dei participes dicamur, utique constat unguentum et sigillum, quod in nobis est, non ad rerum factarum sed ad Filii naturam pertinere, qui nos per Spiritum, qui in ipso est, Patri conjungit. Idipsum nos Joannes, uti supra dictum est, his verbis docet : « In hoc cognoscimus, quia in Deo manemus, et

[1] 2 Cor. II, 15. — [2] Galat. IV, 19. — [3] 2 Petr. I 4. — [4] I Cor. III, 16.

» ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis [1]. » Si porro Spiritus communicatione, divinæ naturæ consortes efficimur, nemo certe nisi insanus dixerit Spiritum non Dei, sed creatæ esse naturæ. Nec enim alia de causa hi in quibus ille est, Dii efficiuntur. Quod si deos efficit dubium non est, quin ejus natura Dei sit. Quod item centesimo tertio Psalmo habetur, clarius adhuc argumentum ad hancce hæresim evertendam nobis suppeditat, ut jam monuimus : « Auferes spiritum eorum et de-» ficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes » Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem » terræ [2]. » Et Paulus hæc Tito scribit : « Per lavacrum » regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem » effudit in nos abunde per Jesum Christum [3]. » Si igitur Pater omnia per Verbum in Spiritu creat et renovat : quæ similitudo aut cognatio creantis cum rebus creatis? Vel qui omnino fieri queat ut ille res sit creata, in quo omnia creantur? Sane cum impia hac sententia illa alia cohæret quæ Filii divinitatem impugnat, ita ut qui Spiritum rem creatam esse contenderint, eosdem fateri necesse sit Verbum, per quod omnia creantur, rem quoque creatam esse. Addam Spiritum imaginem Filii et dici et esse. Nam, « Quos præscivit et prædestinavit confor-» mes fieri imaginis Filii sui [4]. » Itaque cum ipsi fateantur Filium rem creatam non esse, nec etiam ejus imago res creata censenda est. Qualis enim fuerit imago, talem necesse est eum esse cujus imago fuerit. Unde quemadmodum jure merito ac convenienter Verbum res creata esse negatur, quia est imago Patris : ita qui Spiritum inter res creatas collocare non dubitaverit, non potest quin Filium cum iisdem annumeret : ac proinde ad ip-

[1] Joan. IV, 13. — [2] Psal. CIII, 29. — [3] Tit. III, 5. — [4] Rom. VIII, 29.

sum Patrem refertur quidquid impie de hujus imagine senserit dixeritve.

XXV. Itaque manifestum est Spiritum alium omnino esse a rebus creatis, eumque ostendimus proprium Filii esse, non autem a Deo alienum. Namque quod ad hancce acutam illorum interrogationem spectat : Si Spiritus ex Deo est, quare non ipse quoque filius dicitur? Hanc, inquam, quæstiunculam audacem et temerariam esse supra jam ostensum est; sed idem nihilominus rursus ostendere non gravabimur. Tametsi enim Spiritus in Scripturis filius non dicitur, sed spiritus Dei : tamen in ipso Deo et ex ipso Deo esse dictus est, uti scripsit Apostolus[1]. Porro si Filius quia est ex Patre, proprius idcirco ejusdem substantiæ est; necesse est similiter Spiritum qui ex Deo esse dicitur, proprium quoque Filii esse secundum substantiam. Certe quemadmodum Dominus est filius : ita ipse Spiritus, spiritus adoptionis dictus est[2]. Ut item Filius est sapientia et veritas; sic etiam scriptum est Spiritum esse spiritum sapientiæ et veritatis[3]. Filius est etiam virtus Dei et Dominus gloriæ[4]. Similiter Spiritus dicitur spiritus virtutis et spiritus gloriæ, de quibus singulis sic loquitur Scriptura, nempe ubi Paulus ad Corinthios scribit : « Si » enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ cruci» fixissent[5]. » Et alibi : « Non enim accepistis spiritum » servitutis iterum in timorem, sed accepistis Spiritum » adoptionis[6]. » Et iterum : « Misit Deus Spiritum Filii » sui in corda vestra, clamantem : Abba, pater[7]. » Petrus item scribit : « Si exprobramini in nomine Christi, » beati, quoniam gloriæ et virtutis et Dei Spiritus super » vos requievit[8]. » Ipse autem Dominus Spiritum et veritatis spiritum et paracletum esse aperte testatur[9]. Ex

[1] 1 Cor. II, 12. — [2] Isai. XI, 2. — [3] Joan. XV, 26. — [4] 1 Cor. I, 24; 1 Cor. II, 8. — [5] Ibid. — [6] Rom. VIII, 15. — [7] 4 Gal. VI. — [8] 1 Petr. IV, 14. — [9] Joan. XIV, 16.

quibus patet perfectam in illo esse Trinitatem. In illo itaque Verbum res creatas glorificat, hominesque deos et filios efficiens Patri adducit. Atqui is qui res creatas cum Verbo conjungit, ipse certe res creata esse non potest. Qui item res creatas filios efficit, non potest a filio alienus esse. Alioquin alium spiritum quærere necesse esset, ut iste in illo cum Verbo conjungi posset. Verum id perabsurdum est. Quapropter fatendum est non ex rebus factis esse Spiritum, sed divinitatis Patris proprium esse, in quo et ipsum Verbum res factas divinæ naturæ consortes reddit. Atqui is in quo natura creata divinitatis fit particeps, extra Patris divinitatem ipse esse non potest.

XXVI. Cæterum ex his quoque percipere licet, spiritum rebus creatis superiorem aliumque a rebus factis esse. Nempe immutabilis et varietatis expers est Spiritus sanctus : « Spiritus sanctus, » inquit, « disciplinæ fugiet do- » lum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intel- » lectu[1]. » Et Petrus ait : « Incorruptibilitate quieti et » modesti Spiritus[2]. » Et iterum in Sapientia legitur : « Tuus enim incorruptus Spiritus est in omnibus[3]. » Item si « Nemo cognovit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui » est in ipso[4] : » non est autem apud Deum, ut docet Jacobus, « transmutatio nec vicissitudinis obumbratio[5] : » jure ac merito Spiritus sanctus qui in Deo est, immutabilis et incorruptus omnisque vicissitudinis expers esse censendus est. At rerum factarum et creatarum natura mutabilis est, utpote quæ sit extra Dei substantiam, et e nihilo extiterit. Siquidem « Omnis homo, » inquit, « mendax[6], » Et, « Omnes peccaverunt et egent gloria » Dei. Angelos vero, qui non servaverunt suum princi- » patum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judi-

[1] Sap. I, 5. — [2] I Pet. III, 4. — [3] Sap. XII, 1. — [4] I Cor. II, 11. — [5] Jac. I, 17. — [6] Psal. CXV, 11.

» cium magni diei, vinculis æternis sub caligine reser-
» vavit[1]. » Et apud Job : « Si sanctis Angelis suis non
» fidit, sed contra Angelos pravum quid cogitavit : stellæ
» vero non sunt mundæ in conspectu ejus[2]. » Paulus autem scribit : « Nescitis quoniam Angelos judicabimus ?
» quanto magis sæcularia[3] ? » Quin etiam audivimus Diabolum qui in medio Cherubim stabat, et signaculum similitudinis erat, e cœlo quasi fulgur cecidisse. Si porro ea est rerum creatarum natura, et hæc de Angelis scripta sunt[4] : si contra Spiritus idem semper et omnis mutationis expers est, qui et Filii immutabilitatis particeps, cum ipso semper immutabilis manet : quænam, amabo, similitudo immutabilis cum mutabilibus ? Hinc enim perspicuum est, neque rem creatam esse, neque ad Angelorum, utpote qui mutabiles sint, naturam pertinere, sed Verbi imaginem et Patris proprium esse. Præterea, Spiritus Domini universum orbem replevit. Ita enim David cecinit : « Quo ibo a Spiritu tuo[5] ? » Et in Sapientia scriptum est : « Tuus enim incorruptus Spiritus est in omni-
» bus[6]. » Atqui universæ res factæ in divisis locis existunt, verbi gratia, sol, luna et astra, in firmamento, et nubes in aëre. In hominibus quoque, nationum terminos constituit. Angeli similiter in ministeria mittuntur : « Et venerunt Angeli Dei, ut assisterent coram Do-
» mino[7], » uti in Job legimus. Et, « Somniavit Jacob
» Patriarcha. Et ecce scala innixa in terra, cujus cacu-
» men ad cœlum perveniebat : et Angeli Dei ascende-
» bant et descendebant per ipsam[8]. » Si igitur Spiritus omnia implet, et in Verbo præsens est in medio omnium ; si contra Angeli hac in re illi cedunt, atque illic tantum

[1] Rom. III, 23; Jud. 6. — [2] Job. IV, 18; Ibid. XXV, 5. — [3] I Cor. VI, 4. — [4] Ezech. XXVI, 12. — [5] Psal. CXXXVIII, 7. — [6] Sap. XII, 1. — [7] Act. XVII, 26; Job. I, 6. — [8] Gen. XXVIII, 12.

adsunt quo mittuntur; dubium utique non est, quin Spiritus nec res facta nec Angelus sit, uti contendere audetis: sed Angelorum natura superior certe censendus est.

XXVII. Enimvero rursus ex his quæ subjicimus Scripturæ verbis evidens fuerit Spiritum sanctum alios sui participes facere, non vero participem aliorum fieri (nam eadem repetere ne sit molestum). Nempe, « Impossibile « est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt » etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus » sancti, gustaveruntque bonum Dei Verbum[1]. » At Angeli et cæteræ res creatæ ipsius Spiritus fiunt participes. Hæc enim ipsa est ratio cur ab eo cujus sunt participes possint excidere. Spiritus vero idem profecto semper est, quippe qui non ex illis rebus sit quæ participes redduntur, sed potius cujus res omnes fiant participes. Jam vero si Spiritus idem semper est, aliosque sui participes facit: si contra res creatæ ejus fiunt participes; sane Spiritus sanctus, neque Angelus neque alia res creata, sed proprius Verbi esse existimandus est, cujus ab ipso Verbo dati res creatæ fiunt participes. Cæteroquin Filium quoque rem creatam dicere iisdem necesse esset, cujus nempe omnes in Spiritu participes facti sumus. Insuper, unus est Spiritus sanctus, multæ autem sunt res creatæ. Nam millia millium et decies dena millia sunt Angelorum: multa pariter sunt luminaria, multi Throni, multæ Dominationes, multi cœli, multi Cherubim, Seraphim et Archangeli, ac denique res creatæ non sunt quid unum, sed omnes multæ et diversæ sunt. Quod si igitur Spiritus sanctus unus est, si contra res creatæ multæ, et multi sunt Angeli; quænam similitudo Spiritus cum rebus factis? Constat proinde Spiritum non esse ex multis, neque etiam Angelum, sed unum esse, vel potius Verbi quod

[1] Hebr. VI, 4.

unum est, et Dei qui item unus est, proprium et consubstantialem esse. Hæc certe vel sola, quæ de Spiritu sancto dicimus, si seorsim etiam considerentur, palam faciunt nihil illum commune aut proprium natura et substantia cum rebus creatis habere : sed vere alium eum esse a rebus factis, propriumque nec alienum Filii substantiæ et divinitatis esse, propter quam cum sit sanctæ Trinitatis, illos vel invitos pudore suffundit.

XXVIII. Verumtamen haud ab re fuerit veterem insuper traditionem, doctrinamque ac fidem Catholicæ Ecclesiæ investigare, quam scilicet Dominus tradidit, Apostoli prædicavere, et Patres servavere. In ea enim Ecclesia fundata est, a qua si quis exciderit, is nec esse nec amplius dici Christianus ulla ratione poterit. Itaque Trinitas sancta et perfecta est, quæ in Patre et Filio et Spiritu sancto agnoscitur, nihilque alienum vel extrinsecus admixtum habet, neque ex creatore et re creata constat, sed tota creandi et efficiendi vi prædita est : sibi quoque similis et individua est natura, unaque ejus est efficacia et actio. Nam Pater per Verbum in Spiritu sancto omnia facit, eoque modo sanctæ Trinitatis unitas servatur. Ita unus Deus in Ecclesia prædicatur, qui est « super omnia, et per omnia et in omnibus. Super om- » nia » quidem ut Pater, ut principium et fons : « per » omnia » vero, nempe per Verbum : « in omnibus [1]» denique, in Spiritu sancto. Porro Trinitas non nomine tenus et sola verborum specie est Trinitas, sed vere et reipsa existit Trinitas. Nam sicuti vere est Pater, ita et vere est ejus Verbum quod et ipsum super omnia est Deus. Nec item Spiritus sanctus non existit, sed utique vere est et existit. Nec his minus aliquid sentit Catholica Ecclesia, ne hodiernos Judæos Caïphæ haud absimiles et Sabellium

[1] Ephes. IV, 6.

sequatur; nec his item plus aliquid comminiscitur, ne in multitudinem deorum Gentilium devolvatur. Sed ut hanc esse fidem Ecclesiæ intelligant, eos discere operæ pretium est, quonammodo Dominus mittens Apostolos, iisdem præceperit ut istud fundamentum in Ecclesia jacerent : « Euntes, » inquit, « docete omnes gentes, bapti» zantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.[1] » Profecti vero Apostoli, ita sine dubio docuerunt, atque hæc ipsa prædicatio in universam Ecclesiam quæ sub cœlo est, permanavit.

XXIX. Cum igitur istud fidei fundamentum habeat Ecclesia, nobis iterum illi respondere ne graventur : Trinitasne est, an dualitas? Si dualitas est : per me licet, Spiritum rebus creatis adjungite. At si ita est, fides vestra jam non est in Deum unum, qui sit « super omnia, per » omnia » et « in omnibus. » Nec enim « in omnibus » habebitis, si Spiritum a divinitate separetis et ab ea alienum faciatis. Vestra item initiatio quam peragere arbitramini, si ita sentitis, non tota et integra fiet in divinitatis nomen, quippe cum rem creatam ipsi admisceatis, et velut Ariani ac Gentiles, rem creatam una cum Deo, qui eam per proprium Verbum creavit, conjungatis. Quæ autem vobis ita sentientibus spes esse possit? Vel quis vos cum Deo conjunget, qui non ipsius Dei, sed rei creatæ spiritum habetis? Quæ tandem vestra est temeritas et inconsiderantia, qui Patrem et ejus Verbum ad res usque creatas deprimitis, rursusque rem creatam Deo exæquatis? Id siquidem agitis, cum de Spiritu non secus ac de re creata cogitatis, et illum nihilominus in Trinitate collocare non veremini. Quis tantus ille vester furor, ut tam iniqua de Deo sentiatis, qui scilicet non omnes res creatas, vel omnes Angelos, sed unum duntaxat ex illis,

[1] Matth, XXVIII, 19.

Deo ejusque Verbo annumeretis? Postquam enim semel Spiritum rem creatam esse consuistis, eique locum in Trinitate assignastis, non unum certe sed omnes creatos Angelos in illa quoque collocare oportuit, nec amplius Trinitatem esse, sed innumerabilem quamdam divinitatis multitudinem; ut et vestra initiatio quæ in ea fieri videtur, huc et illuc distracta, instabilis tanta diversitate redderetur. Namque ejusmodi sunt vestra et Arianorum mysteria, qui tam impia adversus divinitatem comminiscimini, et rebus creatis potius quam Deo omnium creatori servitis.

XXX. En ergo quæ vobis absurda ex dualitate occurrunt. Quod si Trinitas sit, uti reipsa est, quæ quidem, ut ostendimus, individua nec dissimilis est, necesse est unam ejus esse sanctitatem, unam æternitatem, immutabilemque naturam. Ut enim fides quam ejus nomine accepimus una est, et nos cum Deo conjungit : ut item qui aliquid de Trinitate detrahit, et in solo Patris vel Filii nomine baptizatur, aut sine Spiritu, in Patre et Filio, nihil accipit, sed vacuus nec initiatus ipse et is qui dare videtur, manet; siquidem initiatio nonnisi in Trinitate sita est : ita qui Filium a Patre dividit, vel Spiritum ad res usque creatas deprimit, nec Filium nec Patrem habet, sed est impius et infideli deterior, quidvisque potius quam Christianus merito ac jure putandus est. Quemadmodum enim unum est Baptisma quod in Patre et Filio et Spiritu sancto datur : ut una similiter fides est in eamdem Trinitatem, quemadmodum docet Apostolus[1] : ita sancta Trinitas, quæ eadem in seipsa est, et secum ipsa conjuncta est nihil in se rerum factarum habet; hæcque Trinitatis unitas individua est, unaque in eamdem fides est. Quod si uti vos, Tropici, commenti estis, non ita se

[1] Ephes. IV, 5.

res habet, sed, ut somniastis, Spiritus sanctus res creata a vobis dicitur : jam non una est fides vestra, non unum Baptisma, sed duo : unum scilicet in Patrem et Filium, aliud in Angelum qui res creata est : nihilque jam vobis firmum, nihil verum superfuerit. Quæ enim communio inter rem factam et ejus effectorem? Vel quæ societas inter res inferiores creatas, et Verbum a quo productæ sunt? Certe beatus Paulus, qui ista minime ignorabat, non ut vos, Trinitatem dividit, sed ejus unitatem luculenter docet, cum de spiritualibus rebus ad Corinthios scribit, et omnia ad unum Deum Patrem tanquam ad caput hoc pacto reducit : « Divisiones vero gratiarum » sunt, idem autem Spiritus : et divisiones ministratio- » num sunt, idem autem Dominus : et divisiones opera- » tionum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in » omnibus[1]. » Quæ enim Spiritus singulis distribuit, ea a Patre per Verbum dantur. Nam omnia quæ Patris sunt, sunt item Filii : unde ea quæ a Filio in Spiritu dantur, vera sunt Patris munera. Similiter cum Spiritus in nobis est, Verbum, a quo illum accipimus, in nobis etiam est, et in Verbo est quoque Pater, atque ita fit istud : « Ve- » niemus ego et Pater, et mansionem apud eum facie- » mus[2], » uti jam dictum est. Ubi enim lux est, illic et splendor quoque est : ubi item splendor est, ibi similiter et ejus efficientia et splendida est gratia. Quod idem Paulus in secunda epistola Corinthios his verbis docet : « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et » communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vo- » bis[3]. » Gratia enim et donum quod in Trinitate datur, datur a Patre per Filium in Spiritu sancto. Nam quemadmodum ex Patre per Filium datur gratia, ita in nobis fieri non potest doni communicatio nisi in Spiritu

[1] 1 Cor. XII, 4. — [2] Joan. XIV, 23. — [3] 2 Cor. XIII, 13.

sancto. Hujus siquidem participes effecti, Patris caritatem, Filii gratiam, et ipsius Spiritus communicationem habemus.

XXXI. Ex his igitur una Trinitatis efficientia esse ostenditur. Nec enim divisa et diversa dari a singulis significat Apostolus, sed ea quæ dantur, in Trinitate dari, omniaque ex uno Deo esse. Ille igitur qui res creata non est, sed cum Filio non secus conjunctus est, ac ipse Filius cum Patre: qui item cum Patre et Filio honoratur, et cum Verbo Deus agnoscitur, nec non ea ipsa agit quæ per Verbum Pater efficit; quî res creata dici possit, nisi ab eo plane qui in Filium ipsum impius fuerit? Siquidem nihil prorsus est, quod non per Verbum fiat et agatur in Spiritu : quemadmodum etiam in psalmis canitur : « Verbo Domini cœli fir» mati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum[1]. » Et in centesimo quadragesimo septimo Psalmo : « Emittet » Verbum suum et liquefaciet ea, flabit Spiritus ejus et » fluent aquæ[2]. » Et, ut ait Apostolus, justificati sumus « In » nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nos» tri[3]. » Namque Spiritus a Verbo nequit dividi. Profecto cum Christus ait, « Veniemus ego et Pater, » una quoque intrat Spiritus non alio modo, quam Filius in nobis habitaturus, ut Paulus ad Ephesios scribit : « Ut det vobis » secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per » Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habi» tare[4]. » Porro cum Filius in nobis est, Pater quoque simul est, ut Filius ipse ita testatur, « Ego in Patre, et » Pater in me[5]. » Hinc cum Verbum in Prophetis adest, illi in ipso Spiritu sancto vaticinantur. Unde cum Scriptura dicit, et factum est verbum ad talem Prophetam, illum in Spiritu sancto vaticinari significat. Nam in Za-

[1] Psal. XXXII, 6. — [2] Psal. CXLVII, 18. — [3] 1 Cor. VI, 11. — [4] Ephes. III, 16. — [5] Joan. XIV, 11.

charia scriptum est : « Verumtamen verba mea et legitima » mea suscipite, quæ ego mando in spiritu meo servis meis » Prophetis[1]. » Paulo post etiam populum his verbis objurgat : « Et cor suum obstinatum statuerunt, ne audirent » legem meam, et verba quæ misit Dominus omnipotens » in Spiritu suo in manibus Prophetarum ejus prio- » rum[2]. » Petrus item in Actis ita loquitur : « Viri fra- » tres, oportebat impleri Scripturam quam prædixit » Spiritus[3]. » Simul vero sic clamabant Apostoli : « Do- » mine, qui fecisti cœlum et terram et mare et omnia » quæ in eis sunt, qui Spiritu sancto per os Patris nostri » David, pueri tui, dixisti[4]. » Paulus quoque cum Romæ versaretur, Judæis ad se venientibus fidenter aiebat : « Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam » Prophetam ad Patres vestros. » Et ad Timotheum hæc scribit : « Spiritus autem manisfeste dicit, quia in novis- » simis temporibus discedent quidam a sana fide, atten- » dentes spiritibus erroris[5]. » Quocirca cum Spiritus dicitur in aliquo esse, Verbum in ipso dans Spiritum intelligitur. Hinc cum impleretur prophetia, quæ dicit : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem[6], » Paulus ait, « Secundum subministrationem Spiritus Jesu » Christi in me[7]. » Et ad Corinthios idem scribit : « An » experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chris- » tus[8]? » Si porro Christus erat qui in eo loquebatur, manifestum est Christi fuisse Spiritum qui in illo loquebatur. Etenim cum Christus in Actis in ipso loqueretur, rursus ille dicebat : « Et nunc ecce alligatus ego Spiritu, » vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sunt mihi igno- » rans, nisi quod Spiritus sanctus per civitates protesta- » tur mihi dicens, quoniam vincula et tribulationes me

[1] Zach. I, 6. — [2] Zach. VII, 12. — [3] Act. I, 16. — [4] Ibid. IV, 24. — [5] 1 Tim. IV, 1. — [6] Joel. II, 28. — [7] Phil. I, 19. — [8] 2 Cor. XIII, 3.

» manent[1]. » Unde cum Sancti dicunt, « Hæc dicit Do-
» minus, non aliter sane quam in Spiritu sancto loquuntur, et in Spiritu loquentes, in Christo hæc eadem loquuntur. Quod si Agabus in Actis dicat, « Hæc dicit Spi-
» ritus sanctus[2], » non aliter item intelligendus est quam quod, cum ad ipsum factum fuisset Verbum, Spiritus suggerebat quæ in eo loqueretur, ut et quæ Paulo Jerosolymis ventura erant denuntiaret. Profecto cum Spiritus Paulo iterum protestaretur, ipse Christus in eo loquebatur; ita ut Spiritus testimonium, sit quoque Verbi testimonium. Sic etiam cum Verbum in sanctam Virginem Mariam advenit, simul quoque adfuit Spiritus, et Verbum in Spiritu sibi ipsi corpus formavit et aptavit, res creatas per seipsum Patri conjungere et offerre, omniaque in illo reconciliare cupiens, « pacificans sive quæ
» in cœlis sive quæ in terris sunt[3].

XXXII. Itaque ex divinarum Scripturarum consensu evidens est Spiritum sanctum rem creatam non esse, sed proprium esse Verbi et Patris divinitatis. Sic enim Sanctorum doctrina ad sanctam et individuam Trinitatem astruendam conspirat, eaque una est catholicæ Ecclesiæ fides. At absurdæ Tropicorum fabulæ a Scripturis valde dissentiunt, consentiuntque omnino cum Arianorum hæresi : unde verisimile sit illos non alia de causa ita dissimulare, nisi ut facilius simplices deciperent. Sed gratiæ Domino habendæ quod, ut scribis, fictam suam cum Arianis contentionem obtegere non potuerint. Siquidem et illorum odium in se ipsos concitaverunt, ut qui solum Spiritum non autem Verbum rem creatam esse dicant : et ab aliis omnibus reprobantur, quod liqueat vere eos bellum contra factum Spiritum gerere, ac proinde brevi fore mortuos, utpote Spiritu vacuos et destitutos.

[1] Act. xx, 22. — [2] Act. xxi, 11. — [3] Coloss. i, 20.

Nempe quia sunt animales homines, non potuerunt, ut docet beatus Apostolus, percipere quæ sunt Spiritus Dei, utpote qui spiritualiter dijudicarentur [1]. At qui ea quæ sunt veritatis sapiunt, omnia quidem dijudicant, ipsi vero a nemine dijudicantur, quandoquidem Dominum in seipsis habent, qui illis et seipsum et per seipsum Patrem in Spiritu patefacit.

XXXIII. Ego itaque tametsi in solitudine degens, tamen propter eorum impudentiam qui a veritate deflexerunt, nihil omnino de illis curans, quibus forte meæ ratiocinationes infirmæ et humiles atque adeo irridendæ videbuntur, hæc pauca quæ scripsi, ad tuam pietatem placuit mittere, teque vehementer rogo, ut in his legendis, alia quidem emendes, vero quæ infirma occurrent, mihi condones. Siquidem nihil ipse tradidi nisi secundum apostolicam fidem, prout ea nobis a patribus tradita est, nihilque externum sum commentus, sed quod didici, juxta mentem sanctarum Scripturarum his litteris exaravi. Id enim optime cum his congruit, quæ ad veritatis confirmationem ex sanctis Scripturis adduximus. Non ergo extrinsecus accersita est hæc nostra doctrina : sed ipse Dominus Jesus Christus per seipsum quidem Samaritanam ac nos per illam deinde docuit, quam perfecta et absoluta sit sancta Trinitas, eamque individuam ac unam divinitatem existere. Id, inquam, ipsa testatur veritas, ubi Samaritanæ ait : « Crede mihi, mulier, quia venit hora » et nunc est cum veri adoratores adorabunt Patrem in » Spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit qui ado» rent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, » in spiritu et veritate oportet adorare [2]. » Inde enim perspicuum est veritatem ipsum esse Filium, ut ipse ait, « Ego sum veritas [3], » quem et Propheta David his ver-

[1] 1 Cor. II, 14. — [2] Joan. IV, 21. — Joan. XIV, .

bis invocabat : « Emitte lucem tuam et veritatem » tuam[1]. » Veri igitur adoratores Patrem quidem adorabunt, sed in Spiritu et veritate, Filium videlicet et in Filio Spiritum confitendo. Nam a Filio separari non potest Spiritus, uti nec a Patre Filius, quemadmodum ipsa veritas his verbis docet : « Mittam vobis Paraclitum, » Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, quem mundus » onn potest accipere[2], » hoc est, qui eum ex Patre in Filio esse negant. Qui igitur voluerint veros imitari adoratores, eos veritatem confiteri et amplecti necesse omnino est. Quocirca illi, quos hic refellendos suscepi, si nec post hæc velint quod verum est discere, nec intelligere possint ; saltem impia proferre desinant, nec Trinitatem audeant separare, ne ipsi a vita separentur ; nec Spiritum sanctum inter res creatas numerent, ne quemadmodum sancti Spiritus opera Pharisæi olim Beelzebuli attribuebant, sic et illi paris audaciæ rei, hic et in futura vita æterno supplicio sine ulla spe veniæ cum illis afficiantur.

1 Psal. XLII, 3. — 2 Joan. XV. 26, et XIV, 17.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

AD EUMDEM EPISCOPUM SERAPIONEM

EPISTOLA II

Adversus eos qui Filium rem creatam esse contendunt.

I. Ego quidem pauca me ita scripsisse existimabam : atque adeo me ipse maximæ imbecillitatis accusabam, qui nec tantum scribere potuissem, quantum adversus eos qui in Spiritum sanctum impii sunt, licet hominibus dicere. Quando vero, ut scribis, quidam ex fratribus postulaverunt ut hæc in compendium redigerentur, quo paratiores ac promptiores esse possint, cum ad breviter respondendum his qui ipsos de fide nostra interrogant, tum ad impios refutandos : id ego eo majore fiducia suscepi, quod, cum recta sis præditus conscientia, si quid omissum fuerit, tu ipse non ægre supplebis. Ariani toti ad seipsos conversi, nihilque aliud neque quod extra ipsos positum est, more Sadducæorum, cogitantes, divinam Scripturam humanis ratiociniis expendunt. Cum igitur Filium, Patrem sapientiam, splendorem, et Verbum

esse audiunt, percontari solent, qui istud possit esse? quasi id esse non possit quod ipsi intelligere non queunt. Certe idem peræque possumus de universo mundo inquirere : Quomodo res quæ aliquando non erat, potuit fieri? Quomodo pulvis terræ potuit effici homo ratione præditus? Quomodo quod corruptioni subjectum est, incorruptum fieri potest? Quomodo terra super maria fundata est, et super flumina præparavit eam Deus[1]? Denique nihil aliud superest quam ut ipsi sibi dicant, « Manduce- » mus et bibamus, cras enim moriemur[2], » ut videlicet corruptis illis, simul corrumpatur insana eorum hæresis.

II. Nihil igitur nisi mortale et corruptum est in hac Arianorum sententia. At veritatis sermo, quem utique illos meditari decebat, hujusmodi est : Si fons, si lux, si pater est Deus, nefas certe dictu est, vel fontem aridum, vel lucem sine splendore, vel Deum sine Verbo sive ratione esse; ne videlicet sapientiæ, rationis et splendoris expers credatur Deus. Itaque quia æternus est Pater, necesse est Filium esse quoque æternum. Quæcumque enim in Patre esse intellexerimus, non est dubitandum quin hæc eadem sint in Filio, cum ipse Dominus dicat : « Omnia quæcumque habet Pater mea sunt[3], » et mea omnia Patris sunt. Itaque æternus est Pater : æternus item est Filius; siquidem per illum facta sunt sæcula[4]. Vere est Pater : vere quoque necessario est Filius, « qui » est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen[5], » ut ait Paulus. Non licet de Patre dicere, fuit aliquando, cum non esset : nefas similiter est de Filio dicere, fuit aliquando, cum non esset. Omnipotens est Pater : omnipotens etiam est Filius, Joanne dicente : « Qui est, qui

[1] Psal. XXIII, 2. — [2] I Cor. XV, 32. — [3] Joan. XVI, 15. — [4] Hebr. I, 2.— [5] Rom. IX, 5.

» erat et qui venturus est, omnipotens[1]. » Lux est Pater : splendor et lux vera est Filius. Deus verus est Pater : Deus verus est quoque Filius. Ita enim scripsit Joannes : « Sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo. » Hic est verus Deus et vita æterna[2]. » Denique nihil habet Pater, quod non sit Filii. Idcirco enim Filius in Patre et Pater in Filio est, quia quæ sunt Patris, hæc in Filio sunt, et rursus eadem in Patre intelliguntur. Ita sane istud intelligi debet : « Ego et Pater unum sumus[3], » quia non alia sunt in Patre et alia in Filio, sed quæ in Patre sunt, eadem sunt in Filio. Unde quia quæ in Patre vides, vides quoque in Filio, recte illud intelligitur, « Qui » videt me, videt Patrem[4]. »

III. His ergo ita confirmatis, impius sine dubio ille habendus est qui Filium rem creatam esse contendit. Hinc enim fateri cogetur rem creatam ipsum quoque esse fontem, unde emanat creata sapientia et Verbum in quo omnia, quæ Patris sunt, existunt. Præterea vel ex his comprehendi potest quam futilis sit Arianorum hæresis. Nempe quorum sumus similes, eamdem quoque quam illi naturam habemus, atque adeo consubstantiales sumus. Quia igitur homines similes sumus et eadem nobis est natura : sumus idcirco invicem consubstantiales. Eadem enim omnibus est mortalitas, corruptio, mutabilitas, et origo ex nihilo. Angeli pariter inter se aliaque omnia naturæ similitudine secum conveniunt. Scrutentur ergo homines plus æquo curiosi, si inter Filium et res creatas intersit aliqua similitudo, vel si ea quæ in Filio sunt, in rebus factis reperire possint, quo illis liceat Verbum Dei rem creatam appellare. Verum id nunquam invenient viri perquam temerarii atque a vera pietate aberrantes. Nam in rebus creatis nihil est omni-

[1] Apoc. I, 8. — [2] I Joan. V, 20. — [3] Joan. X, 30. — [4] Joan. XIV, 9.

potens, nullaque in alterius sed solius Dei est potestate. Siquidem « Cœli enarrant gloriam Dei. » Et, « Domini » est terra et plenitudo ejus. Mare vidit et fugit[1]. » Omnia denique creatori famulantur, faciuntque verbum ejus, et ejus mandato obediunt. At Filius omnipotens est, ut Pater, quod utique et scriptum et ostensum est. Item nihil inter res creatas natura immutabile est. Siquidem quidam ex Angelis ordinem suum non servaverunt, et « Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus[2] : » Diabolus e cœlis cecidit, Adam prævaricatus est : postremo cunctæ res mutantur. Filius vero immutabilis est ut Pater, idque Paulus ex centesimo primo Psalmo, his verbis docet : « Et tu in principio, Domine, terram » fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli : ipsi » peribunt, tu autem permanebis : et omnes ut vesti- » mentum veterescent, et velut amictum mutabis eos, et » mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non » deficient[3]. » Et iterum : « Jesus Christus heri, et » hodie : ipse et in sæcula[4]. »

IV. Præterea quidquid est factum, factum est cum antea nihil esset. Nam terram, quæ antea nihil erat, fecit. Et qui « Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt[5]. » Atqui res factæ, sunt item creatæ. Idcirco enim initium existendi habent. Nam « In principio fecit Deus cœlum » et terram[6], » nec non omnia quæ in eis sunt. Et iterum : « Manus mea fecit hæc omnia[7]. » Filius autem, ut Pater, Deus est super omnia, quod quidem probatum est; nec est res quæ fit, sed ipse res facit : nec denique creatur, sed ipse Patris opera creat et facit[8]. Nam per ipsum et sæcula et omnia facta sunt, et sine ipso factum est

[1] Psal. XVIII ; Psal. XXIII ; Psal. CXIII, 3 ; Psal. CII, 20. — [2] Jud. 6 ; Job XXV, 5. — [3] Hebr. I, 10. — [4] Ibid. XIII, 8. — [5] Rom. IV, 17. — [6] Gen. I, 1. — [7] Isai. LXVI, 2. — [8] Hebr. I, 2 ; Joan. I, 3.

nihil : atque, ut Apostolus ex Psalmo ostendit, ipse initio terram fundavit, et opera manuum ejus sunt cœli [1]. Insuper, nulla res creata natura Deus est, sed singulæ quod factæ sunt, idipsum appellatæ sunt : hinc alia, cœlum : alia, terra dicta est : aliæ, luminaria : aliæ, astra : aliæ, maria, abyssi et quadrupedes, aliaque homo : ut et ante res illas Angeli, Archangeli, Cherubim, Seraphim, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Paradisus : atque ita res illæ singulæ perseverant. Quod si nonnulli dii appellati sunt : certe non ex natura, sed quod Filii participes facti sint, id nomen sunt consecuti. Sic enim ipse ait : « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus » est [2]. » Unde quia natura non sunt dii, fit aliquando ut quidam mutentur, hæcque audiant : « Ego dixi, dii estis » et filii Excelsi omnes. Vos autem, sicut homines, mori» mini [3]. » Talis ille erat cui dictum est : « Tu vero » homo es et non Deus. » At Filius, Deus verus est, non secus ac Pater. In ipso siquidem est, et Pater in Filio, quemadmodum Joannes scripsit, uti ostensum est. David autem psallit : « Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. » Virga æquitatis, virga regni tui [4]. » Et Propheta Esaïas clamat : « Laboravit Ægyptus, et negotiatio Æthiopiæ et » Sabaïm viri excelsi ad te transibunt, et te sequentur » vincti manicis, et adorabunt te, quia in te Deus est. Tu » enim es Deus Israël, et nesciebamus [5]. » Quis vero Deus est, in quo est Deus, nisi Filius qui dicit : « Ego in Patre, » et Pater in me est [6]? »

V. Quæ cum ita se habeant ac conscripta sint, quis non videt Filium Patri esse consubstantialem, quandoquidem nihil simile habet cum rebus creatis, sed quæcumque sunt Patris, sunt etiam Filii? Quemadmodum enim si quam

[1] Psal. ci, 26 ; Hebr. i, 10. — [2] Joan. x, 35. — [3] Psal. lxxxi, 6. — [4] Ps. xliv, 7. — [5] Isai. xlv, 14. — [6] Joan. xiv, 10.

cum rebus creatis similitudinem et cognationem haberet, illis consubstantialis esset : ita quia ab iisdem secundum substantiam alius est, propriumque Patris est Verbum, nec alius ab illo est : cum item omnia quæ Patris sunt, ejusdem propria sint; verum sane est eum Patri consubstantialem esse. Hæc siquidem fuit mens et sententia Patrum, cum in Nicæna Synodo Filium consubstantialem et ex substantia Patris esse confessi sunt. Recte enim perspexerunt nullam creatam substantiam posse unquam dicere : « Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt[1]. » Nam cum existendi initium habeat, eam et proprie esse et semper fuisse dici nequit. Ac proinde quia hæc Filio conveniunt, et omnia, quæ Patris esse dictum est, Filii quoque sunt; necesse est Filii substantiam non esse creatam, sed Patri consubstantialem. Unde cum alias ob causas, tum certe idcirco creata dici non potest substantia, quod proprietatum Dei capax sit. Proprietates autem ejus appello, ex quibus Deus cognoscitur, ut quod sit omnipotens, quod proprie sit, quod sit immutabilis, aliaque superius dicta, ne videlicet ipse Deus rebus creatis, uti volunt insipientes, consubstantialis esse videretur, ea nempe habens quæ illæ habere possent.

VI. Sic autem etiam refutari potest eorum impietas qui Dei Filium rem creatam esse pugnant. Nempe fides nostra est in Patrem, Filium et Spiritum sanctum, ipso Filio ad Apostolos dicente : « Euntes, docete omnes gen-» tes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus » sancti[2]. » Quibus sane verbis usus est, ut ex his quæ novimus, ea quæ dicta sunt intelligeremus. Quemadmodum ergo patres non opifices sed genitores appellamus, ac proinde nemo nos a patribus creatos, sed patrum esse natura filios et consubstantiales dicere possit :

[1] Joan. XVI, 15. — [2] Matth. XXVIII, 19.

ita si Pater est Deus, profecto Pater est Filii qui sit natura filius, ipsique proinde consubstantialis. Hinc Abraham non creavit sed genuit Isaac[1]. Beseleel autem et Eliab non genuerunt, sed fecerunt omnia opera quæ in tabernaculo erant. Similiter navium et ædificiorum fabricatores non gignunt quæ faciunt : sed illi quidem navem, hi domum construunt. Sic item Isaac non fecit, sed genuit sibi natura consubstantialem Jacob, ut et Jacob Judam ac fratres ejus. Quocirca ut is sana mente non esset, qui domum vel navem opifici esse consubstantialem diceret : ita profecto fateri convenit omnem filium suo Patri esse consubstantialem. Quapropter si vere et Pater et Filius est, necesse omnino est Filium natura et veritate filium, hoc est Patri consubstantialem esse, quod quidem multis demonstratum est. Certe de operibus dicitur : « Ipse » dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt[2]. » De Filio autem : « Eructavit cor meum Verbum bo» num[3]. » Daniel quoque Filium Dei optime noverat : noverat et Dei opera. Itaque Filium quidem flammas fornacis rore irrigantem vidit : at cum de operibus dixisset, « Benedicite omnia opera Domini Domino[4], » singulas quidem res creatas enumeravit : sed inter eas Filium minime collocavit : quippe qui non esset nescius illum, opus non esse, sed per ipsum facta esse opera, eumque in Patre laudari et superexaltari. Igitur quemadmodum Dei cognitio per ipsum Verbum habetur : ita per ipsum et in ipso benedictio, laus, gloria et potentia Patri concinitur, quo grata et accepta sit hujusmodi confessio, sicuti Scripturæ testantur. Itaque cum ex multis rationibus, tum ex istis perspicuum et evidens est impium eum esse quicumque Dei Verbum rem creatam esse contendit.

VII. Verum cum maxime his Proverbiorum verbis

[1] Exod. XXXVI, 1. — [2] Psal. CXLVIII, 5. — [3] Psal. XLIV. — [4] Dan. III, 57.

niti videantur, « Dominus creavit me initium viarum » suarum in opera sua[1], » atque ad hunc modum concludant : ecce igitur creavit, ac proinde res est creata ; e re sane fuerit ex hoc etiam loco ostendere quantum illi hallucinentur, et a scopo divinæ Scripturæ aberrent. Enimvero si Filius est : res creata ne dicatur : sed si res est creata, Filius non appelletur. Namque supra probatum est, quantum esset rei creatæ et Filii discrimen. Deinde, cum initiatio sive Baptismus non in nomine creatoris et rei creatæ, sed in nomine Patris et Filii perficitur, necesse est Dominum non rem creatam sed Filium vocari. At, inquiunt, an non id scriptum est? Ita sane scriptum est et necessario dictum : sed hæretici quod bene dictum est, male profecto intelligunt. Si enim Christianismi formam et caracterem intelligerent cognoscerentve, Dominum gloriæ rem creatam esse nequaquam dicerent, neque quod recte scriptum est, illis instar scopuli esset. Hi igitur « nescierunt neque intellexerunt, » quam ob rem, uti scriptum est, « in tenebris ambulant[2].» Verumtamen rem explicare necesse est, cum ut illi etiam hoc in loco desipere convincantur, tum ne nos ipsi refutationem illorum impietatis prætermisisse videamur, ac denique fortasse ut iidem ipsi quoque resipiscant. Is est itaque Christianæ fidei caracter, Filium Dei, qui Verbum Deus est, (nam « In principio erat Verbum et Deus » erat Verbum[3] ») qui sapientia et virtus Patris est, (Christus enim Dei virtus et Dei sapientia) in fine sæculorum hominem propter nostram salutem factum esse. Joannes enim qui dixit, « In principio erat Verbum, » mox subjecit, « et Verbum caro factum est[4], » quod idem est ac si diceret, homo factus est. Quin etiam ipse Domi-

[1] Prov. VIII, 22. — [2] Psal. LXXXI, 5. — [3] Joan. I, 1 ; 1 Cor. I, 24. — [4] Joan. I, 14.

nus de seipso aiebat : « Quid me quæritis interficere, ho-
» minem qui veritatem vobis locutus sum[1]? » Paulus vero ab eodem doctus scribit : « Unus Deus, unus et me-
» diator Dei et hominum, homo Christus Jesus[2] : » homo, inquam, factus, qui rebus humanis optime administratis, et morte, cujus rei eramus, fugata ac destructa, jam ad dextram Patris sedet, in quo et ipse est, et Pater in ipso sicuti fuit et est semper.

VIII. Hæc ergo vera est Christianæ fidei forma ex Apostolis per patres derivata. Cæterum qui Scripturæ lectioni vacat, perpendere et discernere debet, quandonam de divinitate Verbi loquatur, quando vero de humanis ejus actis : ne alia pro aliis intelligendo hallucinemur, quod utique Arianis accidit. Quemadmodum igitur nos qui Verbum agnoscimus, novimus quoque quod « Omnia » per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil[3]. » Et, « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Et, « Mittit Ver-
» bum suum et sanat omnia[4]. » Similiter illum sapientiam esse agnoscentes, Deum sapientia fundasse terram, et Patrem omnia in sapientia fecisse certum habemus. Ipsum itidem Deum confitentes, Christum esse credimus. Nam « Sedes tua, Deus, » canit David, « in sæculum sæ-
» culi. Virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justi-
» tiam et odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus,
» Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis[5]. » Ipse vero in Esaia de seipso dicit : « Spiritus Domini super
» me, cujus causa unxit me[6]. » Petrus autem confessus est, quia « Tu es Christus Filius Dei viventis[7]. » Ita, eum hominem factum esse scientes, non negamus quæ de illo humanitus sunt dicta, qualia sunt esurire, sitire, alapis

[1] Joan. VII, 19; Ibid. VIII, 40. — [2] I Tim. II, 5. — [3] Joan. I, 3. — [4] Ps. XXXII, 6; Psal. CVI, 20; Prov. III, 19; Psal. CIII, 24. — [5] Psal. XLIV, 7. — [6] Isai. LXI, 1. — [7] Matth. XVI, 16.

percuti, lacrymari, dormire, ac demum mortem pro nobis in cruce suscipere. Hæc enim omnia de illo scripta sunt. Illud quoque verbum, « creavit,» quod quidem hominibus convenit, non reticuit Scriptura, sed expressit. Nos enim homines creati et facti sumus. Sed quemadmodum cum audimus, esurivit, dormivit, alapis percussus est, ejus divinitatem non negamus : sic cum hanc vocem, « creavit, » audimus, meminisse æquum est eum qui Deus erat, hominem creatum esse. Siquidem hominum proprium est creari, ut et cætera supra allata, esurire et similia.

IX. Istud quoque recte dictum est, quod male ab illis intelligitur, nempe, « De die autem illo vel hora nemo » scit, neque Angeli, neque Filius[1]. » Hæc, inquam, rectam continent sententiam. At illi ex his verbis, « neque » Filius,» putant cum ille se ignorare asseverat, rem creatam se esse significare. Verum non ita est, absit. Etenim quemadmodum cum dixit, « creavit me, » humanam naturam designabat : ita cum ait, « neque Filius, » eamdem humanam naturam denotabat. Et quidem causa cur ita locutus sit, valde consentanea est. Quia enim homo factus est, uti scriptum est, et hominum proprium sit ignorare, ut et esurire cæteraque id genus : (namque nihil homines cognoscunt nisi audierint et didicerint,) idcirco hominum ignorantiam, quatenus homo factus, præ se ferre voluit : primum quidem ut ostenderet se vere corpus humanum habere; deinde ut hominum ignorantiam in corpore gerens, naturam humanam ab omnibus liberaret et purgaret, perfectamque ac sanctam Patri exhiberet. Quid igitur Arianis superest quod possint opponere? Quid novi ad obganniendum excogitabunt? Siquidem dilucide ostendimus eos has voces non intelligere,

[1] Marc. XIII, 32.

« Dominus creavit me in opera sua : » et, « de die autem » illo nemo scit neque Angeli, neque Filius. » Etenim ut hoc verbo, « creavit, » humanam naturam significat, quia vere homo factus et creatus est : ut item cum ait, « Ego et Pater unum sumus, » et, « Qui videt me, videt » et Patrem[1], » et, « Ego in Patre et Pater in me[2], » suam æternitatem et consubstantialitatem cum Patre denotat; ita hæc verba, « Nemo scit neque Filius, » tanquam homo usurpat, quia nempe proprium hominum sit ignorare. Enimvero ille qui dicit, « Nemo novit Patrem nisi » Filius, neque Filium nisi Pater[3], » multo magis res creatas idem noverit. Hinc Discipuli apud Joannem Domino aiebant : « Nunc scimus quia scis omnia[4]. » Itaque manifestum est nihil plane esse quod Christus ignoret, cum ipse sit Verbum per quod omnia facta sunt. Quocirca quia dies illa aliquid est ex omnibus, non dubium est quin per ipsum ipsa quoque futura sit, etiamsi Ariani præ sua ignorantia sexcenties dirumpantur.

[1] Joan. x, 30. — [2] Joan. xiv, 9. — [3] Matth. xi, 27. — [4] Joan. xvi, 30.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

AD EUMDEM SERAPIONEM EPISCOPUM,

EPISTOLA III

De Spiritu sancto.

I. Admirabere forsitan, quare cum jussus sim epistolam de sancto Spiritu in compendium redigere, remque paucis explicare, me videas tamen eam pertractare supersedentem adversus eos scribere qui de Filio Dei impie sentiunt, dicuntque rem creatam illum esse. At perspectum est mihi te nequaquam reprehensurum, ubi causam didiceris; immo potius rem probatam fore pietati tuæ, cum viderit quam consentanea ratione ductus sim. Enimvero quia ut ait ipse Dominus : « Paracletus non lo- » quetur a semetipso : sed quæcumque audiet loquetur, » quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis[1]. » Quia item cum insufflasset, ex seipso dedit illum Discipulis : eoque pacto illum Pater effudit super omnem carnem,

[1] Joan. xvi, 13 ; Joan. xx, 32.

sicut scriptum est [1] : idcirco jure ac merito ante a me de Filio Dei actum scriptumque est; ut ex cognitione Filii, valeamus et Spiritus sancti rectam assequi notitiam. Qualem enim scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eamdem ad Filium habere Spiritum sanctum comperiemus. Et quemadmodum Filius dicit : « Omnia quæcum- » que habet Pater, mea sunt [2], » ita hæc omnia per Filium in Spiritu esse deprehendemus. Ac sicut Pater Filium his verbis indicat : « Hic est Filius meus dilectus, in quo » mihi complacui [3]; » ita quoque Filii est Spiritus : « Misit enim, » ait Apostolus, « Spiritum Filii sui in » corda nostra clamantem, Abba Pater [4]. » Et quod mirabile est, quemadmodum Filius dicit : Quæ mea sunt, Patris sunt; sic Patris est Spiritus sanctus, qui dictus est esse Filii. Siquidem ipse Filius ait : « Cum venerit Para- » cletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus verita- » tis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit » de me [5]. » Paulus autem scribit : « Nemo scit quæ sunt » hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est : ita et » quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, qui » est in ipso. Nos autem non Spiritum hujus mundi acce- » pimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a » Deo donata sunt nobis [6]. » Quin et in tota divina Scriptura reperies, Spiritum sanctum qui dicitur Filii, eumdem dici esse Dei : quod in superioribus scriptum a nobis est. Proinde si Filius, propter suam proprietatem ad Patrem, et quod sit ejus substantiæ proprius fœtus, non est creatura, sed Patri consubstantialis; sic nec Spiritus sanctus fuerit creatura : quin etiam qui hoc dicit impius est, ob proprietatem scilicet ejus ad Filium; et

[1] Joel. II, 29. — [2] Joan. XVI, 15. — [3] Matth. III, 17. — [4] Galat. IV, 6. — [5] Joan. XV, 26. — [6] I Cor. II, 11.

quia ex ipso datur omnibus, et quæ habet ille Filii sunt.

II. Sat quidem hæc fuissent ad persuadendum vel cuivis contentioso, ne post hæc diceret creaturam esse Dei, eum qui est in Deo, quique profunda Dei scrutatur, et ex Patre per Filium datur : ne hinc adigeretur ut Filium quoque diceret creaturam, qui est Verbum, sapientia, figura, splendor : quem qui videt, videt et Patrem; ac ne deinceps audiret : « Qui negat Filium, ne» que Patrem habet[1]. » Ejusmodi quippe homo paulatim progrediens dicturus est ut ille insipiens : « Non est » Deus[2]. » Attamen ut pluribus argumentis impii convincantur, operæ pretium fuerit, ex quibus Filius demonstratur non esse creata res, ex iisdem probare nec Spiritum sanctum esse rem creatam. Ex non extantibus sunt res creatæ, et initium habent existendi : nam, « In principio fecit Deus cœlum et terram[3], » et et quæ in illis sunt. At Spiritus sanctus ex Deo est diciturque, ut ait Apostolus. Quod si Filius quia non est ex non extantibus, sed ex Deo, non potest esse creatura : ergo nec Spiritus sanctus est creatura : quandoquidem in confesso est eum ex Deo esse. Nam creaturæ sunt ex non extantibus.

III. Rursum unctio et signaculum dicitur et est Spiritus sanctus. Scribit enim Joannes : « Et vos unctionem » quam accepistis ab eo manet in vobis. Et non necesse » habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus, » spiritus ejus docet vocet de omnibus[4]. » In Hæsaïa Propheta scriptum est : « Spiritus Domini super me, eo » quod unxerit me[5] : » Paulus autem sic scribit : « In » quo et credentes signati estis[6] : » Et iterum, « Nolite

[1] 1 Joan. II, 23. — [2] Psal. XIII, 1. — [3] 1 Gen. I. — [4] 1 Joan. II, 27. — [5] Isai. LXI, 1. — [6] Ephes. I, 13.

» contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis, » in diem redemptionis[1]. » Creatæ autem res in hoc unguntur et signantur : quod si creatæ res in hoc unguntur et signantur, nequaquam creatura fuerit Spiritus : neque enim simile est quod ungit iis quæ unguntur. Etenim hæc unctio flatus est Filii ; ut qui habet Spiritum dicat : « Christi bonus odor sumus[2]. » Porro signaculum Filium exprimit, ita ut quod signatur Christi formam habeat, dicente Apostolo : « Filioli mei, quos » iterum parturio, donec formetur Christus in vobis[3]. » Quod si Spiritus bonus, odor et forma Filii est, palam est Spiritum non esse creaturam, quandoquidem nec Filius, cum in forma Patris sit, est creatura. Sicut enim qui videt Filium videt Patrem ; sic qui habet Spiritum sanctum, habet et Filium, et si habet illum, templum est Dei, ut Paulus scribit : « Nescitis quia templum Dei » estis, et Spiritus Dei habitat in vobis[4]. » Joannes autem ait : « In hoc cognoscimus, quoniam in Deo mane- » mus, et ipse in nobis : quoniam de Spiritu suo dedit » nobis[5]. » Quod si Filium quia in Patre est, et Pater in ipso, confiteamur non esse creaturam ; prorsus necesse est, nec Spiritum esse creaturam : in ipso namque Filius est, et ipse in Filio. Quapropter qui Spiritum accipit, templum Dei est. Rursum hinc rem animadvertere licet, si Filius, Dei Verbum est, unus est sicuti Pater. « Unus enim Deus ex quo omnia, et unus Dominus Je- » sus Christus[6] : » ideoque unigenitus Filius dictus scriptusque est : creaturæ autem multæ ac variæ sunt, Angeli, Archangeli, Cherubim, Principatus, et cætera, uti dictum est. Quod si quia Filius non est multorum, sed unus est, sicuti Pater est unus, non est creatura ;

[1] Ephes. IV, 30. — [2] 2 Cor. II, 15. — [3] Galat. IV, 19. — [4] 1 Cor. III, 16. — [5] 1 Joan. IV, 13. — [6] 1 Cor. VIII, 6.

ergo nec Spiritus sanctus (oportet enim ex Filio Spiritus sancti assequi notitiam) creatura fuerit. Non enim multorum est, sed unus est et ipse.

IV. Et hoc probe norat Apostolus qui ait : « Hæc au- » tem omnia operatur unus atque idem Spiritus, divi- » dens singulis prout vult[1] : » et paulopost : « In uno » Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus : et » omnes uno Spiritu potati sumus[2]. » Ac rursum, quoniam ex Filio Spiritus cognitio accipienda est, convenit etiam ex ipso demonstrationes proferre. Igitur ubique Filius est cum in Patre sit, et Pater in ipso. Nam omnia tenet et complectitur : scriptumque est : « In ipso om- » nia constant » cum visibilia tum invisibilia, « et » ipse est ante omnes[2]. » Creaturæ autem in divisis sunt locis : sol quidem et luna cæteraque luminaria in firmamento, in cœlo Angeli, et homines in terra. Quod si Filius cum non in divisis locis, sed in Patre sit, ubique est, et cum extra omnia sit, non est creatura, consequenter nec Spiritus sanctus creatura fuerit, cum non sit in divisis locis, sed omnia impleat, ac extra omnia sit. Ita enim scriptum est : « Spiritus Domini replevit » orbem terrarum[3] : » Davidque canit : « Quo ibo a » Spiritu tuo[4], » quasi non sit ipse in loco, sed extra omnia, atque in Filio sit, sicut Filius est in Patre : ideo enim nec ipse creatura est, ut demonstratum fuit. Ad hæc omnia, hinc validius confutabitur ariana hæresis, ac rursum ex Filio perspicua fiet Spiritus sancti cognitio. Creator itaque est Filius sicuti Pater : « Quæ » enim, » inquit, « video Patrem facientem, hæc et ego » facio[5]. Omnia » igitur « per ipsum facta sunt, et sine » ipso factum est nihil[6]. » Si vero Filius creator cum sit,

[1] 1 Cor. XII, 11 et 13.— [2] Coloss. I, 17.— [3] Sap. I, 7.— [4] Psal. CXXXVIII, 7. — [5] Joan. V, 19. — [6] Joan. I, 3.

quemadmodum Pater ; non est creatura : et si, quia omnia per ipsum creantur, non est ipse ex rebus creatis : ergo nec Spiritus sanctus creatura est. Quandoquidem de illo scriptum est Psalmo centesimo tertio : « Auferes » Spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum re» vertentur. Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et » renovabis faciem terræ[1]. »

V. Cum hoc igitur ita scriptum sit, manifestum est, Spiritum non esse creaturam, sed in creando adesse. Pater enim per Verbum in Spiritu creat omnia, quandoquidem ubi Verbum, illic et Spiritus : et quæ per Verbum creantur, habent ex Spiritu per Filium vim existendi. Ita enim scriptum est trigesimo secundo Psalmo : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus » omnis virtus eorum[2]. » Nimirum ita Spiritus indivisus est a Filio, ut ex supra dictis nullus supersit dubitandi locus. Quando namque Verbum factum est ad Prophetam, quæ a Verbo prodibant, in Spiritu loquebatur Propheta. Sic enim scriptum est, in Actibus Petro dicente : « Viri fratres, oportebat impleri scripturam, » quam prædixit Spiritus sanctus[3] : » apud Zachariam vero cum Verbum ad illum factum esset, scriptum est : « Verumtamen verba mea, et legitima mea suscipite, » quæcumque ego præcipio in Spiritu meo, Prophetis[4].» Et paulopost populum coarguendo hæc ait : « Cor suum » posuerunt inobsequens, ne audirent legem meam, et » verba quæ misit Dominus omnipotens, in Spiritu » suo, per manus Prophetarum priorum[5]. » Item Christo loquente in Paulo, ut ipse ait : « An experimentum quæ» ritis ejus qui in me loquitur Christi[6] ? » Nihilominus Spiritum sanctum habebat ille, qui sibi verba suppedi-

[1] Psal. CIII, 29. — [2] Psal. XXXII, 6. — [3] Act. I, 16. — [4] Zach. I, 6. — [5] Zach. VII, 12. — [6] 2 Cor. XIII, 3.

taret : sic enim ipse scribit : « Secundum subministra» tionem Spiritus Jesu Christi in me[1]. » Rursumque Christo in se loquente ait : « Nisi quod Spiritus sanctus » per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam » vincula et tribulationes me manent[2]. » Non enim extra Verbum est Spiritus : sed cum sit in Verbo, per ipsum in Deo est ; ita ut dona in Trinitate tribuantur. Nam in horum divisione, ut ad Corinthios scribit, idem Spiritus est, et idem Dominus, idemque Deus qui operatur omnia in omnibus. Ipse namque Pater per Filium in Spiritu operatur et dat omnia.

VI. Sane cum Corinthiis bene precaretur, in Trinitate precabatur, his verbis : « Gratia Domini Jesu » Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti Spiri» tus sit cum omnibus vobis[3]. » Nam cum participes simus Spiritus, Verbi gratiam habemus, et in ipso, Patris caritatem. Porro ut una est Trinitatis gratia, sic indivisa est Trinitas : quod etiam videre est in ipsa sancta Maria. Angelus enim Gabriel missus ut annunciaret illi Verbi descensum in illam fore : « Spiritus sanctus, » ait, « superveniet in te[4] : » sciens in Verbo esse Spiritum, proindeque statim addidit, « Et virtus Altissimi obum» brabit tibi. Christus enim Dei virtus et Dei sapientia » est[5]. » Cum autem Spiritus sit in Verbo, palam est, etiam in Deo per Verbum esse Spiritum. Et ita Spiritu ad nos veniente, venient Filius et Pater, et mansionem apud nos facient[6]. Indivisa namque est Trinitas, et una ejus Divinitas : et unus Deus super omnia, per omnia et in omnibus. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ fides. In Trinitate enim ipsam fundavit et radicavit Dominus, qui ait Discipulis : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes

[1] Philip. I, 19. — [2] Act. XX, 23. — [3] 2 Cor. XIII, 13. — [4] Luc. I, 35. — [5] 1 Cor. I, 24. — [6] Joan. XIV, 23.

» eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti[1]. » Quod si Spiritus creatura esset, non eum cum Patre copulasset : ne Trinitas sibi ipsi dissimilis esset, si extraneum quidpiam et alienum ipsi adjungeretur. Quid enim Deo deerat, ut quenquam diversæ substantiæ assumeret, et cum illo glorificaretur? Absit. Non ita se res habet. « Plenus sum, » ait ipse [2]. Idcirco ipse Dominus, cum nomine Patris sui illum copulavit; ut ostenderet, non ex diversis, id est ex creatore et creatura, sanctam Trinitatem constare, sed unam ejus divinitatem esse. Hoc cum didicisset Paulus, docebat unam esse quæ in ipsa (Trinitate) daretur, gratiam, dicens : « Unus » Dominus, una fides, unum baptisma[3]. » Ut autem unum baptisma, sic et una fides. Qui enim credit in Patrem, novit in Patre Filium, et Spiritum non extra Filium : et ideo credit et in Filium et in Spiritum sanctum; quandoquidem una est Trinitatis divinitas, quæ ex uno Patre cognoscitur.

VII. Hæc est catholicæ fidei forma. Qui autem blasphemant in Spiritum, et dicunt ipsum esse creaturam, si ex iis quæ dicta sunt non resipiscunt, vel ex iis quæ dicenda sunt pudore afficiantur. Si Trinitas est et in Trinitate sita est fides, dicant unum semper Trinitas fuerit, vel an fuerit cum non esset Trinitas. Si itaque sempiterna est Trinitas, non ergo creata res est Spiritus, qui semper Verbo coexistit in ipsoque est. Nam erat cum creaturæ non essent. Quod si creatura est, cum creaturæ sint ex non extantibus, palam est fuisse cum non esset Trinitas, sed dualitas : quo quid magis impium quis dixerit? Ex mutatione et profectu dicunt constare Trinitatem, ac dualitatem quidem esse, sed expectare creaturæ productionem, ut cum Patre et

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] Isai. I, 11. — [3] Ephes. I ,

Filio copuletur et fiat Trinitas. Absit ut quid hujusmodi vel in mentem unquam Christianorum cadat. Quemadmodum enim Filius cum semper sit, non est creatura; sic quoniam semper est Trinitas, in ea nulla est creatura, atque adeo non est creatura Spiritus. Sicut enim semper fuit, ita et nunc est : et sicut nunc est, ita semper fuit, estque Trinitas, et in ipsa Pater, Filius et Spiritus sanctus. Et unus est Deus Pater, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus : qui est benedictus in sæcula. Amen. Ego quidem, ut significasti, hæc paucis conscripta ad te misi. Tu vero prudens cum sis, si quid in his deerit, id, quæso, suppleas, et domesticis fidei legas : eos autem qui per contentionem blasphemant, redarguito. Fortasse vel sero tandem resipicentes, ante insitum errorem abstergent ab anima sua. E re enim fuerit eorum, ut scriptum est, resilire, nec comperendinare : ne si permaneant, audiant quod dictum est a Domino : « Quicumque dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro[1]. »

[1] Matth. XII, 32.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

AD EUMDEM SERAPIONEM

EPISTOLA IV.

Item de sancto Spiritu.

I. Legi Epistolam a tua pietate modo scriptam, vehementerque admiratus hæreticorum impudentiam, animadverti nihil æque illis convenire ac Apostoli præceptum : « Hæreticum hominem, post unam et secun- » dam correptionem, devita : sciens quia subversus est, » qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio » condematus[1]. » Perversam enim mentem cum habeat, non ideo sciscitatur ut cum audierit obtemperet, neque ut cum didicerit, resipiscat; sed eorum causa quos ipse decepit, ne scilicet, si taceat, ab ipsis quoque damnetur. Erant sane quæ prius dicta sunt satis : sufficiebant illa tot tantaque argumenta sibi opposita, ut finem facerent

[1] Tit. III, 10.

blasphemandi in Spiritum sanctum. Verum non sat illis fuit, sed rursum impudenter sese gerunt, ut hinc palam faciant se exercitatos ad pugnandum cum Verbo, tandemque Spiritum sanctum oppugnantes, brevi fore insipientia sua mortuos. Profecto etiam si quis ad hujusmodi eorum interrogationes respondeat, nihilo minus malis excogitandis incumbent; eo solum ut quærentes non inveniant, vel audientes non intelligant. Cujusmodi porro sunt callidæ ipsorum interrogationes? Si Spiritus sanctus non sit creatura, ergo, aiunt, filius est, et fratres duo sunt Verbum atque ipse. Postea subsumunt, ut scribis : Si Spiritus sanctus a Filio accipiet, et ab ipso datur, (ita enim scriptum est, et protinus inferunt : ergo avus est Pater, et nepos ejus est Spiritus.

II. Quis hæc audiens, Christianos, et non potius paganos illos existimabit? Nam talia pagani adversum nos inter se colloquuntur. Quis volet ad ejusmodi illorum insaniam respondere? Mihi sane multa mecum reputanti, ac quærenti congruentem illis responsionem, nulla occurrit præter illam quæ tunc Pharisæis data est. Quemadmodum enim eos malo animo sciscitatos, vicissim Servator interrogavit, ut mentis suæ perversitatem ipsi sentirent; sic quoniam et isti talia percontantur, dicant nobis ipsi, vel potius respondeant interrogati, quemadmodum ipsi interrogant. Quandoquidem enim, dum loquuntur, inventa non intelligunt sua, fortasse vel audientes, insaniam suam agnoscent. Si Spiritus sanctus non est creatura, ut in superioribus demonstratum est, sed in Deo est, et ex Deo datur : ergo filius est ipse, et duo sunt fratres ipse et Filius : et si Filii est Spiritus, atque a Filio omnia accipit Spiritus, ut ait ipse [1], et « cum insufflas- » set dedit illum Discipulis [2] : » nam et vos hæc fate-

[1] Epist. 1, N. 15. — [2] Joan. xx, 22.

mini : ergo avus est Pater et nepos ejus est Spiritus. Quæ enim sciscitantes a nobis quæritis, de iisdem vos, et ex iisdem interrogari æquum est. Quod si quæ scripta sunt negatis : non ultra Christiani dicendi estis, et par est nos, utpote Christianos, interrogetis. Sin eadem quæ nos legitis, necesse est vos quoque de iisdem sic a nobis interrogari. Dicite igitur et ne cunctemini, an Filius est Spiritus et avus Pater? Quod si ratiocinantes, ut Pharisæi illi, dixeritis apud vosmetipsos : Si dicamus, Filius est, audiemus : Ubinam id scriptum est? Sin dixerimus, non est Filius, timemus ne dicant nobis : Cur ergo scriptum est : « Nos non spiritum mundi accepimus, sed » Spiritum qui ex Deo est[1]? » Sin autem apud vos ipsos decertantes, vos quoque dicatis, Nescimus : consentaneum est et eum quem de re ejusmodi interrogastis, silere, obtemperantem ei qui dicit : « Ne respondeas stulto » juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis : sed res» ponde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens » esse videatur[2]. » Responsio autem quæ vobis maxime convenit, est silentium; ut vestram ignorantiam deprehendatis.

III. Rursum igitur æquum est ex iis quæ vos affertis, vos sic interrogare. Quandoquidem Prophetæ in Spiritu Dei loquuntur, et in Hesïa Spiritus sanctus prophetat, ut in superioribus demonstratum est : ergo Spiritus est Verbum Dei, duoque Verba sunt, Spiritus videlicet et Filius. Etenim Prophetæ tunc prophetabant, quando Verbum Dei ad illos fiebat. Ad hæc, quandoquidem omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, et « Deus sapientia fundavit terram[3], » et omnia in sapientia fecit : scriptumque est (ut in superioribus declaratum est) « Emittes Spiritum tuum et creabuntur[4] : » ergo aut

[1] 1 Cor. II, 12. — [2] Prov. XXVI, 4. — [3] Prov. III, 19. — [4] Psal. CIII, 30.

Spiritus Verbum est, aut in duobus fecit Deus omnia, in Sapientia et in Spiritu : et cur, quæso, Paulus ait [1] : « Unus Deus ex quo omnia, et unus Dominus per quem » omnia [2] ? » Iterumque : « Cum Filius sit imago Patris » invisibilis, » est autem Spiritus imago Filii, scriptum est enim : « Quos præscivit et prædestinavit con- » formes fieri imaginis Filii sui [3] : » igitur hac ratione avus est Pater. Et quoniam Filius quidem in nomine Patris venit, « Spiritus autem sanctus [4], » ait Filius, « quem mittet Pater in nomine meo : » ergo et hoc quoque modo avus est Pater. Quid ad hæc responsuri estis, licet omnia temere dicatis? Quid ratiocinamini apud vosmetipsos? An cum advertatis vos hæsitare, ejusmodi quæstiones reprehenditis? Sed prius vos ipsos coarguite (nam talia quærere consuevistis), Scripturisque obtemperate, et cum non suppetant quæ respondeatis, discite posthac, Spiritum in Scripturis nunquam vocatum esse filium, sed Spiritum sanctum, et Spiritum Dei. Quemadmodum autem Spiritus non vocatus est filius; sic neque de Filio scriptum est : Ipse est Spiritus sanctus. Num igitur quia Spiritus non vocatus est filius, et Filius non est Spiritus, ideo dissentit a veritate fides? Absit. Quin potius unumquodque eorum quæ indicantur, habet propriam significationem. Etenim Filius substantiæ ac naturæ Patris propria est proles, et hoc revera significat : item, Spiritus qui Dei dicitur, et in ipso est, non alienus est a Filii natura, nec a Patris divinitate. Ideo enim in Trinitate, scilicet in Patre et in Filio et in ipso Spiritu sancto una est divinitas, et in ipsa Trinitate unum est baptisma, est una Fides. Nimirum Patre mittente Spiritum, Filius insufflans dat illum

[1] I Cor. VIII, 6. — [2] Coloss. I, 15. — [3] Rom. VIII, 29. — [4] Joan. XIV, 26.

Discipulis [1] : quoniam « omnia quæcumque habet Pater, » Filii sunt [2]. » Et cum Verbum in Prophetis fieret, ipsi in Spiritu prophetabant, ut scriptum ac demonstratum est : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris » ejus omnis virtus eorum [3]. »

IV. Itaque non creata res est Spiritus : sed Verbi substantiæ proprius, Dei item proprius, et in ipso esse dicitur. Rursum eadem ipsa dicere non pigeat. Tametsi Spiritus sanctus non vocatus est Filius, non tamen est extra Filium : Spiritus namque adoptionis dictus est : et quia « Christus Dei virtus et Dei sapientia est [4]; » congruenter de Spiritu sancto dictum est, « Spiritus sa» pientiæ et Spiritus virtutis est [5] : » Cum enim participes sumus Spiritus, Filium habemus, et Filium habentes, habemus et Spiritum clamantem in cordibus nostris, « Abba Pater [6], » ut loquitur Paulus. Quod si quia Spiritus est Dei, et in ipso esse scriptum est : nam « quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei qui » in ipso est [7], Filius item dixit : « Ego in Patre et Pater » in me : » quare non huic atque illi idem nomen est, sed hic quidem filius, ille, spiritus dicitur? si quis hoc modo sciscitetur in profecto insanierit, cum inscrutabilia scrutetur, et Apostolo non obtemperet, qui ait : « Quis enim novit sensum Domini? aut quis consilia» rius ejus fuit [8] ? » Alioqui quibus Deus nomen indidit, quis nomen mutare audebit? Alias rebus ille quoque creatis vocabula attribuat. Dicant, quandoquidem creatura eodem nutu facta est : cur hic, sol : illud, cœlum : illud, terra, mare et aer? Sin insanis illis hoc impossibile videatur : singula enim manent ut facta sunt; multo

[1] Joan. xx, 22. — [2] Joan. xvi, 15. — [3] Psal. xxxii, 6. — [4] 1 Cor. i, 24. — [5] Isai. xi, 2. — [6] Galat. iv, 6. — [7] 1 Cor. ii, 11 ; Joan. xiv, 11. — [8] Rom. xi, 34.

magis quæ sunt supra creatas res, æternam habent perseverantiam : nec aliter sunt, quam ut Pater est Pater, et non avus : et Filius est Dei Filius, et non Pater Spiritus : et Spiritus sanctus est Spiritus sanctus, et non Patris nepos, nec Filii frater.

V. His ita commonstratis, is sane insanierit qui interrogarit, num Spiritus quoque sit filius. Ne tamen quia ita scriptum non est, ideo quis eum ex Dei natura et proprietate eximat; sed, uti scriptum est, credat, et ne dicat, quare sic et non sic : ne talia cogitans incipiat meditari, ac dicere : Ubinam est ergo Deus, et quomodo est? ac postea audiat : « Dixit insipiens in corde » suo, non est Deus[1]. » Nam quæ fide traduntur, cognitionem habent non curiose perscrutandam. Certe cum Discipuli audissent, « Baptizantes eos in nomine Patris » et Filii et Spiritus sancti[2], » non curiose inquirebant, cur secundo Filius, et tertio Spiritus, aut cur omnino Trinitas? Sed prout audierant, crediderunt. Neque sciscitabantur sicuti vos, Ergone Spiritus est Filius? neque cum Dominus post Filium nominaret Spiritum, interrogabant, Ergo avus est Pater? Non enim audierant, in nomine avi, sed, in nomine Patris : hancque fidem probe ratiocinati prædicaverunt ubique. Non enim aliter loquendum fuit, quam dixerat Salvator : se quidem Filium, illum vero, Spiritum sanctum. Neque immutandi erant, secus quam ordine juncti fuerant, ut neque Pater. Quemadmodum enim non licet aliter de illo loqui, quam quod Pater sit; ita impium fuerit interrogare, an Filius sit Spiritus, aut Spiritus Filius. Hac de causa Sabellius alienus ab Ecclesia judicatus est, ausus tribuere Patri nomen Filii, ac Filio nomen Patris. An itaque post hæc ausit quispiam audiens Filium et Spiri-

[1] Psal. XIII, 1. — [2] Matth. XXVIII, 19.

tum, dicere : Avus ergo est Pater, aut Filius est Spiritus? Immo audebunt Eunomii, Eudoxii et Eusebii. Cum enim semel arianæ hæresis histriones effecti sint ; nunquam cohibebunt linguam suam ab impietate. Quis enim hæc ipsis tradidit? Quis docuit? Nemo sane ex divinis Scripturis. Sed ex abundantia cordis eorum hujusmodi stultitia prodiit.

VI. Si enim quoniam creatura non est Filius (illud enim commonstratum est) interrogatis, ergone Filius est Spiritus? Restat vos qui didicistis Filium non esse creaturam, (per eum namque creaturæ conditæ sunt) interrogare, Pater ergo est Filius? Aut sic, Spiritus ergo est Filius, et Filius Spiritus ipse est sanctus? Cum autem talia cogitent, et extra sanctam Trinitatem erunt, et athei judicabuntur, quod immutent nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, transferantque illud suo arbitratu in similitudinem generationis humanæ : quod nepotes avosque nominent, ac deorum generationem, quemadmodum gentiles, effingant. Non est autem hæc Ecclesiæ fides, sed ut ait Salvator, in Patrem et Filium et Spiritum sanctum : Patrem scilicet qui non possit avus vocari, Filium qui non possit dici pater, et Spiritum sanctum non alio quam hoc nomine appellatum. De hac fide non licet varie loqui : sed semper Pater pater est, et Filius semper filius, et Spiritus sanctus semper est diciturque Spiritus sanctus. In rebus enim humanis non ita se res habet, quamvis Ariani talia comminiscantur. Nam quemadmodum scriptum est : Non ut homo, Deus; ita dixerit aliquis, non ut Deus homines [1]. Apud homines enim pater non semper pater est, neque filius semper filius. Nam ipse quidem filii pater efficitur, sed alterius ipse filius extitit. Et filius cum sit patris filius, alterius pater

[1] Num. XXIII, 19.

efficitur. Abraham igitur filius cum esset Nachoris, pater factus est Isaac : et Isaac cum esse filius Abrahæ, pater fuit Jacob. Unusquisque enim cum sit pars parentis, nascitur quidem filius, efficitur autem et ipse alterius pater. In divinitate vero non sic, quoniam non sicut homo Deus. Pater itaque non ex patre est : ideoque non gignit eum qui futurus sit alterius pater : neque Filius pars est Patris, quapropter non est fœtus ad generandum filium. Unde in deitate sola, Pater proprie, solusque pater cum sit, est, et fuit et semper erit. Et Filius proprie et solus Filius est. In his enim constat illud, Patrem semper Patrem, et Filium semper Filium esse ac dici; Spiritum sanctum semper Spiritum sanctum esse : et hunc Dei esse, et a Patre per Filium dari credimus. Sic enim sancta Trinitas invariabilis permanet, in una deitate cognita. Itaque qui interrogat, Ergone Filius est Spiritus? ita ille comminiscitur quasi nomen mutari possit, atque sua sponte insanit. Et qui interrogat, Ergone avus est Pater? nomen Patri excogitans, errat corde. Cæterum posthac ad hæreticorum impudentiam respondere non est tutum : in enim est pugnare adversus Apostolicam admonitionem : sed potius ut præcepit ipse, consulere par est [1].

VII. Hæc sint ad vestram confutandam stultiloquentiam satis. Ne amplius illudatis deitati. Illudentibus enim mos est ea sciscitari quæ scripta non sunt, ac dicere, Ergone filius est Spiritus, et avus est Pater? Ita irrident Episcopi Cæsareæ et Scythopolis. Sufficit vos credere Spiritum non esse creaturam, sed Spiritum esse Dei, et in ipso Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Neque Patris nomine Filius vocandus est : neque licet dicere Spiritum sanctum esse ipsum Filium : neque Fi-

[1] Tit. III, 10.

lium esse ipsum Spiritum sanctum. Sed ita se res habet quemadmodum dictum est, et una est in hac Trinitate divinitas, et una fides, et unum Baptisma est, quod in illa datur, et initiatio una in Christo Jesu Domino nostro per quem et cum quo Patri gloria et imperium cum sancto Spiritu, in omnia sæcula sæculorum. Amen.

VIII. De quo autem scripsisti mihi evangelico dicto, veniam habe, dilecte, probo affectus animo [1]. Vereor enim, id vel ullatenus aggredi; ne si in dictum illud mentem quasi demersero, scrutarique cœpero, non valeam profundum ejus intellectum exhaurire. Tacere igitur de illo omnino statueram, his prioribus contentus scriptis. At veritus ne iterum hac de re scribere contendas, vim mihi ipse intuli; ut vel mediocrem quam de illo didici sententiam perscriberem : quod sperem, si scopum attingamus, docentis gratia, rem tibi probatam fore : sin aberremus, non reprehensurum te, cui cum affectus noster, tum nostra infirmitas non ignota est. Dictum igitur ejusmodi est : Cum post tot signa in Evangelio narrata, hæc Pharisæi loquerentur : « Hic non ejicit » dæmonia nisi in Beelzebul principe dæmoniorum : » Dominus sciens cogitationes eorum, dixit eis : Omne » regnum divisum contra se, desolabitur [2]. » Et cum dixisset : « Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, » igitur pervenit in vos regnum Dei [3]; » deinde infert : « Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia re» mittetur hominibus, blasphemia autem in Spiritum » non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra » Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit » contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque » in hoc sæculo, neque in futuro [4]. » Tu autem percon-

[1] Matth. XII, 32. — [2] Ibid. 24. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 31.

tabaris, cur blasphemia in Filium dimittetur, blasphemia autem in Spiritum sanctum veniam non obtinet neque in præsenti sæculo, neque in futuro?

IX. Prisci certe viri, Origenes, eruditissimus et laboriosus scriptor, et Theognostus admirandus ille et studiosus homo (horum enim opera legebam cum Epistolam accepi tuam) ambo quippe eam rem pertractant : aiunt illam esse in Spiritum sanctum blasphemiam, cum ii quibus in baptismate donum Spiritus sancti tribuitur, ad peccata recidunt. Ideoque illos remissionem non consecuturos, aiunt : quemadmodum et Paulus in Epistola ad Hebræos ait : « Impossibile est enim, eos qui semel sunt » illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et par- » ticipes facti sunt Spiritus sancti, et gustaverunt bonum » Dei Verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi » sunt, rursus renovari ad pœnitentiam[2]. » Et idipsum quidem ambo dicunt : sed suam singuli sententiam adjiciunt.

X. Nam Origenes quidem causam judicii contra ejusmodi homines lati sic explicat. « Deus et Pater in om- » nia penetrat, et omnia continet, animata et inani- » mata, rationalia et irrationalia : Filii autem potestas » ad sola rationalia sese extendit; in quibus continentur » Catechumeni et Ethnici, qui nondum crediderunt. » Spiritus vero sanctus, in iis solis est qui sui participes » effecti sunt in Baptismatis collatione. Cum igitur Ca- » techumeni et Ethnici peccant, in Filium peccant, » quoniam is est in illis, ut dictum est : possunt tamen » veniam consequi, ubi acceperint donum regeneratio- » nis. Cum autem baptizati peccant, hanc iniquitatem » in Spiritum sanctum recurrere ait, quia tum peccavit » homo cum in illo esset Spiritus. Ideoque remitti non » posse supplicium ipsi debitum. »

[1] Hebr. vi, 4.

XI. Theognostus autem hæc adjicit : Qui primum et secundum terminum transgressus est, minori supplicio dignus videri possit; qui autem tertium contempserit, non ulterius veniam consequetur. Primum autem terminum, et secundum terminum ait, doctrinam de Patre et Filio acceptam : tertium vero, Verbum in initiatione et in participatione Spiritus traditum : quod confirmare volens, adducit illud Discipulis a Salvatore dictum : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis por- » tare modo. Cum autem venerit Spiritus sanctus, doce- » bit vos [1]. » Deinde ait : « Sicut eos qui perfecta non- » dum capere possunt alloquitur Salvator, ad illorum » sese parvitatem demittens : cum perfectis autem Spi- » ritus sanctus versatur ; neque tamen quis ideo dixerit, » Spiritus sancti doctrinam, Filii doctrinam superare : » sed quod Filius quidem sese demittat ad imperfectos, » Spiritus vero sanctus sigillum sit perfectorum ; sic non » propter excellentiam Spiritus sancti præ Filio, inex- » piabilis et citra veniam est blasphemia in Spiritum : » sed quia imperfectis datur venia ; iis vero qui do- » num cœleste gustaverunt, et initiati sunt, nulla ve- » niæ relinquitur excusatio vel deprecatio. » Hæc itaque ille.

XII. Ego autem ex iis quæ didici, arbitror utriusque sententiam, mediocri quadam inquisitione et observatione indigere : ne forte profundior quædam in ipsis illorum dictis mens lateat. Manifestum enim est, Filium, cum sit in Patre, in illis etiam esse, in quibus est Pater, nec abesse Spiritum. Indivisa namque est sancta, perfecta et beata Trinitas. Insuper si omnia per Filium facta sunt, et in ipso omnia consistunt, quomodo extra illa ipse fuerit quæ per ipsum facta sunt ? Sin autem illa

[1] Joan. XVI, 18.

ab ipso non longe fuerint, in omnibus igitur et ipse fuerit, ut necessario qui in Filium peccat et blasphemat, in Patrem quoque et in Spiritum sanctum peccet. Quod si sanctum lavacrum in nomine Spiritus sancti tantum daretur, jure diceretur baptizatos, in Spiritum sanctum duntaxat peccare. Cum autem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti detur : sicque singuli qui baptizantur, initientur; consectaneum prorsus est ut qui post Baptisma prævaricantur, in sanctam et indivisam Trinitatem blasphement. Et hoc æquum est ita cogitare et intelligere. Certe si ii quos ille alloquebatur, Pharisæi nempe, lavacrum regenerationis accepissent, et doni sancti Spiritus jam participes fuissent, verisimilis esset ejusmodi interpretatio, illi quippe a justitia descivissent, et in Spiritum sanctum deliquissent : sed cum lavacrum non acceperint, sed etiam baptisma Joannis vilipenderint; cur illos accusabat ut qui blasphemassent in Spiritum sanctum, cujus nondum participes effecti fuerant? Non enim simpliciter docendo Dominus hæc loquebatur, neque iis qui futuri erant supplicium interminabatur; sed in præsentia vere Pharisæos incusans utpote tantæ blasphemiæ jam reos, illud dicebat Dominus. Pharisæis igitur ita accusatis priusquam baptisma percepissent, hoc certe dictum eos minime spectat qui post lavacrum prævaricantur. Et præsertim quia eos non de quibuslibet peccatis, sed de blasphemia accusabat. Hæc autem inter se differunt, quod qui peccat, legem transgrediatur; qui vero blasphemat, in ipsam deitatem impie agat. Cum autem illos de multis criminibus prius accusaret Salvator, quod scilicet legem de parentibus latam propter pecuniam transgrederentur, et Prophetarum dicta respuerent, ac domum Dei domum facerent negotiationis; attamen hortabatur eos ut pœnitentiam agerent. Verum

ubi ipsum dicerent in Beelzebulem ejicere dæmonia; non hoc ultra: peccatum simpliciter, sed blasphemiam dixit esse tantam, ut qui talia proferre ausi essent, nec pœnam effugere, nec veniam obtinere possent.

XIII. Alioqui si eorum causa qui post lavacrum peccant id dictum fuisset, et illi veniam peccatorum obtinere non possent; cur hominem apud Corinthios pœnitentem, in caritate confirmat Paulus [1]; Galatas vero retrorsum abeuntes parturit, donec formetur iterum in eis Christus [2]. Cum autem dicit, iterum, pristinam eorum in Spiritu perfectionem declarat. Cur vero Novatum culpamus pœnitentiam tollentem, ac dicentem nullam superesse iis veniam, qui post lavacrum peccaverint, si hæc verba de illis qui post lavacrum peccaverint dicta fuere? Etenim quod in Epistola ad Hebræos dictum est, non excludit a pœnitentia peccatores; sed ostendit unicum et non duplex esse Ecclesiæ Catholicæ Baptisma. Hebræis enim hæc scripsit: et ne illi pœnitentiæ obtentu existimarent, juxta legis consuetudinem, multa esse et quotidie baptismata, ideo eos ad pœnitentiam hortatur: unamque esse per Baptisma renovationem, nec secundam superesse, affirmat, ut et in alia dicit epistola: « Una fides, unum baptisma [3]. » Neque enim ait, impossibile est pœnitere; sed impossibile est obtentu pœnitentiæ nos renovare. Est autem ingens inter hæc dicta discrimen. Is enim quem pœnitet, peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur, superne genitus Spiritus gratia.

XIV. Hæc igitur cogitanti mihi, major in hoc dicto occurrit sententiæ profunditas. Quapropter multis antea Dominum precatus, qui supra puteum sedit et super

[1] 2 Cor. II, 8. — [2] Galat. IV, 19. — [3] Ephes. IV, 5.

mare deambulavit; ad dispensationem redeo in illo pro nobis exhibitam, fortassis ex illa, lectionis assequar intellectum. Omnis itaque divina Scriptura hanc annunciat et prædicat, maximeque Joannes qui ait : « Verbum » caro factum est et habitavit in nobis [1] : » et Paulus his verbis; « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam ar» bitratus est, esse se æqualem Deo : sed semetipsum » exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inven» tus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens » usque ad mortem, mortem autem crucis [2]. » Ideo enim Deus cum esset, atque homo factus esset, ut Deus, excitabat mortuos, verbo sanabat universos, mutavit etiam aquam in vinum. Non enim hominis hæc erant opera; prout autem gestabat corpus, sitiebat, laborabat et patiebatur : non enim hæc erant deitati propria. Et ut Deus quidem aiebat : « Ego in Patre et Pater in me [3]; » ut autem corpus gestabat, Judæos arguebat : « Quid me » quæritis interficere, hominem, qui veritatem vobis » locutus sum, quam audivi a Patre [4]? » Hæc autem nequaquam divisim facta sunt juxta gestarum rerum rationem; ita ut quæ a corpore fierent, sine divinitate : quæ autem a divinitate, sine corpore exhiberentur; sed conjunctim omnia agebantur, et unus erat Dominus qui ea mirabiliter per suam efficiebat gratiam. Spuebat enim ut homo, sputum tamen divinum erat, per ipsum quippe cæco a nativitate visum restituit. Et cum vellet sese Deum exhibere, humana lingua idipsum significans, aiebat : « Ego et Pater unum sumus [5] : » solaque voluntate sua sanabat. Humanam item manum extendens, socrum Petri febricitantem erexit, et Archisynagogi filiam jam defunctam a mortuis suscitavit.

[1] Joan. I, 14. — [2] Philip. II, 6. — [3] Joan. XIV, 11. — [4] Joan. VIII, 40. — [5] Joan. X, 30.

XV. Hæretici igitur ignorantia sua insaniunt: quorum alii corporea Salvatoris respicientes, negarunt illud, « In principio erat Verbum[1]: » alii quæ divinitatis sunt spectantes, ignoraverunt illud, « Verbum caro » factum est[2]. » Vir autem fidelis et Apostolicus, gnarus Dominicæ benignitatis, ubi conspicit divininitatis signa, miratur eum, qui in corpore est, Dominum. Rursus cum ea quæ corpori sunt propria intuetur, obstupescit, animadversa in illis divinitatis efficacia. Ejusmodi cum sit Ecclesiastica fides, ubi quidam humana spectantes, Dominum vident sitientem, vel laborantem, vel patientem, et Salvatori velut homini obtrectant, magnopere quidem peccant: possunt tamen celeriter pœnitentiam agendo, veniam consequi, cum habeant pro excusatione imbecillitatem corporis. [Cum maxime Apostolus veniam eis concedat, et quasi manum illis porrigat, hæc dicendo: « Revera magnum » est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in » carne[1]. (1)] » Cum autem rursus quidam divinitatis opera considerantes, dubitaverint de corporis natura, ipsi quoque maxime peccant, quod licet eum videant comedentem, et patientem, phantasma nihilominus ipsum arbitrentur: verum illis item cito resipiscentibus, veniam Christus donare potest: quod et ipsi pro excusatione habeant, magnitudinem operum hominis potestatem excedentium. Verum posteaquam utrorumque inscitiam et cæcitatem supergressi, qui videntur habere legis scientiam, (quales tum erant Pharisæi) in insaniam versi fuerint, et quod in corpore est Verbum, omnino negaverint, aut divinitatis opera Diabolo ejusque dæmonibus attribuerint, merito pro tali impietate indeprecabili sunt supplicio obnoxii. Nam et Diabolum pro Deo

[1] Joan. I, 1. — [2] Joan. I, 14. — [3] I Tim. III, 16.

habuerunt; eumque qui vere et reipsa Deus est, existimarunt nihilo plus in operibus posse quam dæmones.

XVI. In ejusmodi igitur impietatem prolapsi erant illius temporis Judæi et inter Judæos Pharisæi. Salvatore enim exhibente opera Patris (nam mortuos excitabat, cæcis visum donabat, claudos ambulare faciebat, surdis auditum aperiebat, mutis loquelam præstabat, declarabatque sibi subditam creaturam esse, imperans ventis, in ipso mari deambulans) turbæ quidem obstupescebant et glorificabant Deum : at contra admirandi illi Pharisæi, aiebant Beelzebulis esse ejusmodi opera : nec erubescebant insipientes illi, Dei potestatem in Diabolum transferre. Unde jure merito Salvator declaravit blasphemiam proferre homines, quæ nec veniam nec remissionem haberet. Nam dum humana respicientes, claudicarent animo, dicentes : « Nonne hic est ille fabri filius[1] ? » Et : « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?[2] » et : « Quod tu facis signum de teipso[3], » et : « Descendat » nunc de cruce, et credemus ei[4]; » patienter tulit homines, utpote qui in Filium hominis peccarent, dolensque super illorum cæcitate dicebat; « Si cognovissetis » et vos quæ ad pacem[5]. » Etenim et magno Petro, quod ut de homine loquenti ostiariæ, eodem ille modo respondisset, ploranti ignovit Dominus. Verum ubi illi jam antea lapsi, iterum prolapsi sunt, et ad majorem insaniam devenerunt, ita ut Dei opera, Beelzebulis esse dicerent, non ulterius illos tulit : in suum enim Spiritum blasphemabant dicentes, eum qui hæc faceret non esse Deum sed Beelzebulem. Quapropter eos, utpote non ferenda ausos, æternis addixit suppliciis. Perinde enim erat illud ac si, dum cernerent mundi ordinem, et pro-

[1] Matth. XIII, 55. — [2] Joan. VII, 15. — [3] Joan. VI, 30. — [4] Matth. XXVII, 42. — [5] Luc. XIX, 42.

videntiam hæc gubernantem, ausi essent dicere, rerum naturam a Beelzebule fuisse conditam : aut solem, ut Diabolo obsequeretur, oriri : et ejus causa astra in cœlo circumagi. Nam quemadmodum hæc Dei sunt, ita et illa Patris erant opera : et si illa Beelzebulis, necessario et ista Beelzebulis fuerint : et quorsum postea hæc referent, « In principio fecit Deus cœlum et terram [1]? » Verum non insolens est isthæc eorum insania. Siquidem horum Patres, eadem mente præditi, in eremo cum nuper ex Ægypto egressi essent, vitulo a se conflato Dei erga se beneficia referentes, dicebant : « Hi sunt dii tui Israël, qui » te eduxerunt de terra Ægypti [2]. » Ob hanc itaque blasphemiam, protinus ex iis qui talia ausi fuerant, initio non pauci sed plurimi occisi sunt : denuntiavit quoque Deus dicens : « Qua die visitabo, inducam super eos » peccatum eorum [3]. » Nam quamdiu illi ob panis et aquæ penuriam obmurmurabant, homines tolerabat, haud secus quam nutrix alumnum suum : ubi autem ad majorem insaniam progressi, ut psallit contra eos Spiritus, « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vi» tuli comedentis fœnum [4]; » jam cum rem indeprecabilem ausi essent, percussi sunt, ut ait Scriptura, ob fabricatum vitulum, quem fecerat Aaron.

XVII. Eadem et nunc ausi Pharisæi, talem a Domino retulerunt damnationem, qualem Beelzebul quem illi eorum auctorem suspicati sunt, jam tum habuit et habet; ita ut ipsi quoque in igne ab æternitate illi præparato cum ipso absumendi sint. Non enim hæc ideo locutus est, ut blasphemiam in se prolatam cum blasphemia in Spiritum sanctum conferret; quasi Spiritus sanctus se major esset, ideoque majus crimen esset blas-

[1] Gen. I, 1. — [2] Exod. XXXII, 4. — [3] Exod. XXXII, 34. — [4] Psal. CV, 20. Exod. XXXII, 35.

phemia in Spiritum sanctum : absit. Nam ante docuerat, omnia quæ Pater habet, Filii esse, et ex Filio Spiritum esse accepturum, ipsumque Spiritum glorificaturum esse Filium. Neque Spiritus Filium dat; sed Filius Spiritum præbet Discipulis, ac per illos iis qui in se credunt. Non eo itaque animo locutus est Salvator : sed quasi blasphemia in utrumque prolata in seipsum recurreret, et illa minor, alia major esset, hæc locutus est Dominus. Etenim utramque proferebant Pharisæi : cum enim hominem cernerent, ipsi convitiabantur : « Unde huic sa» pientia isthæc[1]? *Et*, Quinquaginta annos nondum » habes et Abraham vidisti[2]? » Et Patris opera cum conspicerent, non solum ejus divinitatem negaverunt; verum etiam contra illam locuti, aiebant in ipso Domino esse Beelzebulem, et Beelzebulis esse hujusmodi opera. Quapropter quasi utraque blasphemia in se diceretur, et alia quidem minor esset, quod humanitatem; alia major, quod divinitatem spectaret; de majori dixit ejus vindictam indeprecabilem illis esse. Certe cum Discipulis suis firmitatem fiduciamque præberet his verbis : « Si patremfamilias Beelzebulem vocaverunt[3], » se patremfamilias esse declaravit, qui sic a Judæis maledictis incesseretur.

XVIII. Quod si Judæi dum dicerent, « in Beelzebulem[4], » nulli nisi Domino convitiabantur, perspicuum sane est, illud, « Blasphemia vero in Spiritum[5], » de ipso Domino dictum esse, totamque sententiam ad seipsum, Salvatorem retulisse. Ipse namque universi paterfamilias est : idipsum quippe confirmationis causa jam repetere subterfugiendum non est. Sitire, laborare, dormire, colaphis cædi, comedere, hominum propria

[1] Matth. XIII, 54. — [2] Joan. VIII, 57. — [3] Matth. X, 25. — [4] Matth. XII, 24. — [5] Matth. XII, 31.

sunt : opera autem quæ faciebat Dominus, non hominum, sed Dei erant. Cum igitur quidam, uti superius dixi, his conspectis, Domino ut homini convitiarentur, minus supplicium merebantur, quam ii qui Dei opera Diabolo ascriberent. Hi enim non solum sancta canibus projiciunt; sed et Deum Diabolo comparant, et lucem tenebras esse dicunt. Hanc certe esse Pharisæorum nunquam remittendam blasphemiam Marcus observavit, his verbis, « Qui autem blasphemaverit in Spiritum » sanctum, non habet remissionem, sed reus est æterni » delicti : quoniam dicebant, spiritum immundum ha- » bet[1]. » Et is qui a nativitate cæcus fuerat, visu recepto, testificabatur : « A sæculo non est auditum, quod quis » aperuerit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non » poterat facere quidquam[2]. » Turbæ autem admirantes super iis quæ a Domino facta fuerant, aiebant : « Hæc » verba non sunt dæmonium habentis : numquid dæ- » monium potest cæcorum oculos aperire[2]? » Pharisæi autem qui legis peritissimi putabantur, qui fimbrias dilatabant, et gloriabantur, quasi plus aliquid cæteris scirent; ne ita quidem erubuere, sed ut scriptum est[4] : Immolabant miseri dæmonio et non Deo, dicentes Dominum habere dæmonium, et Dei opera, dæmonum esse. Et hoc nulla alia de causa, quam ut negarent Deum esse, et Dei Filium qui hæc ageret. Si enim comestio speciesque corporis, eum etiam hominem esse declarabat, quare non ex operibus perspiciebant, ipsum in Patre esse, et Patrem in ipso? Atqui id nolebant illi, immo potius ipsum Beelzebulem habebant in se loquentem, ut ex humanis eum hominem duntaxat vocarent; ex operibus autem, quæ Dei propria erant, non itidem illum esse Deum confiterentur, sed pro eo Beelzebulem

[1] Marc. III, 29. — [2] Joan. IX, 32. — [3] Joan. X, 21. — [4] Deut. XXXII, 17.

in seipsis habitantem Deum facerent, ut cum illo tandem æternum igne cruciarentur.

XIX. Quin et ipsa lectionis observatio, videtur mihi talem quamdam sententiam exhibere, et indicare utramque blasphemiam ad ipsum pertingere, et de seipso illum dixisse, « Filius hominis, et, Spiritus : » ut ex illo, quæ corpus suum spectarent; ex spiritu vero, spiritualem suam, et intelligibilem verissimamque divinitatem declararet. Siquidem id de quo venia obtineri potest, ad Filium hominis retulit, ut corporea sua significaret : blasphemiam autem non remittendam, ad spiritum pertingere declaravit : ut dum ad differentiam sui corporis hæc diceret, suam divinitatem commonstraret. Hanc autem loquendi formam etiam in Evangelio secundum Joannem animadverti : ubi de corporis esu disserens, ac propterea multos scandalizatos videns, ait Dominus : « Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis » Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus » est qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba » quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt[1]. » Nam hic etiam utrumque de se dixit, carnem et spiritum : et spiritum a carne distinxit, ut non solum quod apparet, sed etiam quod invisibile ejus est credentes, discerent, ea quæ ipse loqueretur non esse carnalia, sed spiritualia. Quot enim hominibus corpus satis esset ad esum, ut illud totius mundi fieret alimentum? Sed ideo meminit ascensionis Filii hominis in cœlum, ut a corporali cogitatione ipsos retraheret, atque hinc ediscerent, carnem de qua locutus fuerat, cibum e supernis cælestem, et spiritualem alimoniam ab ipso dari. Nam « Quæ » locutus sum vobis, » inquit, « Spiritus et vita sunt[2]. » Quod perinde est ac si diceret : quod ostenditur et datur

[1] Joan. VI, 62. — [2] Joan. VI, 64.

pro mundi salute, caro est quam ego gesto : sed hæc vobis cum ejus sanguine a me spiritualiter esca dabitur; ita ut hæc spiritualiter unicuique tribuatur, et fiat singulis tutamen in resurrectionem vitæ æternæ (2). Sic et Samaritanam Dominus abstrahens a sensibilibus, Deum dixit esse Spiritum, ut deinceps illa non corporaliter, sed spiritualiter de Deo cogitaret. Sic itidem Propheta cum Deum carnem factum contemplaretur, ait : « Spi- » ritus faciei nostræ Christus Dominus[1] : » ne quis ex eo quod apparebat, Dominum esse merum hominem existimaret : sed dum Spiritum audiret, Deum agnosceret esse eum qui in corpore esset.

XX. Planum itaque utrumque fuerit, eum qui Dominum videt de se disserentem, si tantum corporalia ejus spectet, et non credens dicat, « Unde huic ista sapien- » tia[2]? » peccare quidem, et tanquam in Filium hominis blasphemare : si quis vero ejus opera videat in Spiritu sancto facta, dicatque eum qui talia edidit, nec Deum esse nec Dei Filium, sed ea Beelzebuli ascribat, manifesto blasphemare, negando ejus divinitatem. Etenim in evangelico dicto, uti sæpe dictum est, cum dicit, Filium hominis, carnalem et humanam suam naturam indicat; ut, cum Spiritum dicit, declaret suum esse sanctum Spiritum, in quo omnia operabatur. Unde cum opera ederet, aiebat : « Si mihi non creditis, saltem operibus » meis credite; ut cognoscatis quia ego in Patre et Pa- » ter in me[3]. » Cum autem seipse pro nobis corporaliter oblaturus esset, quando ea de causa ascendit Jerosolymam, Discipulis suis aiebat : « Dormite jam et requies- » cite : ecce enim appropinquavit hora, et Filius ho- » minis tradetur in manus peccatorum[4]. » Nam opera quidem effecere, ut verus Deus crederetur : mors autem

[1] Thren. IV, 20. — [2] Matth. XIII, 54. — [3] Joan. X, 38. — [4] Matth. XXVI. 45.

ejus palam fecit eum revera corpus habere : ideoque jure Filium hominis dicebat eum esse qui tradebatur. Verbum enim immortale et intactile, et ipsissima vita est. Verum nec iis Pharisæi credebant, neque volebant ipsa filiorum suorum opera videre : quapropter eos rursum leniter coarguit Dominus his verbis : « Si ego in Beelze- » bulem ejicio dæmonia : Filii vestri in quo ejiciunt? » Ideo ipsi judices vestri erunt. Porro si in Spiritu Dei » ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum » Dei[1]. » Hic autem dixit, « in Spiritu Dei, » non quod minor esset ipse Spiritu, nec quasi Spiritus ea in se operaretur. Sed ut rursum declararet, se, cum Dei Verbum esset, per Spiritum omnia operari, auditoresque doceret, se cum Spiritus opera Beelzebuli ascriberent, in ea operantem Spiritum blasphemare. Etenim hæc cum dicit, ostendit eos non ex ignorantia, sed sponte sua se in hanc evidentissimam blasphemiam implicasse, nec erubuisse, quod ea opera, quæ vel ipsi Dei esse compertum haberent, amentes Beelzebuli ascripsissent, atque ab impuro spiritu facta asseverassent.

XXI. Quo pacto igitur qui talia audent, possunt adhuc Gentiles incusare, quod idola a se conflata deos nuncupent? Paria sunt enim horum gesta illorum insaniæ, immo forte graviora sunt horum facinora : qui licet de hoc legem acceperint, per legis transgressionem Deum affecerunt contumelia. Quid autem qui talia blasphemant acturi sunt, cum Hesaïam Prophetam legerint, et audierint Christi adventus signa hæc esse, ut cæcis visus, claudis gressus, mutis loquela, mortuis resurrectio, leprosis curatio tribuatur, surdis aures aperiantur? Quemnam horum auctorem esse volent? Si enim Deum dicant, sese impietatis in Dominum coarguent : nam

[1] Luc. XI, 19.

quæ futura prospiciens Propheta dixit, hæc ipsa præsens ipse Dominus operatus est : sin petulantia præoccupati dicere ausint, ipsa quoque in Beelzebule facte esse; metuo ne paulatim in impietatem progressi, ubi legerint : « Quis dedit os homini? Et quis fabricatus est mu- » tum et surdum, videntem et cæcum[1]? » et his similia, insanientes rursum dicant, has quoque voces Beelzebulis esse. Nam cui gratiam restituti visus tribuunt, huic et non videndi causam ascribant oportet : utrumque enim ab eodem factum esse declaratum est. Qui si profecto hæc dicere ausint, tandem censebunt, humanæ naturæ conditorem esse Beelzebulem. Conditoris quippe est, ut res conditas habeat in sua potestate. Ut enim Moyses dixit : « In principio fecit Deus cœlum et terram, *et*, » ad imaginem Dei fecit Deus hominem[2] : » ita quoque Daniel libere Darium affatus est : « Non veneror » idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit » cœlum et terram, et habet potestatem omnis car- » nis[3] : » nisi rursus mutata sententia dixerint, cæcitatem, claudicationem ac cætera corporis vitia, a conditoris correptione proficisci; at horum curationem, et erga hos qui affliguntur beneficentiam a Beelzebule præstari. Verum hæc vel disquirere valde insanum est : furentium enim et plusquam mente captorum est impiissima ejusmodi stultiloquentia. In ea siquidem comparatione, potiora non Deo, sed Beelzebuli ascribunt insani. Nihil enim curant divinarum Scripturarum dogmata labefactare, modo negent Christi adventum.

XXII. Verum par erat, improbos illos aut Dominum ex corporalibus non vilipendere, quasi hominem, aut ex operibus verum Deum illum confiteri. Sed omnia præpostere faciebant. Cum enim hominem cernerent,

[1] Exod. IV, 11. — [2] Gen. I, 1. — [3] Dan. XIV, 4.

ipsi ut homini convitiabantur : ac vicissim opera divina spectantes, negabant divinitatem, et ad Diabolum confugiebant, rati se, si hæc auderent, effugere posse, ne ab ipso Verbo quod contumelia affecerant, judicarentur. At incantatores, magi et venefici Pharaonis, licet plurima tentassent, tamen a Moyse edita signa cum cernerent, cessere tandem, tergaque dedere dicentes, digitum Dei esse qui hæc ederet[1]. Pharisæi autem et Scribæ, cum integram Dei manum viderent operantem, cernerentque ea quæ per Christum Salvatorem agebantur, sane illis prioribus plura majoraque; horum auctorem aiebant Beelzebulem, quem ipsi Magi, licet suum, ne quidem his minora posse confitebantur. Quidnam de tam ingenti stultitia dici possit? aut, ut ait Propheta, quis quid cum illis impietatibus comparare poterit? Justiores enim se Sodomitas exhibuerunt : vicerunt Gentium ignorantiam, Magorumque Pharaonis stultitiam superant, atque cum solis Ariomanitis conferri possunt, quod in eamdem impietatem sint collapi. Judæi enim Patris opera per Filium videntes, Beelzebuli ea ascripsere : Ariani vero hæc ipsi cum cernunt opera, Dominum ea edentem creatis rebus annumerant, aiuntque, ex non extantibus ipsum esse, et non fuisse antequam fieret. Ac Pharisæi quidem cum viderent Dominum in corpore, obmurmurantes aiebant : « Quare tu » homo cum sis, facis teipsum Deum[2]? » Hi autem Christi hostes, cum vident illum patientem ac dormientem, blasphemant his verbis : Qui hæc patitur, non potest Deus verus esse, nec consubstantialis esse Patri. Demum si quis velit utrorumque errores inter se collatos expendere, comperiet, uti supra dixi, ipsos in vallem amaræ stultitiæ confertim collapsos esse[3].

[1] Exod. VIII, 19. — [2] Joan. X, 33. — [3] Gen. XIV, 8.

XXIII. Quapropter tam illis quam istis, nullam fore supplicii huic flagitio debiti remissionem, Dominus declaravit, his verbis : « Qui vero dixerit adversus Spiri- » tum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, » neque in futuro[1]. » Et merito quidem, qui enim negat Filium, quem rogans obtinere poterit propitiationem? aut quæ vita, vel requies ei expectanda, qui repulit eum qui dicit : « Ego sum vita[2], *et*, Venite ad me om- » nes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam » vos[3]? » Cum igitur isti hoc modo pœnas luant; perspicuum fuerit, eos qui pii sunt erga Christum, et qui tam secundum carnem, quam secundum spiritum eum adorant, nec eum Filium Dei ignorant esse, nec Filium hominis factum esse negant; verum etiam credunt, illud, « In principio erat Verbum, et, Verbum caro » factum est[4], » regnaturos æternum in cœlis esse, secundum sanctas ipsius Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi pollicitationes, qui ait : « Ibunt quidem illi in » supplicium æternum ; justi autem in vitam æter- » nam[5]. » Hæc paucis tibi, ex iis qui didiceram, scripsi. Tu vero non ut perfectam doctrinam, sed tantum ut occasionem a me tibi datam accipe. Restat tibi ut accuratiorem sententiam ex Evangelico dicto et ex Psalmis decerpens, veritatis manipulos alliges : ut tibi quoque illa ferenti, dicatur : « Venientes autem venient cum » exultatione, portantes manipulos suos[6], » in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo Patri, et una Spiritui sancto gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xii, 32. — [2] Joan. xiv, 6. — [3] Matth. xi, 28. — [4] Joan. i, 1 et 14. — [5] Matth. xxv, 46. — [6] Psal. cxxv, 6.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA

De Synodis Arimini in Italia, et Seleuciæ in Isauria, celebratis[1].

I. Fortasse et ad vos fama pervenit ejus Synodi, quæ nunc in omnium ore versatur[2]: missæ quippe undique sunt Imperatoris ac Præfectorum litteræ, quæ viros illuc conventuros accerserent. Sed quia discendi cupidi, res gestas scire peroptatis; quæ vidi, quæque diligenter exploravi, vobis indicanda duxi : ne aliis narrantibus animi pendeatis, cum maxime nonnulli soleant res secus enarrare quam gestæ sint. Concilium itaque, nequaquam Nicææ, uti statutum fuerat, celebratum est : sed secunda prodiit jussio; ut Occidentales Episcopi Ariminum in Italia convenirent, Orientales vero Seleuciæ, quæ aspera dicitur, in Isauria, convocarentur. Obtentus autem hujusmodi conventus erat, ut de fide in Dominum nostrum Jesum Christum (ut jactitabant) ageretur. Curarant sci-

[1] Scripta anno 359. — [2] Vid. D. Guillon, tom. v, pag. 238.

licet eam spargere famam, ex Pannonia quidem, Ursacius, Valens et Germinius quidam : ex Syria vero, Acacius, Eudoxius, et Patrophilus, urbis quæ ex Scythis nomen sortita est, Episcopus. Hi enim arianarum semper partium cum fuerint, nec intelligant quid credant, quidve affirment, singulos sensim decipientes, inserentesque hæreseos sementem, nonnullos qui alicujus pretii videbantur, ipsumque Imperatorem Constantium hæreticum subornarunt; ita ut Synodum, sub ementita asserendæ fidei specie impetrarint : rati se Nicænam posse Synodum obruere, atque ita omnes a sententia dimovere, ut impietas veritatis loco obtineat ubique.

II. Et primum quidem id valde miror (quod prudentem arbitror quemlibet animadversurum), nimirum cum universalis Synodus indicta esset, illamque omnes expectarent, eam derepente fuisse divisam; adeo ut hi hoc convenirent loco, alii, alio sese convocarent : quod fortasse divinæ providentiæ fuit opus; ut in altera Synodo hominum sincera puraque fides palam fieret, in altera vero suspecta virorum dubiaque animi sententia deprehenderetur. Id quoque mihi, germanisque fratribus hic mecum versantibus, in mentem subiit, atque ejusmodi concursus absurditatem cernentes cogitabamus, quæ res tantopere urgebat, ut orbis terrarum turbaretur, et qui tum temporis pro clericis habebantur, ultro citroque discurrerent, sciscitantes quomodo in Dominum nostrum Jesum Christum crederent? Si enim credidissent, nequaquam perinde sciscitati essent, quasi quid crederent non haberent. Hoc autem Catechumenis haud levis offensionis ansam, ethnicis vero, non modicam sed effusam risus materiam præbuit : quod Christiani, veluti e somno nunc excitati, quærant, qua ratione in Christum credere oporteat : qui autem inter illos Clerici vocantur, tametsi auc-

toritatem apud populos, quasi magistri, sibi vindicant, jam se tamen infideles declaraverint, cum id quærant scilicet quod non habent. Nec advertunt Ursacius et socii, qui horum auctores fuere, quantum sibi iræ thesaurum recondant, Domino per Sanctos suos dicente : « Væ istis » per quos nomen meum blasphematur in gentibus[1] : » suo autem ipse ore in Evangeliis ait : « Qui ergo scandali- » zaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspenda- » tur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in pro- » fundum maris; quam[2] » ut addidit Lucas, « ut scan- » dalizet unum de pusillis istis[3]. »

III. Quid enim doctrinæ ad piam religionem defuit Ecclesiæ catholicæ, ut nunc de fide perquirant, utque suis de fide expositionibus præsentis temporis consulatum præfigant? Ursacius enim, Valens et Germinius, cum sociis id fecere, quod nunquam apud Christianos vel factum vel auditum fuerat. Cum enim scripsissent quam ipsi vellent fidei formulam, consulatum initio posuerunt, mensem item atque illius anni diem : ut prudentibus omnibus palam facerent, non antea, sed nunc demum sub Constantio eorum cœpisse fidem. In his quippe omnibus scriptis suis unam hæresis suæ curam habuere. Ad hæc, cum se de Domino scribere simulent : alium sibi Dominum vocant Constantium. Is enim erat, qui impietati eorum potestatem tribuebat : eumque illi æternum Imperatorem appellarunt, qui Filium sempiternum esse negant : adeo aperte pro impietate sua Christum oppugnant. Sed fortasse sanctorum Prophetarum chronographia, consulatus indicandi causa illis fuit. At si id effutire ausi fuerint, suam hinc inscitiam liquidius commonstrant. Sanctorum enim Prophetiæ, temporum habent memoriam. Hesaïas quippe et Osee in diebus Hosiæ et Joatham et Achaz et

[1] Isai. LII, 5, et Rom. II, 24. — [2] Matth. XVIII, 6. — [3] Luc. XVII, 7.

Ezechiæ vixerunt : Jeremias in diebus Josiæ : Ezechiel et Daniel sub Cyro et Dario : alii item aliis prophetavere temporibus. Non quidem quod tum Religionis primordia constituerent : nam ea ante ipsos extitit et semper fuerat, atque ante mundi constitutionem, hanc ipsam nobis Deus in Christo præparavit. Neque illi fidei suæ tempora significabant, cum ante illa fideles fuerint, sed suæ annunciationis tempora indicabant. Quæ annunciatio primo ac præcipue Salvatoris spectabat adventum, secundo quæ Judæis, gentibusque obventura erant. Tempus autem indicabatur, non incœptæ fidei, uti supra dixi, sed ipsorum Prophetarum, quo scilicet ipsi hæc prophetarent. Hi autem hujus temporis sapientes, non in historiæ narratione, nec in futurorum prædictione : sed postquam hæc scripsissent, « Edita est fides Catholica, » mox addidere et consulatum et mensem et diem : ut quemadmodum Sancti illi, historiarum, suique ministerii tempora scripserant, sic isti suæ fidei tempus significarent. Atque utinam de sua tantum fide scriberent, nunc enim vere incœpit illa, nec quasi de catholica loqui ausi fuissent. Non enim scripsere : Ita credimus; sed, « Edita est catholica » fides. »

IV. Propositi igitur audacia, eorum ignorantiam prodit. Nova autem illa scribendi ratio, arianæ hæresi consentanea est. Ejusmodi enim scriptis suis indicarunt quandonam ipsi incœperint credere : atque a præsenti tempore suam fidem annuntiari volunt. Ac quemadmodum juxta Lucam Evangelistam, « datum est edictum [1]. » de descriptione, illudque edictum non prius extiterat, sed a diebus illis, a Scriptore scilicet indicatis, initium duxit; sic et isti his verbis, « Nunc fides edita est, » palam fecerunt hæreseos suæ sententiam recentiorem esse, nec

[1] Luc. II, 1.

antea extitisse. Ubi autem addiderunt, catholicæ, non adverterunt se in Cata-Phrygum amentiam esse collapsos; adeo ut isti perinde atque illi, dicant : Nobis primo revelatum est, et a nobis Christianorum fides incipit. Atque ut illi Maximillam et Montanum; sic et isti Constantium, vice Christi, Dominum conscribunt. Quod si ex illorum sententia a præsenti Consulatu fides habet initium, quid acturi Patres sunt et beati Martyres? immo quid illi ipsi facient erga eos qui a se in Christiana religione instituti, ante hunc Consulatum obdormierunt? Quomodo illos excitabunt, ut quod illos docuere in illis deleant, et inventa sua quæ jam scripsere illis inserant? Ita nempe imperiti sunt, unaque est illorum scientia, causas confingere, easque absurdas, incredibiles, et quæ nullo negotio refutentur.

V. Siquidem Nicæna Synodus non temere, sed ex urgente necessitate et ex legitima causa, coacta est; nam Syriæ, Ciliciæ et Mesopotamiæ populi, circa festi celebrationem claudicantes, cum Judæis Pascha celebrabant. Ariana quoque hæresis adversus catholicam Ecclesiam insurrexerat, patronosque habebat qui sui sollicitudinem gererent, et piis insidiarentur hominibus, Eusebianos. Quæ causa fuit œcumenicæ congregandæ Synodi; ut ubique una festi dies celebraretur, et hæresis quæ pullularat, anathemate damnaretur : quod et factum est. Syri enim obtemperarunt : ariana vero hæresis Antichristi prodromus declarata est, eaque refutata, rectam fidei expositionem ediderunt. Attamen cum tot tantique essent qui scriberent, ejusmodi nihil ausi sunt, quale tres aut quatuor isti homines. Non enim Consulatum vel mensem vel diem præposuere : sed de Paschate quidem ita scripsere : « Decreta sunt quæ sequuntur, » tunc enim decretum est ut omnes morem gererent : de fide vero nequaquam

dixere « decretum est : » sed : « Sic credit catholica Eccle-» sia, » statimque confessi sunt, quidnam crederent, ut declararent non recentiorem, sed apostolicam esse suam sententiam. Quæque illi scripto tradidere non ab illis inventa, sed ea ipsa sunt quæ docuerunt Apostoli.

VI. Quam vero legitimam causam habent Synodi ab illis coactæ? Si qua enim alia recentior post arianam exorta est hæresis, ejus nobis commenta proferant, dicantque quinam ejus sint auctores : scriptisque suis ante hanc Synodum exortas hæreses, inter quas est Ariana, anathemate damnent, quemadmodum a Nicænis Patribus factum est, ut et ipsi videantur verosimilem causam habere nova dicendi. Quod si nihil accidit ejusmodi, neque id illi probare valent, immo potius hæc effutiunt quod Arii impietatis sectatores sint : unde obvenit illis, ut quotidie confutati sententiam mutent? Quis, quæso, Synodorum usus, cum Nicæna sufficiat, quæ contra Arianam et alias hæreses coacta, eas omnes per sanam suam fidem condemnavit? Etenim ille vulgo jactatus Aëtius, cognomine atheus, non eo ferocit quod novam repererit insaniam, sed in Arianam hæresim quasi procellis agitatus, ipse cum subornatis a se hominibus, naufragium fecit. Frustra igitur circumcursantes obtendunt se fidei causa Synodos postulasse. Est quippe Scriptura sacra præ cæteris omnibus satis. Quod si hac de causa Synodo opus sit, extant Patrum acta : neque enim qui Nicææ convenere, hanc rem neglexerunt : sed tam probe scripserunt, ut qui sincero animo eorum scripta evolvant, ex iis reminisci valeant pietatis erga Christum quæ in divinis prædicatur Scripturis.

VII. Quia igitur nihil apud illos rationi consonum reperitur, et quanquam commentis utuntur, hærent tamen ubique; hoc demum restat illis dicendum : Nos ma-

joribus nostris contradicentes, transgredientesque Patrum traditiones, Synodum cogi postulavimus : metuentes autem ne Episcopis unum in locum congregatis, vana fuerit nostra sollicitudo ; rogavimus Synodum in duas dividi partes : ut separatis illis, quæ scripsimus exhibentes, majorem eorum numerum, minis Constantii impietatis patroni nomine intentatis, subornare possimus : sicque acta Nicæna irrita facere, dum scriptorum nostrum simulatam simplicitatem obtendemus. Hæc licet iisdem minime verbis sint effati, hoc certe animo omnia fecere, omnia conturbavere. Et sane cum multa multoties in diversis Synodis dixerint scripserintque, nunquam tamen de ariana hæresi, ut prava, mentionem fecerunt : immo si qui forte ex præsentibus hæreses deferrent, illi Arianam, quam Nicæna Synodus anathemate damnarat, propugnabant. Quin potius eos, qui arianica proferrent, perhumaniter amplectebantur. Magnum hoc igitur argumentum, eos non veritatis asserendæ causa, sed ut Nicæna acta abrogarent, de convocandis nunc Synodis cogitasse. Quæ autem in his Synodis cum a se, tum a sibi similibus acta sunt, rem non alio modo se habere palam faciunt. Quapropter e re fuerit ut singula, prout gesta sunt, enarremus.

VIII. Cum expectarent omnes, ut in unum convenirent, quos Imperatoris litteræ accersebant, utque unica Synodus celebraretur ; postea quam divisi fuissent, et alii Seleuciam cognomento asperam convenissent : alii Ariminum, ubi plures quadringentis Episcopi reperti sunt ; eo se contulerunt etiam Germinius, Auxentius, Valens, Ursacius, Demophilus, et Gaïus. Sed cum omnes Episcopi ex divinis Scripturis dissererent : charta illi producta, ubi Consulatum legissent, postulabant ut hæc toti anteferrentur Synodo, et nihil ultra ab hæreticis quæreretur,

nec eorum exploraretur sententia : sed hæc eorum scripta sufficerent, quæ ad hunc modum se habent.

Edita est Catholica fides, præsente Domino nostro piissimo et victoriis eximio Imperatore Constantio Augusto, æterno, venerando, sub consulatu Flaviorum Eusebii et Hypatii clarissimorum, Sirmii undecimo Calendas Junias [1].

« Credimus in unum solum ac verum Deum Patrem omnipotentem, creatorem et opificem omnium : et in unum unigenitum Filium Dei, ante omnia sæcula, ante omne principium et ante omne tempus quod excogitari potest, et ante omnem comprehensibilem substantiam, impassibiliter ex Deo genitum, per quem sæcula condita, et omnia facta sunt : natum unigenitum, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo qui ipsum genuit, secundum Scripturas : cujus generationem nemo novit, nisi solus qui ipsum genuit, Pater. Hunc scimus Dei unigenitum Filium, nutu paterno de cœlis advenisse, ad destruendum peccatum : et natum ex Maria Virgine, versatum cum Discipulis, qui omnem dipensationem implevit secundum paternam voluntatem, crucifixum, et mortuum : qui ad inferos descendit, et quæ illic agenda ordinavit : quem conspicati inferorum ostiarii exhorruerunt : qui tertia die resurrexit a mortuis, qui cum Discipulis versatus, ubi omnem dispensationem implesset, peractis quadraginta diebus, assumptus est in cœlos, sedetque ad dexteram Patris : qui venturus est ultima die resurrectionis cum gloria paterna, redditurus singulis

[1] Scripta anno 359, 22 Maii.

juxta opera sua. Et in Spiritum sanctum, quem ipse unigenitus Dei Jesus Christus promisit se missurum generi hominum, Paracletum id est Consolatorem, ut scriptum est : Vado ad Patrem meum, et rogabo Patrem, et alium Paraclitum mittet vobis, Spiritum veritatis[1]. Ille de meo accipiet, et docebit vos ac suggeret vobis omnia. Nomen autem substantiæ quod simplicius a Patribus positum, a populisque minime intellectum, offensionis causa sit : quod etiam in Scripturis non contineatur, de medio tolli, et nullam omnino substantiæ mentionem in Deo deinceps faciendam esse placuit; quod divinæ Scripturæ nusquam de Patris et Filii substantia meminerint. Patri autem Filium secundum omnia similem dicimus : quemadmodum Scripturæ dicunt atque docent. »

IX. His perlectis, non diu postea eorum qui scripserant vafrities deprehensa est. Episcopis enim proponentibus, ut Ariana cum aliis hæresibus anathemate damnaretur : acquiescentibusque omnibus, abnuerunt Ursacius et Valens cum sociis : atque demum compertum est, illos non sincero ea scripsisse animo; sed ut ea quæ Nicææ acta fuerant abrogarent, eorumque loco nefariam inducerent hæresim. Hominum itaque dolosa verba et vafrum consilium mirati Episcopi aiebant : Nos non ideo huc convenimus quod fide egeremus, in nobis enim ipsis sanam habemus fidem; sed ut eos qui veritati repugnant, et nova moliuntur, pudore afficeremus. Quod si vos, quasi qui nunc credere incipiatis, ista scripsistis, nondum Clerici estis, quippe qui jam primum fide instituamini : si vero qua mente nos convenimus, eadem et vos accessistis, sit omnium concordia, et hæreses anathemate damnemus, Patrumque nostrorum servemus traditiones, ne posthac Synodorum cogendarum causæ passim occurrant, cum se-

[1] Joan. XIV, 16.

mel illi qui Nicææ convenerunt omnia præoccuparint, et nihil non pro Catholica Ecclesia egerint. Sed cum Episcopi una omnes consentirent, abnuere tamen supradicti. Quapropter cum exploratum ipsis esset, ignaros, vafros, vel potius hæreticos esse homines, omnes Nicænam Synodum suis suffragiis approbarunt, sufficereque illam omnibus visum est; prædictos autem, Ursacium scilicet, Valentem, Germinium, Auxentium, Gaïum, et Demophilum hæreticos declararunt, et cum illos deposuissent, utpote qui non vere Christiani, sed Ariani essent, hæc Latine scripsere, quæ ad sensum Græce sic translata sunt.

X. *Exemplum Epistolæ Ariminensis Concilii ad Constantium Imperatorem, ubi Episcopi prævaricati sunt a fide vera.*

1. Jubente Deo ex præcepto pietatis tuæ credimus fuisse depositum, ut ad Ariminensium locum ex diversis Provinciis Occidentalium Episcopi veniremus, ut fides claresceret omnibus Ecclesiis Catholicis, et hæretici noscerentur. Dum enim omnes qui recte sapimus contractaremus; placuit quidem ut fidem ab antiquitate perseverantem, quam per Prophetas, Evangelia et Apostolos, per ipsum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum Salvatorem imperii tui et largitorem salutis tuæ, quam semper obtinuimus, teneamus. Nefas enim duximus, Sanctorum aliquid mutilare, et eorum qui in Nicæno tractatu consederant una cum gloriosæ memoriæ Constantino Patre pietatis tuæ. Qui tractatus manifestatus est, et insinuatus mentibus populorum, et contra hæresim arianam tunc positus invenitur, ut hæreses inde sint expugnatæ :

a quo si aliquid demptum fuerit, venenis hæreticorum aditus panditur.

2. Ideo Ursacius et Valens in suspicionem ejusdem hæreseos arianæ venerunt aliquando et suspensi erant a Communione : et rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta, quam meruerant tunc temporis a Concilio Mediolanensi, assistentibus etiam Legatis Romanæ Ecclesiæ. Constantino præsente in hoc, cum magno examine fuisset conscriptum, quod tenens baptizatus ad quietem Dei commigravit; nefas putamus inde aliquid mutilare, et tot Sanctos, et Confessores, et Successores Martyrum ipsius tractatus conscriptores in aliquo removere : cum et ipsi præteritorum Catholicorum secundum Scripturas cunctas servaverunt, mansisseque in hæc tempora, quibus pietas tua a Deo Patre per Deum et Dominum nostrum Jesum Christum regendi orbis accepit. Tunc etiam conabantur convellere, quod fuerat positum ratione. Etenim cum pietatis tuæ litteræ jusserunt tractari de fide, offerebatur nobis a supradictis turbatoribus Ecclesiarum, associato Germinio [Auxentio] et Gaïo, novum nescio quid considerandum, quod multa perversæ doctrinæ continebat. Adeo cum videretur displicere quod offerebant publice in Concilio, putaverunt aliter esse conscribendum. Equidem hæc brevi tempore sæpe mutasse, manifestum est. Et ne Ecclesiæ frequentius perturbentur, placuit instituta vetera rationabilia servari. Ad instruendam igitur tuam clementiam [Legatos misimus qui tibi sententiam Synodi per Epistolam indicent] quibus hoc ipsum solum mandamus, ut non aliter legationem perferrent : quam statuta vetera permanerent firmissima, ut et sapientia tua cognosceret, non hoc quod promiserant supradicti Valens et Ursacius, Germinius et Gaïus, si sublatum fuisset, pa-

cem posse compleri. Magis enim turbatio cunctis regionibus et Ecclesiæ Romanæ immissa est.

3. Ob quam rem tuam rogamus clementiam, ut placidis auribus et sereno vultu universos Legatos nostros et respicias et audias: neve aliquid permittat clementia tua injuria veterum convelli; sed manere ea, quæ a majoribus nostris accepimus, quos fuisse et prudentes, et sine Spiritu sancto Dei non egisse confidimus: quia ista novitate nonsolum fideles populi perturbati sunt, verum etiam infideles ad credulitatem vetantur accedere. Oramus etiam ut præcipias tot Episcopos, qui Arimino detinentur, inter quos plurimi sunt qui ætate et paupertate defecti sunt, ad suam Provinciam remeare: ne destituti suis Episcopis laborent populi Ecclesiarum. Hoc etiam frequentius postulamus, ut nihil innovetur, nihil minuatur; sed maneant incorrupta quæ Patris sanctæ pietatis tuæ temporibus et tuis religiosis sæculis permanserunt. Nec jam nos fatigari aut convelli a sedibus nostris tua sancta prudentia permittat: sed quieti vacent semper postulationibus, quas habent semper et pro salute tua, et pro regno tuo, et pro pace quam tibi divinitas pro meritis tuis profundam et perpetuam largiatur. Legati autem nostri et subscriptiones et nomina Episcoporum vel Legatorum perferent, sicut idem alia Scriptura instruit tuam sanctam religiosamque prudentiam.

Decretum synodi.

XI. Quantum decuit, Fratres carissimi, catholica Synodus patientiam habuit, et piam Ecclesiam toties exhibuit juxta Ursacium et Valentem, Germinium, Gaium [et Auxentium]; qui toties mutando quod credi-

derant, omnes Ecclesias turbaverunt, et nunc conantur hæreticum animum suum inserere animis Christianis. Subvertere enim volunt tractatum habitum apud Nicæam, qui positus est contra Arianam hæresim et cæteras. Attulerunt nobis præterea conscriptam a se fidem, quam recipere nos non licebat. Jam quidem hæretici antehac nobis pronunciati sunt, et multis diebus est comprobatum : quos et ad nostram communionem non admisimus, voce nostra damnantes eos præsentes. Nunc iterum quid vodis placet, iterum dicite, ut singulorum subscriptione firmetur. Universi Episcopi dixerunt, Placet ut hæretici supra scripti damnentur, quo possit Ecclesia fide inconcussa, quæ vere catholica est, in pace perpetua permanere. Rerum quidem Arimini gestarum celerrimus ejusmodi fuit exitus. Nulla enim ibi fuit sententiarum discrepantia : sed omnes una mente quæ decreta fuerant conscripserunt, Arianosque deposuerunt.

XII. Seleuciæ vero Asperæ hæc acta sunt. Mensis erat a Romanis September, ab Ægyptiis Thoth, a Macedonibus Gorpiæus nominatus. Decimaque sexta mensis secundum Ægyptios : qua qui vocati fuerant convenere. Erantque ibi Episcopi circiter centum sexaginta. Cum autem ex illis multi accusarentur, clamarentque accusatores adversus illos, Acacius, Patrophilus, Uranius Tyri, Eudoxius qui Antiochenam invasit Ecclesiam, Leontius, Theodotus, Evagrius, Theodulus, et Georgius ille ex toto terrarum orbe pulsus, callidam rem aggrediuntur. Veriti quippe accusatorum suorum probationes; alios secum arianæ factionis assumpsere, qui pariter ad impietatem mercenarii, et a Secundo, per magnam Synodum deposito, ordinati fuerant; ex Libya Stephanum, Seram, et Pollucem, de variis criminibus accusatos : ac deinde Pancratium, Ptolemacum quemdam Meletianum, et cum se de

fide inquirere velle simularent, haud quaquam latuit eos reformidare accusatores suos : cumque hæresim vindicarent, disjuncti sunt Episcopi et alii quidem, Acacio juncti, paucissimi numero, suspecti erant : alii autem multitudo erant. Acaciani igitur amentiæ suæ audacia usi, quæ Nicææ scripta fuerant plane abnegarunt, ipsamque Synodum criminabantur. Alii autem multo majore numero, reliquis omnibus Synodi admissis verbis, solam consubstantialis vocem, eo scilicet obtentu quod præ obscuritate suspecta esset, improbabant. Cum igitur illic diutius immorarentur, instantibus accusatoribus, accusatis autem refugientibus, et ea de causa vehementius impietate sua concitatis, in Dominumque blasphemantibus, Episcoporum multitudo rem indignissime ferens, Acacium quidem, Patrophilum, Uranium, Eudoxium, Georgiumque olim exactorem et alios ex Asia, Leontium, Theodosium, Evagrium, et Theodulum deposuere. A communione autem sua segregarunt Asterium, Eusebium, Augarum, Basilicum, Phœbum, Fidelium, Eutychium, Eustathium, et Magnum : eo quod in jus vocati, ut a multis allatas adversum se criminationes repellerent, non comparuissent : decreveruntque ut ita manerent, donec sese purgantes, ab ejusmodi criminibus se innocentes comprobarent. Cumque ad singulas diœceses judicium contra eos latum scripsissent, impiisimum Augustum Constantium adierunt, ut illi acta sua renunciarent, ita enim jussum illis fuerat. Talisque fuit Seleucianæ Synodi exitus.

XIII. Quis igitur non laudaverit, Episcoporum in Ariminensi Synodo congregatorum pietatem? qui tanto itineris labore, tot maris periculis perfuncti sunt, ut eos qui cum Ario sentirent deponerent, Patrumque definitiones integras servarent, rebus sancte et canonice constitutis. Unicuique enim eorum persuasum erat, si majo-

rum suorum decreta abrogarent, se posteris occasionem daturos, ut res a se constitutas irritas facerent. Quis contra non improbarit temeritatem Eudoxii et Acacii, qui Patrum suorum honorem, Ariomanitarum studio et gratiæ propinant? Quænam fides eorum actis, si majorum solvantur acta? aut cur Patres vocant eos quibus illi successere, quorum tamen sententiam criminantur? Præsertim Acacius quidnam de magistro suo Eusebio dixerit : qui non modo Nicænæ Synodo subscripsit, sed per Epistolam plebi suæ significavit, hanc esse veram fidem, quæ in Nicæna Synodo declarata esset? Etenim licet arbitrio suo sese per epistolam excusarit, verba tamen non negavit, immo reprehendit Arianos, quod cum dicerent, Filius non erat antequam gigneretur, ne ante Mariam quidem eum esse vellent. Quid porro populos docebunt ab illis institutos? an errasse Patres? Quî dictis eorum fidem habebunt discipuli, quibus suadent illi ut magistris non obtemperent? Quibus oculis intuebuntur monumenta Patrum, quos nunc vocant hæreticos? Cur Valentinianos, Cataphrygas et Manichæos insectantur; quos autem illis similia loqui arbitrantur, sanctos appellant? Quove jure Episcopi erunt ipsi, si ab iis quos ut hæreticos criminantur, ordinati sunt? Quod si male senserunt illi, et scriptis suis orbem terrarum in errorem deduxerunt, cesset penitus eorum memoria : et si scripta eorum abjiciantur, ite vos ipsi et eorum reliquias ex cœmeteriis abjicite, ut omnes intelligant, illos seductores, vos parricidas esse.

XIV. Certe Beatus Apostolus Corinthios laudat his verbis : « Quod per omnia mei memores estis : et sicut » tradidi vobis, præcepta mea tenetis[1]. » Isti autem cum talia de majoribus suis cogitent, iis plane contraria

[1] 1 Cor. XI, 2.

populis dicere audebunt : Non vos laudamus quod Patrum memores sitis; sed potius eo vos probamus, quod eorum traditiones non retineatis : ac demum infaustum suum genus culpent, dicantque, nos non ex piis viris, sed ex hæreticis originem duximus. Decet quippe ita loqui homines, qui uti supra dixi, et Patrum honorem, et salutem suam arianæ hæresi propinant : qui non quod in divino Proverbio scriptum est : « Mala proles patrem » execratur[1], » audire metuunt, non minas adversum ejusmodi homines in lege positas. Ob suum itaque pro hæresi studium, ita pertinace sunt animo. At vos ne ideo turbemini, neve audaciam eorum pro veritate habeatis. Etenim ipsi inter se mutuo dissident, et cum a Patribus defecerint, nequaquam una eademque sunt mente; sed variis diversisque sententiis fluctuant : disceptantesque adversus Nicænam Synodum, multas et ipsi Synodos celebrarunt : in quarum singulis cum fidem exposuerint, nulli tamen stetere professioni, nec alio inquam modo acturi sunt : male quippe quærendo, quam oderunt sapientiam nunquam invenient. Non ab re igitur aliquam Arii scriptorum partem subjunxi, item quascumque colligere potui fidei expositiones in variis Synodis editas ab illis; ut cognoscatis, et quidem non sine admiratione, qua de causa, nullo afficiantur pudore, dum adversus œcumenicam Synodum et adversus Patres suos disceptant. Arius et sectatores ejus cum hæc sentirent atque proferrent : Ex non entibus Deus Filium fecit, et vocavit eum sibi Filium : Dei Verbum est una ex creaturis, et erat aliquando cum non esset : mutabilis autem est, potestque cum voluerit mutari; a beatæ memoriæ Alexandro ab Ecclesia ejecti sunt.

XV. Ejectus autem Arius dum apud Eusebium versa-

[1] Prov. xxx, 11.

retur, suam hæsesim in charta disposuit, et quasi in Thalia, neminem prudentium, sed Ægyptium Sodatem, moribus et dissolutione numerorum imitatus, multa scripsit : quorum pars hæc est.

Blasphemiæ Arii.

Ipse igitur Deus secundum illud quod est, ineffabilis omnibus est. Hic solus nullum sibi vel æqualem vel similem vel æqualis gloriæ habet. Ingenitum autem illum dicimus, propter eum qui natura genitus est : hunc sine principio celebramus, propter eum qui initium habet. Æternum ipsum veneramur, propter eum qui in tempore natus est. Qui sine initio est, Filium posuit initium creaturarum, huncque tulit ac sibi in Filium adoptavit, qui nihil Deo proprium habet secundum propriam substantiam, non est enim æqualis aut consubstantialis illi. Sapiens vero est Deus, quia sapientiæ magister ipse est. Evidens quoque res est, Deum invisibilem esse omnibus quæ per Filium sunt, ipsique Filio invisibilem esse. Diserte autem dicam quo modo a Filio videatur qui est invisibilis : qua vi Deus videre potest, eadem propriis modis in Filium cadit Patrem videre quatenus fas est. Nimirum Trinitas est non simili gloria : substantiæ enim eorum inter se permixtæ non sunt : altera altera gloriosior est in immensum. Extraneus a Filio secundum essentiam Pater est, quia sine principio est. Intellige unitatem fuisse, dualitatem vero non fuisse priusquam existeret. Igitur Filio nondum existente, Pater Deus est. Dehinc cum Filius aliquando non extiterit, (voluntate autem paterna extitit) unigenitus Deus est, et ab utroque alienus. Sapientia, Dei sapientis voluntate sapientia extitit. Sexcentis igitur ra-

tionibus hic intelligitur, Spiritus, Virtus, Sapientia, Dei gloria, Veritas, Imago, et Verbum. Intellige illud etiam, splendorem et lucem concipi. Æqualem filio gignere potest Deus : at præstantiorem, vel meliorem, vel majorem, nequaquam. Dei voluntate Filius quantus quantus est, ex quo tempore a Deo extitit, Deus fortis cum sit, se præstantiorem ex parte celebrat. Ut paucis dicam, Filio Deus est ineffabilis, est enim sibi quod est, hoc est inenarrabilis; ita ut nihil eorum quæ secundum comprehensionem dicuntur, intelligere, aut effari valeat Filius. Impossibile quippe est illi Patrem investigare, qualis in se est. Nam ipse Filius ne suam quidem substantiam novit : Filius enim cum sit, paterna ex voluntate revera extitit. Qua ratione fieri queat, ut qui est ex Patre, ipsum genitorem cognoscere atque comprehendere possit. Palam quippe est id quod habet initium, non posse id quod non habet initium, ut est cogitare vel comprehendere.

XVI. Quæ vero Ariani per epistolam suam beatæ memoriæ viro Alexandro Episcopo scripta tradidere, hæc sunt.

Beato Papæ et Episcopo nostro Alexandro, Presbyteri et Diaconi in Domino salutem.

« Nostra a majoribus fides, quam et a te didicimus, beate Papa, hæc est. Agnoscimus unum Deum, solum ingenitum, solum æternum, solum principio carentem, solum verum, solum immortalitate præditum, solum sapientem, solum bonum, solum potentem, omnium judicem, administratorem, dispensatorem, immutabilem et inalterabilem, justum et bonum, Legis, Prophetarum et

novi Testamenti Deum : qui Filium unigenitum ante tempora æterna genuit, per quem et sæcula et universa condidit : genuit autem non sola specie tenus, sed revera propria voluntate subsistere fecit, eumque immutabilem, inalterabilem : creaturam Dei perfectam, sed non ut aliquam ex creaturis : genitum, sed non ut aliquod ex genitis : neque ut Valentinus docuit Patris prolem esse emissionem : neque ut Manichæus, partem Patri consubstantialem : neque ut Sabellius unitatem dividens, eumdem dixit Filium et Patrem : neque ut Hieracas lucernam ex lucerna, aut ut lampadem in duas partes distinctam. Neque vero ejusmodi est, ut is qui prius erat, postea genitus sit aut in Filium conditus : quemadmodum tu ipse, beate Papa, in media Ecclesia et in consessu pluries qui hæc affirmarent confutasti; sed ut dicimus, voluntate Dei ante tempora et ante sæcula creatum, qui ut viveret et esset a Patre accepit, adeo ut ei Pater suam gloriam in creatione contulerit. Neque enim Pater, cum omnium possessionem ipsi tradidit, iis seipsum privavit, quæ ingenito modo in se continet : fons enim est omnium, quapropter tres sunt substantiæ. Et Deus quidem cum omnium sit causa, omnino solus absque principio est : Filius vero sine tempore a Patre genitus, et ante sæcula creatus et fundatus, non erat priusquam gigneretur; sed sine tempore, ante omnia genitus, solus a Patre existit, non enim est æternus, coæternus, aut una cum Patre ingenitus : neque simul cum Patre habet esse, ut quidam dicunt de iis quæ ad aliud referuntur, duo ingenita principia inducentes : sed Deus, ut est unitas et principium omnium, sic ante omnia est. Quapropter et ante Filium est, ut ea te in media Ecclesia prædicante didicimus. Quatenus igitur a Deo habet essentiam, gloriam, vitam, et omnia ei tradita sunt;

eatenus Deus ejus principium est. Dominatur enim illi, utpote Deus ejus, et ante illum existens. Quod si illud, « ex ipso[1], » et « ex utero[2], » et, « ex Patre exivi, et » venio[3], quasi pars ipsius consubstantialis, vel quasi emissio, a quibusdam intelligatur, Pater, compositus erit, et divisibilis et mutabilis, item corpus secundum illos; et quantum in ipsis erit, incorporeus Deus, quæ corpori sunt propria, patietur. » Pars quædam hæc sunt eorum quæ ex hæretico corde suo Ariani evomuerunt.

XVII. Antequam vero Nicæna Synodus celebraretur, eorum similia scripserant Eusebius, Narcissus, Patrophilus, Maris, Paulinus, Theodotus et Athanasius Nazarborum : quorum Eusebius Nicomediensis eo progressus est, ut hæc Ario scripserit : « Cum recte sentias, precare » ut omnes ita sentiant : manifestum enim omnibus est, » illud quod factum est, non fuisse antequam fieret. Quod » autem factum est, incipit esse. » Eusebius vero Cæsareæ Palestinæ ad Euphrationem scribens Episcopum, non timuit aperte dicere, Christum non esse verum Deum. Sed Athanasius Nazarborum apertius hæresim detexit, cum ait Filium Dei unam ex centum ovibus esse. In suis enim ad Alexandrum Episcopum litteris, ausus est hæc proferre : « Cur Arianos arguis quod dicant, ex non extantibus Filium Dei creatum factumque, atque ex omnibus unum esse? cum enim in centum ovibus opificia » omnia per Parabolam indicentur, una ex illis est ipse » Filius. Si igitur centum illæ non sunt creatæ res et » opificia, aut si præter illas centum aliud quidpiam » existat : nec Filius utique creatura est, aut unus ex » omnibus. Quod si centum illæ omnes creatæ res sint, » nihilque sit extra illas centum præter solum Deum, » quid absurdi dicunt Ariani, si in illis centum, Christum

[1] Rom. xi, 36. — [2] Psal. cix, 3. — [3] Joan. xvi, 28.

» complectentes et annumerantes, unum ex omnibus » illum affirment? » Georgius autem qui nunc Laodiceæ Episcopus est, tumque Alexandriæ Presbyter erat, et Antiochiæ commorabatur, ad Alexandrum Episcopum hæc scripsit : « Ne Arianos reprehendas, quod dicant, erat » tempus cum non esset Filius Dei : etenim Hesaias filius » fuit Amos, ipseque Amos erat antequam Hesaias exis- » teret : Hesaias vero non erat ante, sed postea extitit.» Ad Arianos vero scripsit his verbis : « Quid Alexandrum » Papam arguitis quod dixerit ex Patre Filium esse? » etenim nec vos metuere debetis Filium dicere ex Deo » esse. Nam si Apostolus scripsit : *omnia autem ex Deo*[1], » propalamque est, ex non extantibus omnia facta fuisse : » estque etiam Filius creatus, atque una ex rebus factis; » ergo et Filius ex Deo dici poterit, sicut omnia ex Deo » dicuntur. Ab illo igitur Arii sectatores didicere, vocem, » ex Deo, simulate proferre, et verba quidem dicere, » nec tamen recte sentire. » Ipse vero Georgius ab Alexandro, cum aliis de causis, tum quod sese impium exhiberet depositus est, Presbyter enim erat, uti supra dictum est.

XVIII. Una verbo ita illi scripsere, quasi singuli certarent atque contenderent, quisnam hæreseos impietatem plus augeret, et apertius eam detegeret. Porro Epistolas illorum penes me non habeo, alioquin earum exemplaria vobis misissem, missurus sane si Deo volente nactus fuero. Item quidam Asterius ex Cappadocia, multiceps Sophista, unus ex Eusebianis, cum in priore persecutione sub Constantii avo diis sacrificasset, nec posset ab illis in Clerum cooptari; ex sententia Eusebianorum opusculum edidit, eorum arbitrio conscriptum, quod sacrificii ejus scelus æquaret : in illo enim cum locustam et erucam

1 I Cor, XII, 12.

Christo contulisset, immo prætulisset, ac diceret aliam esse in Deo sapientiam præter Christum, quæ et Christi et mundi creatrix esset, Syriæ Ecclesias aliasque, Eusebianorum commendatione fretus, circuibat : ut quia semel Christum abnegare aggressus fuerat; ita nunc quoque adversus veritatem audacius insurgeret. Homo ille sane audacissimus in quæ loca sibi ingredi non liceret sese immisit, et in Clericorum loco sedens opusculum publice legebat, cæteris tamen rem indigne ferentibus. Multa certe complectitur opusculum illud : cujus hæc pars est : « Non » enim ait beatus Paulus se Christum prædicare, pro» priam virtutem, aut sapientiam ejus, scilicet Dei ; sed » sine additamento, Dei virtutem, et Dei sapientiam : » docens aliam quidem esse propriam ipsius Dei virtu» tem, ipsi innatam, non factam et cum ipso existentem » quæ genitrix est, Christi scilicet, creatrix vero totius » mundi : de qua in Epistola ad Romanos : « Invisibilia » enim ipsius, « inquit, » a creatura mundi, per ea quæ » facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quo» que ejus virtus et divinitas[1]. » Sicut enim memoratam » hic divinitatem nemo dixerit Christum esse, sed ipsum » esse Patrem; sic puto, sempiternam ejus virtutem, » non unigenitum Deum, sed eum qui genuit Patrem » esse. Aliam vero Dei virtutem et sapientiam docet, quæ » scilicet per Christum exhibetur : et per ipsa ministerii » ejus opera cognoscitur.» Et rursum : « Etsi sempiterna » ejus virtus et sapientia, quam sine principio et gene» ratione esse, veritatis ratiocinia declarant, una eadem» que haud dubie sit : multæ tamen singulatim ab eo » creatæ sunt, quarum primogenitus, unigenitus est » Christus, quæ quidem omnes a possessore pendent, et » omnes ipsius creatoris qui illis utitur, virtutes jure ap-

[1] Rom. 1, 20.

» pellantur. Ejusmodi est quod Propheta locustam in pœ-
» nam humanorum scelerum divinitus immissam, non
» Dei virtutem solum, sed magnam virtutem ab ipso Deo
» vocari dicit[1]. Beatus autem David in plerisque Psal-
» morum, non Angelos solum, sed et virtutes Deum lau-
» dare jubet, et omnes ad hymnum concinendum horta-
» tur : quarum multitudinem declarat easque ministros
» Dei vocare non renuit, ac illius voluntatem facere do-
» cet. »

XIX. Hæc contra Salvatorem ausus, non hic tamen sceleris stetit, sed magis magisque blasphemias adauxit suas dicens: « Unus ex omnibus est Filius. Opificiorum
» enim primum est, et una ex intelligentibus naturis. Et
» quemadmodum sol in rebus quæ sub oculis cadunt,
» unus est ex iis quæ conspiciuntur : cum tamen uni-
» verso mundo, juxta factoris sui mandatum, luceat;
» eodem prorsus modo Filius, cum una sit ex intelligen-
» tibus naturis, omnibus qui in intellectuali mundo
» sunt, lucet ac splendet. » Iterumque ait : « Erat aliquan-
» do cum non esset, atque ita scribit : Et quidem ante
» Filii generationem, præexistentem generandi scientiam
» habuit Pater : inerat quippe medico, antequam quossa-
» naret adessent, medendi scientia. » Et rursum : « Bene-
» fico, *inquit*, studio creatus est Filius, et virtutis copia
» Pater illum condidit. Et iterum : Si Dei voluntas per
» omnia deinde opificia pertransiit, liquet Filium opifi-
» cium cum sit, voluntate extitisse, et factum fuisse. »
Hæc Asterius solus scripsit : Eusebiani vero hæc ipsa una cum illo sentiebant.

XX. Hæc sunt quorum causa decertant, et cum antiqua Synodo pugnant, quia scilicet qui in ea convenere Patres suis similia non scripserunt, immo arianam hære-

[1] Joel, II, 25.

sim, quam hi stabilire studebant, percusserunt anathemate. Quocirca Asterium qui idolis sacrificarat, sophistam hominem impietatis suæ advocatum designarunt; ne abstineret aut a verbis contra Dominum, aut a callidis argumentis ad simpliciores circumveniendos compositis. Verum ignorabant inscii illi, id sese in suam agere perniciem. Fœtor enim sacrificii ab advocato suo idolis oblati, hæresim magis magisque Christo inimicam coarguebat. Idcirco etiamnum omnia movent et turbant, rati, si quamplurimos occidant, et singulis mensibus Synodos convocent, vel sero tandem latam contra Arianos sententiam obliterandam esse. Videntur etiam nescire, aut scire quidem, sed simulare quasi nesciant, etiam ante Nicænam Synodum hæresim istam abominabilem fuisse : quo tempore Artemas ejus fundamenta jaceret : et ante illum, Caïphæ et Pharisæorum illius temporis confessus. Immo semper Christi ostium officina execrabilis est, nec unquam cessabit esse odiosa, quod dominicum nomen sit amabilissimum et omnis creatura genua flectat, et confiteatur, « quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei » Patris[1]. »

XXI. Cæterum illi frequentes Synodos adversus universale illud Concilium celebrantes nunquam fatiscunt. Nam tametsi post Nicænam Synodum Eusebiani depositi sunt, postea tamen impudenter Ecclesias invadentes, cœperunt Episcopis sibi repugnantibus insidiari, horumque vice hæresis suæ homines in Ecclesias constituere, ut arbitratu suo Synodos cogant, quia scilicet Episcopos habent qui secum concurrant : quos de industria, ea de causa, prius ordinarant. Coeunt igitur Jerosolymis atque hujusmodi litteras dedere.

1 Philip. II, 11.

Sancta Synodus, Hierosolymis per Dei gratiam congregata, Ecclesiæ Dei quæ est Alexandriæ, et iis quæ sunt per totam Ægyptum, Thebaïdem, Lybiam, et Pentapolim, Item Episcopis, Presbyteris, et Diaconis per totum orbem, in Domino salutem.

Nobis omnibus unum in locum ex diversis Provinciis, ad magnam solemnitatem congregatis; quam celebravimus in Dedicatione Martyrii Salvatoris, a religiosissimo Imperatore Constantino, in honorem omnium Imperatoris Dei et Christi ejus excitati; ingentem animi voluptatem Christi gratia attulit, quam nobis ipse quoque religiosissimus Imperator per proprias dedit litteras, nos ad officium hortatus : cum omnem invidiam ab Ecclesia Dei ejecisset, et omne odium procul abegisset, quo Christi membra jam pridem dissidebant : ut simplici et pacifico animo Arium cum suis reciperemus : quos ad aliquod temporis spatium omni infesta bono invidia extra Ecclesiam detinuit. Immo ipse religiosissimus Imperator per Epistolam suam hujusmodi virorum rectam esse fidem testatus est : quam ipse ab illis siscitatus, viva voce loquentes cum audisset, a se approbatam nobis indicavit, litterisque suis sanam virorum fidei formulam subjunxit, quam nos omnes rectam et Ecclesiasticam esse agnovimus. Et jure quidem hortabatur viros suscipi et Ecclesiæ Dei conjungi, ut vobis ex ejusdem Epistolæ exemplari, quam nos ad pietatem vestram misimus, notum erit. Credimus vobis ipsis, utpote propria vestri corporis membra recuperantibus, magnum fore gaudium lætitiamque : dum vestra viscera, vestros fratres, et Patres agnoscitis et recipitis : quippe non solum Presbyteri

Arii sequaces, sed omnis populus et multitudo universa vobis restituitur, quæ supra dictorum virorum occasione jamdiu a vobis dissidebat. Et revera decet vos, iis compertis quæ hic acta sunt, nempe viros illos nobiscum communicasse, et a tanta sacra Synodo receptos fuisse; conjunctionem et pacem cum propriis membris libentissime amplecti : cum potissimum fides ab illis exposita, apostolicam traditionem atque doctrinam ab omnibus approbatam, absque contentione conservet.

XXII. Hoc illis fuit Synodorum exordium, ubi cito consilium suum palam fecere, nec ocultare potuerunt. Cum enim dicerent eliminatam omnem invidiam fuisse, et, postquam Athanasius Alexandriæ Episcopus in exilium missus esset, scriberent oportere Arium cum suis suscipi; plane ostenderunt, se ea de causa Athanasio et aliis omnibus Episcopis sibi repugnantibus insidias struxisse, ut Arium cum sociis reciperent, hæresimque introducerent in Ecclesiam, et quanquam omnes pravas Arii sententias in illa Synodo laudassent, et ad communionem eos admitti statuissent, quod jam ab ipsis factum fuerat; attamen rati aliquid adhuc ad suum propositum desiderari, Antiochiæ Synodum obtentu Encæniorum, ut vocant, coegerunt. Et quia semper ab omnibus de hæresi accusabantur, alia aliis diversisque modis scripta ediderunt. In aliqua autem epistolarum suarum hæc conscripsere.

« Nos neque Arii sectatores fuimus, quomodo enim Episcopi Presbyterum sequeremur? neque aliam fidem, præter eam quæ ab initio tradita est, recepimus. Quinimmo nos ejus fide examinata, explorataque, eum potius admisimus, quam secuti sumus : quod ex verbis nostris cognituri estis. Ab initio namque didicimus, in unum et universorum Deum credere, omnium intelli-

gibilium et sensibilium opificem et provisorem. Et in unum Filium Dei unigenitum, qui ante omnia sæcula existit, et una extat cum eo qui se genuit Patre : per quem etiam omnia facta sunt, visibilia et invisibilia : qui novissimis diebus, secundum Patris voluntatem, descendit, et carnem ex Virgine assumpsit : qui postquam paternam ejus voluntatem adimplevisset, passus est, et resurrexit, in cœlos ascendit, et in dextera Patris sedet : et rursum venturus est judicare vivos et mortuos, et permanet Rex et Deus in sæcula. Credimus quoque in Spiritum sanctum. Et si hoc addere oporteat : credimus carnis resurrectionem et vitam æternam. »

XXIII. Iterumque in alia Epistola eorumdem Encæniorum tempore, cum priorum pœniteret, ac nova quædam et plura excogitassent, hæc edidere.

« Credimus juxta Evangelicam et Apostolicam traditionem in unum Deum Patrem omnipotentem : omnium rerum conditorem et opificem et provisorem ; per quem omnia. Et in unum Deum Jesum Christum Filium ejus, unigenitum Deum, per quem omnia : genitum ex Patre ante sæcula, Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto, Regem ex Rege, Dominum ex Domino, Verbum vivens, sapientiam viventem, veram lucem, viam, veritatem, resurrectionem, pastorem, portam, nec mutationi, nec conversioni obnoxium, paternæ divinitatis, substantiæ, consilii, potestatis et gloriæ in nullo dissimilem imaginem, primogenitum omnis creaturæ : qui erat in principio apud Deum : Deum Verbum, ut scriptum est in Evangelio : « et Deus erat Verbum [1] : » per quem omnia facta sunt, et in quo omnia consistunt : qui novissimis diebus descendit desuper, natus est ex Virgine secundum Scrip-

[1] Joan. I, 1.

turas, et homo factus est : mediator Dei et hominum, Apostolus fidei nostræ, et auctor vitæ, ut ipse ait : « Des-» cendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed » voluntatem ejus qui misit me [1] : » qui passus est pro nobis, et resurrexit tertia die : et ascendit in cœlum, sedetque ad dexteram Patris : et iterum venturus est cum gloria et potestate, judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum, qui ad consolationem, et sanctificationem, et ad initiationem credentibus datur, sicut et Dominus noster Jesus Christus præcepit Discipulis dicens : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, « in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [2]. » Patris, scilicet, vere Patris : et Filii vere Filii : et Spiritus sancti vere Spiritus sancti : nominibus non temere aut inutiliter positis, sed accurate propriam singulorum qui nominantur hypostasim, ordinem et gloriam significantibus : adeo ut hypostasi quidem tria sint : concordia autem, unum. Hanc igitur tenentes fidem, eamque ab initio ad finem usque in conspectu Dei et Christi servantes, pravam omnem hæreticam doctrinam anathemate damnamus. Et si quis præter sanam rectamque Scripturarum fidem docuerit, dicens, aut tempus, aut ævum, aut sæculum, esse, vel extitisse, priusquam Filius gigneretur : anathema esto. Et si quis dixerit Filium creaturam, ut unam ex creaturis, aut genitum, ut unum ex genitis, aut opificium, ut unum ex opificiis, neque singula ut divinæ Scripturæ tradiderunt, prout ordine dicta sunt, profiteatur : aut si aliquid docuerit, aut evangelizaverit, præter id quod accepimus, anathema esto. Nos enim omnia quæ sacris in Scripturis traduntur, cum a Prophetis tum ab Apostolis, vere ac religiose credimus sectamurque. »

[1] Joan. vi, 38. — [2] Matth. xxviii, 19.

XXIV. Theophronius porro quidam Episcopus Tyanensis, hanc fidei formulam a se compositam coram omnibus proposuit, cui, hominis approbata fide, subscripserunt omnes.

« Novit Deus, quem testem in animam meam advoco, me ita credere, scilicet, in unum Deum Patrem omnipotentem, universorum creatorem et factorem, ex quo omnia. Et in Filium ejus unigenitum, Deum, Verbum, potentiam, sapientiam, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia, ex Patre natum ante sæcula, Deum perfectum ex Deo perfecto : qui est apud Deum in hypostasi : qui in novissimis diebus descendit, et natus est ex Virgine, secundum Scripturas, homo factus est, passus est, resurrexit a mortuis, et ascendit in cœlos, sedetque ad dexteram Patris sui. Et iterum venturus est cum gloria et potestate, judicare vivos et mortuos, manetque in sæcula. Et in Spiritum sanctum, consolatorem, Spiritum veritatis, quem per Prophetam promisit Deus se effusurum super servos suos [1], et Dominus promisit se missurum suis Discipulis, quem etiam misit, ut testantur Apostolorum Acta [2]. Si quis autem quidpiam præter hanc fidem docet, aut intra se sentit, anathema esto. Et qui cum Marcello Ancyræ, aut Sabellio, vel Paulo Samosatensi sentit, anathematis quoque sit, et quicumque cum eo communicant. »

XXV. Porro qui ad Encænia convenerant Episcopi, nonaginta numero erant, Coss. Marcellino et Probino, Indictione 14. cum ibi esset impiissimus Constantius. Hæc cum Antiochiæ Encæniorum tempore gessissent, rati se nondum perfecte fidem suam scripsisse, utpote fluctuanti mente præditi; aliud denuo edunt de fide rescriptum paucis interjectis mensibus : atque Narcissum,

[1] Joel. II, 28. — [2] Act. II.

Marin, Theodorum, et Marcum in Gallias mittunt : qui quasi a Synodo legati, hæc beatæ memoriæ Constanti Augusto, et cæteris qui aderant, tradiderunt.

« Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, conditorem et factorem omnium, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur. Et in unigenitum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum, ante omnia sæcula ex Patre natum : Deum ex Deo, lumen ex lumine : per quem omnia facta sunt in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia : qui est Verbum, sapientia, potentia, vita et lux vera. Qui in novissimis diebus propter nos homo factus, et natus est ex sancta Virgine, crucifixus etiam, mortuus et sepultus est : et resurrexit ex mortuis tertia die, et assumptus est in cœlum, sedetque ad dexteram Patris. Et venturus est in consummatione sæculi judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua : cujus regnum interminatum permanet in infinita sæcula. Sedebit enim ad dexteram Patris, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et in Spiritum sanctum, id est, Paracletum : quem Apostolis pollicitus, post suum ad cœlos ascensum misit, ut doceret illos et suggereret omnia : per quem etiam sanctificabuntur animæ illorum qui sincere in ipsum crediderint. Illos autem qui dicunt, ex non extantibus Filium, aut ex alia substantia, et non ex Deo esse : et, fuit aliquando tempus, quo non erat, alienos agnoscit Ecclesia Catholica. »

XXV. Sed quasi se horum pœniteret, rursum post tres annos concilium suum coegerunt, miseruntque Eudoxium, Martirium, et Macedonium in Cilicia Episcopum, cum iisque alios quosdam, in Italiam, qui fidei formulam plurimis conscriptam deferrent, multisque

additamentis auctiorem quam superiores; nam quasi recentiora quædam excogitassent, hæc secum attulere.

1. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem et factorem omnium, ex quo omuis paternitas in cœlo et in terra nominatur. Et in unigenitum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum, ante omnia sæcula ex Patre natum : Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem omnia facta sunt, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia : qui est Verbum, sapientia, potentia, vita et lux vera. Qui in novissimis diebus propter nos homo factus est, et natus est ex sancta Virgine, crucifixus, mortuus et sepultus : et resurrexit ex mortuis tertia die, et assumptus est in cœlum, sedetque ad dexteram Patris : qui venturus est in consummatione sæculi judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua : cujus regnum interminatum permanet in infinita sæcula. Sedet enim ad dexteram Patris non solum in hoc sæculo, verum etiam in futuro. Credimus etiam in Spiritum sanctum, hoc est in Paracletum, quem Apostolis pollicitus post suum in cœlos ascensum misit, ut doceret illos et suggereret omnia, per quem etiam sanctificabuntur animæ eorum qui sincere in illum crediderint.

2. Illos autem qui dicunt Filium ex non extantibus, aut ex alia substantia, non autem ex Deo esse; aut tempus aliquando vel sæculum fuisse cum non esset, alienos agnoscit Catholica Ecclesia. Similiter eos qui dicunt tres Deos esse, aut Christum non esse Deum : aut eum ante sæcula neque Christum esse, neque Filium Dei : aut eumdem esse Patrem atque Filium vel Spiritum sanctum : aut ingenitum esse Filium : vel Patrem non arbitrio suo aut voluntate genuisse Filium; anathemate ferit sancta et Catholica Ecclesia.

3. Neque enim tutum est dicere Filium ex non extantibus esse, cum nusquam divinarum Scripturarum hoc de ipso feratur : vel ex alia prius existente substantia quæ Patris non esset; sed ex solo Deo eum vere genitum esse definimus : unum enim ingenitum et sine principio Christi Patrem esse divinus sermo docet. Sed neque eos qui citra Scripturæ auctoritatem temere dicunt, Erat tempus cum non esset, aliquod temporis spatium antecedens cogitare oportet; sed solum Deum qui sine tempore illum genuit. Tempora enim et sæcula per illum facta sunt. Neque item existimandum est Filium una cum Patre non genitum et principio expertem : quippe simul non geniti et principio carentis, nemo proprie Pater aut Filius dici poterit. Sed Patrem qui solus principio carens et ingenitus est, modo ineffabili et omnibus incomprehensibili genuisse novimus. Filium autem ante sæcula genitum fuisse, nec proinde velut Patrem ipsum quoque ingenitum esse : sed principium habere, Patrem nempe qui se genuit : caput enim Christi Deus [1].

4. Nec tamen quia tres res et tres personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti secundum Scripturas confitemur, ideo tres Deos facimus. Unum enim solum ex seipso perfectum, ingenitum, principio carentem, et invisibilem Deum novimus, Deum et Patrem Unigeniti, qui solus ex seipso habet esse, solus copiose illud aliis largitur. Porro tametsi unum Deum solum dicimus Patrem Domini nostri Jesu Christi, solum ingenitum, non ideo negamus Christum quoque Deum esse ante sæcula : ut faciunt Pauli Samosatensis discipuli, affirmantes eum post Incarnationem, ex profectu Deum factum esse, postquam natura simplex homo factus fuisset. Scimus enim eum quamvis Patri et Deo subjectus sit, ante sæcula tamen a Deo geni-

[1] 1 Cor. xi, 3.

tum, Deum secundum naturam perfectum et verum esse, neque ex homine postea Deum, sed ex Deo hominem propter nos factum esse, neque unquam esse desivisse.

5. Execramur præterea et anathemate damnamus eos, qui illum solum ac simplex Dei Verbum non subsistens, quod in alio suam existentiam habeat, falso appellant, quodque modo velut prolatitium a quibusdam dicitur, modo internum nominatur : Christum autem ipsum et Filium Dei, mediatorem, et imaginem Dei, non fuisse ante sæcula contendunt : sed eo tempore Christum ipsum et Filium Dei factum esse : ex quo nostram carnem ex Virgine assumpsit, non integris ab hinc quadringentis annis. Ex eo enim tempore initium regni habuisse Christum contendunt : et hoc regnum, post consummationem et judicium, finem habiturum.

6. Hujusmodi sunt sectatores Marcelli, et Scotini Ancyrogalatarum, qui Christi ante sæcula existentiam et divinitatem, ejusque perpetuum regnum cum Judæis inficiantur, ut Monarchiam constituere videantur. Scimus enim eum, non esse duntaxat prolatum, et internum Dei Verbum, sed vivum Deum Verbum per se subsistens, Deique Filium et Christum, eumque ante omnia sæcula non per solam præscientiam simul cum Patre extitisse, et cum illo versatum fuisse, ipsique ad creationem omnium visibilium sive insisibilium ministrasse. Hic enim est cui Pater dixit : « Faciamus hominem ad imaginem » et similitudinem nostram [1]. » Qui Patriarchis facie ad faciem visus est, qui legem dedit, et locutus est per Prophetas, qui tandem homo factus est, et Patrem suum omnibus hominibus manifestavit : qui regnat in infinita sæcula. Nullam enim novam dignitatem accepit Christus ;

[1] Gen. I, 26.

sed eum antea perfectum Patrisque per omnia similem esse credimus.

7. Illos vero qui dicunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum eumdem esse; tria hæc nomina de una eademque re ac persona impie accipientes, merito ab Ecclesia proscribimus : eo quod Patrem qui nec comprehendi nec pati potest, comprehensioni et passioni per Incarnationem subjiciant : cujusmodi sunt qui apud Latinos Patropassiani, apud nos Sabelliani vocantur. Nos enim scimus Patrem qui misit, in propria immutabilis divinitatis conditione permansisse : Christum autem qui missus est, Incarnationis implevisse dispensationem.

8. Itemque illos qui summa impietate dicunt non arbitrio neque voluntate Filium genitum fuisse : involuntariam et invitam quamdam necessitatem Deo attribuentes; ita ut nolens genuerit Filium, impiissimos et ab Ecclesia alienos censemus; quod præter communes de Deo sententias, immo contra mentem Scripturæ divinitus inspiratæ, ejusmodi de illo ausi sint definire. Nos enim Deum sibi ipsi imperantem, ac sui dominum agnoscentes, eum sponte ac libere Filium genuisse pie censemus. Porro licet cum timore credamus illi de se dicenti : « Dominus creavit me principium viarum suarum ad » opera sua [1]; » non tamen quo modo creaturæ et opificia ab illo facta sunt, eodem et illum factum esse intelligimus. Impium enim est, et ab ecclesiastica fide alienum, creatorem cum rebus quas creavit conferre, et eodem generationis modo atque alias creaturas illum editum esse arbitrari. Quippe unigenitum filium, unum et unice genitum fuisse, germane ac vere docent nos divinæ Scripturæ.

9. Sed neque tametsi dicimus Filium per seipsum

[1] Prov. VIII, 22.

esse, vivere ac subsistere, perinde atque Patrem, illum idcirco a Patre separamus, spatia quædam et intervalla quibus disjuncti sint corporali modo intelligentes. Credimus enim, eos absque ullo medio et interstitio conjunctos esse, nec a se invicem posse ullatenus separari : ita ut totus Pater Filium in sinu suo complectatur, et totus Filius a Patre pendeat, illi adhæreat, solusque in Patris sinu perpetuo conquiescat. Credentes igitur in undique perfectam et sanctissimam Trinitatem, id est in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum : cum Deum Patrem, Deum item Filium dicimus, non hos, duos Deos, sed unam confitemur divinitatis dignitatem, et unam absolutam regni concordiam ; ita ut solus Pater omnibus omnino, et ipsi quoque Filio dominetur : Filius vero Patri subjiciatur, et illo excepto omnibus post illum dominetur quæ ab ipso facta sunt : et Spiritus sancti gratiam Patris voluntate, sanctis affatim largitur. Sic enim ejus quæ in Christo est Monarchiæ rationem constare, sacra nobis eloquia tradiderunt.

10. Hæc coacti sumus, post fidem compendio antehac editam, fusius explicare, non superflua ambitione impulsi ; sed ut alienam omnem de fide nostra suspicionem levaremus, eorum maxime qui rerum nostrarum imperiti sunt, utque Occidentales omnes cum adversariorum sycophantiæ impudentiam, tum Orientalium Ecclesiasticam in Domino sententiam exploratam habeant, sinceroque divinitus inspiratarum Scripturarum testimonio confirmatam, apud eos qui mente minime perversa sunt.

XXVII. Sed neque his steterunt : iterum namque Sirmii adversus Photinum coacti, aliam fide formulam ediderunt, non ita prolixam, neque tot verbis conscriptam :

sed plurimis detractis, alia addiderunt, veluti ea a quibusdam sibi suggerentibus accepissent.

« Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem et factorem omnium : ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur. Et in unigenitum ejus Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, ex Patre natum ante omnia sæcula : Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis et quæ in terra, visibilia et invisibilia. Qui Verbum est et sapientia, lux vera, et vita : qui in novissimis diebus propter nos homo factus est; natusque ex sancta Virgine, crucifixus, mortuus, et sepultus : qui resurrexit ex mortuis tertia die, et assumptus est in cœlum, sedetque ad dexteram Patris. Et venturus est in consummatione sæculi judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua, cujus regnum perpetuum permanet in infinita sæcula. Erit enim sedens ad dexteram Patris, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et in Spiritum sanctum, hoc est, Paracletum : quem Apostolis pollicitus, se, post ascensum suum in cœlos, missurum, misit, ut doceret eos et suggereret eis omnia : per quem omnes animæ, quæ in eum sincere credunt, sanctificantur.

1. Eos porro qui dicunt, Filium ex non extantibus, aut ex alia substantia, et non ex Deo esse : aut tempus vel sæculum fuisse cum non existeret, alienos a se agnoscit sancta et catholica Ecclesia.

2. Iterum ergo dicimus : si quis Patrem et Filium duos Deos dicit, anathema esto.

3. Et si quis cum dicat Deum Christum, et ante sæcula Dei Filium esse, eumdem non confiteatur ad creationem universorum Patri ministrasse, anathema esto.

4. Si quis ingenitum illum, aut partem ejus ex Maria natum dicere ausit, anathema esto.

5. Si quis secundum præscientiam ante Mariam Filium esse dicit, et non ante sæcula ex Patre genitum apud Deum esse, ac per eum non omnia fuisse facta, anathema sit.

6. Si quis Dei substantiam dilatari, aut contrahi dixerit, anathema sit.

7. Si quis dilatatam Dei substantiam Filium facere dixerit, aut dilatationem substantiæ ejus Filium nominet, anathema esto.

8. Si quis internum, aut prolatitium esse Dei Filium dixerit, anathema sit.

9. Si quis Filium ex Maria natum, hominem tantum esse dicat, anathema sit.

10. Si quis Deum et hominem ex Maria natum, Deum ingenitum ipsum intelligat, anathema sit.

11. Si quis illud « Ego Deus primus, et ego postea, et » præter me non est Deus [1], » quod ad idolorum, falsorumque deorum subversionem dictum est, ad subversionem unigeniti, ante sæcula Dei, Judaïco more accipiat, anathema sit.

12. Si quis illud, « Verbum caro factum est [2], » audiens, Verbum in carnem mutatum esse existimet, aut mutationem quamdam, in assumendo carnem, passum esse dicat, anathema sit.

13. Si quis unigenitum Filium Dei crucifixum audiens, divinitatem ejus corruptionem, passionem, mutationem, diminutionem, aut destructionem subiisse dicat, anathema sit.

14. Si quis illud : « Faciamus hominem [3], » non Pa-

[1] Isai. XLIV, 6. — [2] Joan. I, 14. — [3] Gen. I, 26.

trem Filio, sed sibi ipsi Deum dixisse affirmaverit, anathema sit.

15. Si quis dixerit Abraham non vidisse Filium, sed ingenitum Deum aut partem ejus, anathema sit.

16. Si quis cum Jacobo non Filium ut hominem colluctatum esse dicat, sed ingenitum Deum, aut partem ejus, anathema sit.

17. Si quis illud, « Pluit Dominus a Domino [1], » non de Patre ac Filio accipiat, sed ipsum a seipso pluisse dicat, anathema sit : pluit enim Filius Dominus, a Domino Patre.

18. Si quis audiens Dominum Patrem et Dominum Filium, aut Dominum Patrem et Filium, quod Dominus ex Domino sit, duos dicat deos, anathema esto. Non enim Filium exæquamus Patri, sed subditum illi esse intelligimus. Neque enim sine voluntate Patris descendit Sodomam, neque pluit a semetipso, sed a Domino, id est, per auctoritatem Patris; neque sedet ad dexteram Patris a semetipso, sed audit Patrem dicentem : « Sede » a dextris meis [2]. »

19. Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unam personam dicat, anathema sit.

20. Si quis Spiritum sanctum Paracletum dicens, ingenitum Deum dixerit, anathema sit.

21. Si quis, ut nos docuit Dominus, non alium Paracletum dicat præter Filium, dixit enim : « Et alium Pa» racletum mittet vobis Pater, quem ego rogabo [3], » anathema sit.

22. Si quis Spiritum sanctum partem Patris aut Filii dixerit, anathema sit.

23. Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres deos dixerit, anathema sit.

[1] Gen. XIX, 24. — [2] Psal. CIX, 1. — [3] Joan. XIV, 16.

24. Si quis voluntate Dei, ut unam ex rebus factis Filium Dei factum esse dixerit, anathema sit.

25. Si quis Filium non volente Patre genitum esse dicat, anathema sit. Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum vellet genuit Filium : sed simul ac voluit, sine tempore, et sine passione ex se genitum illum edidit.

26. Si quis ingenitum et principio carentem dixerit Filium, ita ut duo principio carentia, et duo ingenita dicat, duosque Deos faciat, anathema sit. Caput enim quod est principium omnium Filius est : caput vero quod est principium Christi, Deus est : ita enim ad unum, qui est sine principio, omnium principium, omnia per Filium pie referimus.

27 Et iterum Christianismi sententiam accurate exponentes dicimus : Si quis negaverit Christum Deum, Filium Dei esse ante sæcula, et Patri ad universorum creationem ministrasse; sed ex quo tempore ex Maria genitus est, Christum ac Filium appellatum fuisse, et tunc incœpisse Deum esse, anathema sit.

XXVIII. His omnibus rejectis, quasi præstantiora excogitassent, fidei doctrinam formulamque statuunt, et hæc Sirmii Latine scribunt, quæ Græce translata sunt.

« Cum nonnulla putaretur esse de fide disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt et discussa, præsentibus Valente, Ursacio, Germinio et cæteris. Unum constat Deum esse et Patrem omnipotentem, ut sic per universum orbem creditur. Et unicum Filium ejus Jesum Christum Dominum Salvatorem nostrum, ex ipso ante sæcula genitum. Duos autem Deos nec posse nec debere prædicari, quia ipse Dominus dixit, « Ibo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum, ad Deum

» meum et ad Deum vestrum [1]. » Ideo omnium Deus unus est, sicut Apostolus docuit : « An Judæorum Deus » tantum ? nonne et Gentium ? Immo et Gentium. Quo- » niam quidem unus est Deus, qui justificat circumci- » sionem ex fide, et præputium per fidem [2]. » Sed et cætera convenerunt nec ullam habere potuerunt discrepantiam. Quod vero quosdam aut multos movebat, de substantia, quæ Græce Usia appellatur, id est, (ut expressius intelligatur) homousion, aut quod dicitur homœusion : nullam omnino fieri oportere mentionem nec quemquam prædicare, ea de causa et ratione, quod nec in divinis Scripturis contineatur : et quod super hominis scientiam sit, nec quisquam possit nativitatem Filii enarrare, de quo scriptum est : « Generationem ejus quis » enarrabit [3] ? » Scire autem manifestum est solum Patrem quomodo genuerit Filium suum; et Filium quomodo genitus sit a Patre. Nulla ambiguitas est majorem esse Patrem. Nulli potest dubium esse Patrem, honore, dignitate, claritate, majestate et ipso nomine Patris majorem esse Filio, ipso testante, « Qui me misit Pater, ma- » jor me est [4]. » Et hoc Catholicum esse, nemo ignorat, duas personas esse Patris et Filii. Majorem Patrem, Filium subjectum, cum omnibus his quæ ipsi Pater subjecit. Patrem initium non habere, invisibilem esse, immortalem esse, impassibilem esse : Filium autem natum esse ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cujus Filii generationem, ut ante dictum est, neminem scire, nisi Patrem suum. Ipsum autem Filium Dei, Dominum et Deum nostrum, sicuti legitur, carnem vel corpus, id est, hominem suscepisse ex utero Virginis Mariæ, sicut Angelus prædicavit. Ut autem Scripturæ omnes docent, et præcipue ipse magister Gentium Apostolus, hominem

[1] Joan, xx, 17. — [2] Rom. III, 29. — [3] Isai, LIII, 8. — [4] Joan. XIV, 28.

suscepisse de Maria Virgine, per quem compassus est. Illa autem clausula est totius fidei, et illa confirmatio quod Trinitas semper servanda est, sicut legimus in Evangelio : « Ite et baptizate omnes gentes in nomine » Patris et Filii et Spiritus sancti [1]. » Integer, perfectus numerus Trinitatis est, Paracletus autem Spiritus per Filium est · qui missus venit juxta promissum, ut Apostolos et omnes credentes instrueret, doceret, sanctificaret. »

XXIX. Hæc cum scripsissent, consilio iterum mutato, eam edidere Fidei formulam, quam se cum Consulatu edidisse postea erubuere. De more autem quasi hanc item improbarent, curarunt ut per Martinianum Notarium exempla, ab iis qui haberent auferrentur. Et cum Constantio Imperatori auctores fuissent ut adversus eam edictum promulgaret, aliam rursus tradidere. Additisque, uti solent, quibusdam verbis, hæc in Isauria conscripserunt.

« Non subterfugimus authenticam fidem in Encæniis Anthiochiæ expositam in medium proferre : etsi Patres nostri tunc temporis ad propositam quæstionem concurrerint. At cum hæ voces ὁμοούσιον, et ὁμοιούσιον præteritis temporibus atque etiam nunc multos conturbarint : immo a quibusdam ἀνάμοιον (sive dissimilem Patri Filium) jam innovari dicatur, ὁμοούσιον, et ὁμοιούσιον, utpote voces a Scripturis alienas rejicimus : ἀνάμοιον autem anathemate damnamus : et omnes quotquot hujus sententiæ fuerint, ab Ecclesia alienos sentimus. Similem vero Patris Filium plane confitemur, juxta Apostolum qui de Filio dicit : « Qui est imago Dei invisibilis [2]. » Confitemur autem et credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibi-

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] Coloss. I, 15.

lium. Credimus item in Dominum nostrum Jesum Christum, Filium ejus, sine passione ab eo genitum ante omnia sæcula, Deum Verbum, Deum ex Deo unigenitum, lumen, vitam, veritatem, sapientiam, potentiam : per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis et quæ in terra, sive visibilia, sive invisibilia. Hunc credimus in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum carnem suscepisse ex sancta Virgine, et hominem factum esse : passum esse pro peccatis nostris, resurrexisse, assumptum fuisse in cœlos, ac sedere ad dexteram Patris : et iterum venturum esse in gloria judicare vivos et mortuos. Credimus et in Spiritum sanctum, quem Paracletum quoque nuncupavit Salvator et Dominus noster : quem se post discessum suum Discipulis missurum pollicitus est, et revera misit : per quem cunctos in Ecclesia Fideles sanctificat, qui baptizantur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Eos porro qui præter hanc fidem aliud prædicant, alienos agnoscit Catholica Ecclesia. Quod autem fides Sirmii nuper edita coram pietate Imperatoris nostri, huic paria contineat, norunt omnes qui legerint. »

XXX. His in Isauria scriptis Constantinopolim profecti, quasi se scriptorum pœnitet, ea de more mutaverunt, additis tamen quibusdam voculis; ita ut neque hypostasin in Patre et Filio et Spiritu sancto dicerent : eademque ipsa iis transmisere qui Ariminum convenerant, coactis omnibus harum regionum Episcopis ut iis subscriberent. Et si qui repugnabant, eos a Constantio in exilium pelli curarunt. Sic autem se habent illa.

« Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, ex quo omnia : et in unigenitum Filium Dei, ante omnia sæcula, et ante omne principium ex Deo genitum : per quem omnia facta sunt visibilia et invisibilia, eumque unigenitum, solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem

Patris qui se genuit, secundum Scripturas : cujus generationem nemo novit nisi solus Pater qui genuit eum. Hunc scimus unigenitum Dei Filium mittente Patre ex cœlis advenisse, sicut scriptum est, ad destructionem peccati et mortis : et ex Spiritu sancto natum de Maria Virgine secundum carnem, ut scriptum est : cum Discipulis conversatum, et universa dispensatione secundum voluntatem Patris impleta, crucifixum, mortuum ac sepultum esse, et ad inferos descendisse, quem ipse infernus exhorruit : qui etiam tertia die resurrexit a mortuis, et cum Discipulis versatus est : et impletis quadraginta diebus assumptus est in cœlos, et sedet ad dexteram Patris, venturus ultimo resurrectionis die in paterna gloria, ut reddat unicuique secundum opera sua. Et in Spiritum sanctum, quem ipse unigenitus Dei Filius, Christus, Dominus et Deus noster promisit se missurum generi humano Paracletum, sicut scriptum est; Spiritum veritatis, quem ipsis misit, postquam ascendisset in cœlum [1]. Nomen autem substantiæ, quod simplicius a Patribus positum est, et ignotum populis offensioni fuit, quoniam in Scripturis non continetur, placuit amoveri, nec ullam omnino deinceps ejus fieri mentionem : quandoquidem divinæ Scripturæ nusquam substantiæ Patris ac Filii meminere. Immo nec hypostasis de Patre et Filio et Spiritu sancto nominari debet. Similem autem dicimus Patri Filium, ut loquuntur et docent divinæ Scripturæ. Omnes porro hæreses, sive olim damnatæ, sive recens ortæ, quæ huic a nobis editæ Scripturæ adversantur, anathema sunto. »

XXXI. Sed ne his quidem stetere, nam Constantinopoli Antiochiam profecti mutata sententia, qua juxta sacras Litteras similem esse Patri Filium, scripto tradi-

[1] Joan. XVI, 13

derant, concinnatisque iis quæ excogitarant, rursus ad priorem reversi sententiam, dixerunt Patris omnino dissimilem, et nullo modo similem esse Patris Filium, et tantopere a pristina mente deducti sunt, ut iis qui apertius Ariana loquerentur admissis, Ecclesias etiam ipsis traderent, ut hinc illi fidentius blasphemias proferrent, ac proinde ob ingentem blasphemiarum impudentiam Anomœi ab omnibus vocati sunt, ἐξουκόντιον quoque cognomen habentes, ac hæreticum Constantium impietatis suæ nacti patronum : qui cum ad usque finem in impietate perseverasset, demum instante morte baptizari voluit, non a piis utique viris, sed ab Euzoïo qui arianæ hæreseos causa, non semel sed multoties, et Diaconus cum esset, et cum Antiochiæ sederet, depositus fuerat.

XXXII. Huc usque igitur progressi supra dicti viri, substitere tandem, ac demum depositi sunt. Sed bene novi eos ne ita quidem gradum repressuros, quotquot jam hac usi sunt simulatione, sed conflaturos semper conspirationes contra veritatem, donec ad se reversi dicant et ipsi : surgamus properemusque ad Patres nostros, et dicamus illis : Arianam hæresim anathemate damnamus, Nicænam vero Synodum agnoscimus : cum ea enim illis est contentio. Quis igitur, vel modico sensu præditus, hos ultra ferat ? Quis homines videns in singulis Synodis alia detrahere, alia addere, eorum suspectam ac subdolam erga Christum mentem non animadvertat ? Quis eos conspicatus fidei suæ formulam ac criminationum depulsionem multis concinnare verbis, non advertat homines sese prodere, et multa de industria scribere, ut per intempestivam ostentationem, et tantam loquacitatem simpliciores seducant, ac suam possint hæresin occultare[1] ? At sicut Ethnicis, ait Dominus, nihil prodest multa in

[1] Matth. vi, 7.

orationibus verba fundere, sic et isti tot tantaque effutientes, judicium contra arianam hæresin latum abolere nequaquam potuerunt : immo magis magisque convicti, depositi sunt, et jure quidem; quod enim eorum rescriptum quivis audiens recipiat? Aut qua fiducia accedentes ad se ad fidem instituent? Nam si rescripta illa omnia unam eamdemque sententiam ferant, quid multorum opus? Sin tam multorum opus fuit, manifestum est, singula deficere plenaque non esse, quod illi ipsi plusquam nos palam faciunt : ea quippe omnia immutant atque alio edunt sermone. Porro multitudo Synodorum, scriptorumque discrepantia arguit sane eos qui convenerunt, adversus Nicænam Synodum concertare; sed tamen se imbecilliores esse quam ut oppugnent veritatem.

XXXIII. Cæterum quando ipsi erga se mutuo et erga majores suos sic affecti sunt, age, jam sciscitemur illos, ut ediscamus quam in scriptis illis absurditatem aut quam vitiosam sententiam conspicati, Patribus inobsequentes sunt, et adversus œcumenicam Synodum decertant? Hæ voces, aiunt, « ex substantia, » et « consubstantiale, » nobis minime placent, quibusdam enim offendiculo fuere, plurimos conturbarunt. Illi igitur scriptis suis ita sunt locuti. Verum sic quispiam illis occurrat : Si ergo hæc verba per se illis offensionis causa fuere, non solum quosdam offendi, ac plurimos turbari oportuit, sed et nos aliosque universos eodem affectos esse modo par fuit. Quod si universi has voces amplectuntur : si qui illa scripsere, non vulgares homines, sed ex toto orbe coacti sunt : si qui jam Ariminum convenere Episcopi plus quadringentis ea testimonio suo comprobant; nonne qui adversus Synodum hæc effutiunt hinc arguuntur, non verba quidem culpanda esse, sed eorum qui hæc prave interpretantur malitiam? Quam multi sunt, qui divinis Scrip-

turis maligne lectis ac prave intellectis, Sanctos hinc insimulant : cujusmodi fuere olim Judæi, qui Dominum non receperunt, et jam Manichæi qui in legem blasphemant : cujus sane rei, non Scripturæ, sed ipsorum perversitas causa fuit. Si itaque verborum pravitatem ostendere potestis, agite, demonstrandi ratio ineatur : nec objiciatis nobis hæc nonnullis offensioni esse, ne idem vobis, quod tunc Pharisæis, accidat. Etenim cum illi sese simularent de doctrina Domini offendi, ait Dominus illis : « Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœ» lestis, eradicabitur[1]. » His autem verbis ostendit, non Patris verba a se « plantata, » sed pravam suam recte dictorum interpretationem, offendiculo illis fuisse. Nam ii qui olim Apostoli epistolam culpabant, non Pauli, sed ipsorum ignorantiam, et perversum animum palam fecere.

XXXIV. Sed jam respondete (operæ pretium enim fuerit hoc ab illis quærere) quinam sunt, quos de illis offendi atque turbari causamini? Certe nemo eorum qui pie de Christo sentiunt, quippe qui ea defendant asserantque. Quod si Ariani sunt qui hæc indigne ferunt, quid mirum si irascuntur iis qui eorum hæresin de medio tollunt? Non enim ea verba illis scandalo sunt, sed dolori, quod quasi in cippo insculpta suam hæresin traducant. Desinite igitur adversus Patres nostros hac de causa obmurmurare : alioqui restat, ut Crucem quoque dominicam vituperetis, quod ea Judæis sit scandalum, Gentibus autem stultitia, ut dixit Apostolus. Verum quemadmodum Crux mala non est, nobis enim qui credimus, « Christus est Dei virtus et Dei sapientia[2], » etiamsi Judæi insaniant; ita quoque Patrum verba non perversa, sed utilia sunt iis qui æquo animo ea legunt, ipsaque om-

[1] Matth. xv, 13. — [2] 1 Cor. 1, 24.

nem omnino destruunt impietatem : quamvis Ariani multoties disrumpantur, quod sese ab illis damnatos videant. Demonstratum itaque est illam scandali quam afferunt rationem nullius esse probabilitatis. Cæterum respondere nobis, cur vobis hoc dictum, « ex substantia, » minime placet? Id enim primo inquirendum est : atqui vos ipsi scripsistis ex Patre genitum Filium esse. Si igitur cum Patrem nominatis, aut hanc vocem, « Deus, » pronunciatis, non substantiam significatis, neque ipsum qui existit, ut est secundum substantiam intelligitis; sed aliud circa ipsum, aut aliquid pejus, quod a me dictum nolim, per hæc indicatis : vobis ergo scribendum non fuit, ex Patre Filium esse; sed ex iis quæ circa ipsum vel in ipso sunt : ut hinc vitantes Deum vere Patrem dicere, eumque qui vere simplex est, compositum corporeumque intelligentes, recentioris blasphemiæ inventores essetis. Cum porro sic intelligatis, necesse est ut Verbum, et Filium, non substantiam sed merum nomen existimetis, ac demum nomine tenus, vestram retineatis opinionem : ac quæ dicitis nullo modo esse et nusquam extare sentiatis.

XXXV. Hæc Sadducæorum, immo potius eorum qui a Græcis athei vocantur, scelesta est opinio. Atque hinc reliquum est ut creaturas Dei veri opificium esse inficias eatis, si quidem, hæc vocabula, Pater, et Deus, non ipsam existentis substantiam significant; sed aliud quidpiam quod commenti vos estis. Sed hoc vel solum cogitare, impium prorsus atque turpissimum est. Sin autem cum audimus : « Ego sum qui sum [1] : *et,* In principio fecit » Deus cœlum et terram [2] : *et,* Audi Israël, Dominus Deus » tuus Dominus unus est [3] : *et,* Hæc dicit Dominus omni» potens; » non aliud nisi ipsam simplicem, beatam, in-

[1] Exod. III, 14. — [2] Gen. I, 1. — [3] Deut. VI, 4.

comprehensibilem ejus, qui est, substantiam intelligimus : quamvis enim quidnam ille sit comprehendere nequeamus; attamen cum has voces audimus, Pater, Deus, Omnipotens, nihil aliud quam ejus, qui est, substantiam indicari concipimus. Dixistis vos etiam, ex Deo filium esse, ac consequenter ex Patris substantia ipsum esse; cum ergo et ante vos Scripturæ dicant Dominum esse Patris Filium, et ante Scripturas Pater dixerit, « Hic est » Filius meus dilectus[1] : » Filius autem nihil aliud sit quam Patris fœtus; qua, quæso, ratione Patres non recte locuti videbuntur, ubi dixerint, Filium esse ex substantia Patris, rati scilicet idem esse sincera mente dicere, ex Deo, ac dicere, ex substantia. Nam creaturæ omnes, quamvis ex Deo extitisse dicantur, sed non quemadmodum Filius, ex Deo sunt illæ, non enim res genitæ, sed factæ, natura sua sunt. « In principio » igitur « Deus, » non genuit, sed « fecit cœlum et terram, et omnia quæ » in eis sunt[2], » ut scriptum est. Nec vero dicitur, qui gignit, sed « qui facit Angelos suos spiritus, et ministros » suos flammam ignis[3]. » Quod si Apostolus dixit, « Unus » Deus per quem omnia[4], » non eo sane illud dixit, quod Filium reliquis omnibus annumeraret : sed quoniam multi ex Græcis existimant fortuito, et ex atomorum complicatione, ac ex similaribus partibus sponte rerum naturam coaluisse, neque auctorem habere. Alii autem ab aliqua causa nec tamen per Verbum eam conditam arbitrantur. Quisque autem ex hæreticis, arbitratu suo res comminiscitur et de rerum natura fabulatur. Quapropter ex necessitate Apostolus, dixit : « ex Deo; » ut factorem notum faceret, et omnium creationem ex ejus voluntate factam declararet : statim ergo infert,

[1] Matth. III, 17. — [2] Gen. I, 1. — [3] Psal. CIII, 4. — [4] I Cor. VIII, 6.

« Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia[1], » ut ex omnibus Filium exciperet : quæ enim Dei esse dicuntur, omnia per Filium facta sunt : nec fieri potest creatas res eamdem, quam creatorem, habere generationem ; et ut doceret illud, ex Deo, quod hic dicitur, alia ratione de opificiis, alia de Filio intelligi. Nam hic proles, illa vero, opificia sunt. Ideoque Filius est proprius substantiæ fœtus, illa autem, voluntatis creaturæ.

XXXVI. Hæc cum ipsa Synodus animadverteret, ac perspectum haberet ejusdem vocabuli diversas esse significationes; ne quidam suspicarentur, Filium Dei ex Deo dici, perinde atque creaturas, clarius scripsere, Filium ex substantia Dei esse : hinc namque vere germanum Patris esse Filium indicatur. Ex eo autem quod simpliciter dicitur, ex Deo, voluntas creatoris in creando significatur. Si ergo ipsi eadem mente scripserunt ex Patre esse Verbum, ne Synodum criminentur : sin ut de creaturis scriptum est, ita de Filio eam intelligunt vocem, ex Deo; oportuit eos id de creaturis accipientes, Filium non nominare, ne videantur cum pietate blasphemiam admiscere, parque fuit, aut Dominum creaturis non annumerare, aut non indigna et minime congruentia Filio adscribere. Nam si Filius est, non est creatura, sin creatura est, non est Filius. Hac cum mente sint, sacrum etiam baptisma forte negabunt, quia in Patre et Filio, et non in creatore et creatura datur, prout ipsi sentiunt. Sed, aiunt, hæc scripta non sunt, vocesque illas, quod in Scripturis non habeantur rejicimus. Sed hanc illi cavillationem impudentissime proferunt. Si enim verba non scripta putant rejicienda : quare Ario non obsistunt, qui tot sententiolarum quæ in Scripturis non habentur colluviem excogitavit : quales sunt,

[1] 1 Cor. VIII, 6.

ex non extantibus : et, non erat Filius antequam gigneretur : et, erat tempus quo non erat : et, mutabilis est : et, ineffabilis, et invisibilis est Pater Filio : et, Filius non novit suam substantiam, et quaslibet alias ejus sententias, quas in ridicula et impia Thalia sua evomuit, immo potius eas illi propugnant, quæ causa illis est ut cum Patribus etiam suis decertent. In quibus autem Scripturis hæc ipsi invenere, non factum, et nomen substantiæ : et, tres sunt hypostates : et, Christus non est verus Deus : et, is una est ex centum ovibus : et, Sapientia quidem Dei ingenita et sine principio est, multæ autem sunt virtutes creatæ, quarum una est Christus? Aut cur cum in Encæniis, ut vocant, verbis ex Scriptura non desumptis usi Acacius, et Eusebius, dixerint, primogenitum creaturæ esse sine dissimilitudine imaginem substantiæ, potentiæ, consilii et gloriæ; adversus Patres jam obmurmurant, quod verborum quæ in Scriptura non extant mentionem fecerint, et substantiæ vocem usurparint : par fuit enim eos aut contra se ipsos obmurmurare, aut nihil Patres criminari.

XXXVII. Si igitur quidam alii ex Synodi verbis occasionem arriperent, suspicio esset eos vel ignorantia vel religione id facere : neque vero hic sermo habetur de Georgio Cappadoce, qui Alexandria exactus est, viro qui nec ex præterita vitæ ratione commendatur, nec ullo modo Christianus est : sed propter opportunitatem, Christiani nomen simulate sumpsit, et pietatem quæstus loco habuit. Quapropter nemo eum jure arguerit, quod circa fidem labatur, hominem, qui neque novit quæ dicit, nec de quibus affirmat, sed omnes, uti scriptum est, veluti larus insequitur[1]. Cum autem Acacius, Eudoxius et Patrophilus hæc dicant, quomodo non omni damna-

[1] Prov. VII, 22.

tione digni sunt? Nam cum ipsi quoque ea scripserint quæ in Scripturis non habentur, et sæpe substantiæ nomen ut sanum, maxime propter Eusebii Epistolam, receperint, majores suos nunc criminantur, quod hujusmodi sint usi verbis. Immo cum ipsi quoque dixerint Filium esse Deum ex Deo, ac Verbum vivens, substantiæ Patris imaginem per omnia similem, jam Nicænos Patres criminantur, quod dixerint, ex substantia, ac consubstantialem esse genitori genitum. Quid mirum autem si cum majoribus, et cum patribus suis pugnant, ubi ipsi secum concertant in seque ipsos impingunt. Cum enim Antiochiæ in Encæniis, ut vocant, declarassent Filium esse substantiæ Patris sine ulla dissimilitudine imaginem, jurassentque se ita sentire, ac eos qui aliter sentirent anathemate damnassent, immo in Isauria scripsissent: Non refugimus authenticam fidem in Encæniis Antiochiæ editam, (illic autem substantiæ nomen scriptum est) veluti eorum immemores paulopost in ipsa Isauria iis adversantia conscripsere, scilicet, ὁμοούσιον, et ὁμοιοούσιον, hoc est, consubstantiale, et substantia simile, utpote a Scripturis aliena, rejicimus, et substantiæ nomen de medio tollimus, quippe cum in Scripturis non reperiatur.

XXXVIII. Quis igitur viros hujusmodi ulterius Christianos existimabit? Aut quæ fides, apud quos, nec verba, nec scripta firma sunt, sed omnia pro temporis ratione mutantur et invertuntur? Si enim, o Acaci, et Eudoxi, non refugitis expositam in Encæniis fidem, in eaque scriptum est, Filium esse substantiæ Patris sine discrepantia imaginem, cur in Isauria scribitis, rejicimus ὁμοούσιον? Si namque Filius secundum substantiam Patri similis non est, quî substantiæ imago erit sine discrepantia? Quod si vos pœnituit scripsisse, cum esse sine

discrepantia substantiæ imaginem, cur anathemate damnatis eos qui dicunt Filium esse Patri dissimilem? Si enim similis non est secundum substantiam, plane dissimilis est. Quod autem dissimile est, nunquam imago fuerit. Sin, uti vos dicitis, ita se res habet, verum ergo non est qui vidit Filium, Patrem vidisse, cum multa inter utrumque sit discrepantia, immo potius hic sit illi omnino dissimilis. Quod autem dissimile est, simile nunquam dicatur. Quo pacto igitur dissimile dicitis simile, et simile dissimile existimatis, ac simulatione usi dicitis, Filium esse Patris imaginem? Si enim Filius non est secundum substantiam Patris similis, aliquid sane imagini deficit, neque est plena imago, non perfectus splendor. Cur itaque hoc legitis : « In ipso inhabitat » omnis plenitudo divinitatis corporaliter[1] : » et, « ex » plenitudine ejus nos omnes accepimus[2]? » Cur Arianum Aëtium ut hæreticum ejicitis, licet ea ipsa quæ ille loquamini? Tibi enim, Acaci, amicus est, Eudoxioque hujus magister impietatis fuit, in cujus gratiam eum Leontius Episcopus diaconum ordinavit; ut, quasi ovis vestimento diaconatus nomine usus, blasphemiæ verba libere posset evomere.

XXXIX. Quid igitur vobis suasit, ut vobis ipsis adversemini, tantumque dedecoris referatis? Certe nihil rationi consentaneum vobis dicendum suppetit : hocque solum intelligendum relinquitur, vos nulla non simulatione, nullo non commento uti propter Constantii patrocinium, lucrumque quod hinc vobis evenit. Atque in promptu vobis est Patres incusare : temereque objicitis, non haberi ea verba in Scripturis sacris : et ut scriptum est, « crura divaricastis omni transeunti[3]; » ita ut toties sententiam commutetis, quoties velint ii qui vos

[1] Coloss. II, 9. — [2] Joan. I, 6. — [3] Ezech. XVI, 25.

mercede et præmio conducunt. Quanquam nihil interest, si quis non scriptas voces proferat, dum piam servet sententiam. Hæreticus autem vir, licet verbis e Scriptura depromptis utatur, nihilo tamen minus, suspectus ac mente corruptus cum sit, a Spiritu sancto audiet : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum » meum per os tuum[1]? » Quare Diabolo licet ex Scripturis loquenti os a Salvatore obturatum est. Beatus autem Paulus, quamvis ex profanis loquatur : « Cretenses » semper mendaces[2] : » et, « Ipsius enim genus su- » mus[3] : » et, « Corrumpunt mores bonos colloquia » prava[4]; » attamen sanctus cum sit, piam retinet sententiam : et cum Christi mentem habeat, Gentibus magister est fidei et veritatis, et cum pietate semper loquitur. Ecquidnam fide dignum inest Arianicis voculis, quibus eruca et locusta Salvatori anteponitur, ipsique hæc convitia dicuntur : Aliquando non eras, et creatus es, alienusque es a Deo secundum substantiam : nullamque demum non proferunt blasphemiam? Contra, quid quod Christi commendationi laudive conferat a Patribus omissum est? Nonne sanctis potius inest viris sublimis de Christo sententia, pietasque erga illum eximia? Et tamen isti hæc ausi sunt scribere : Illa rejicimus, dumque ejusmodi id Christum maledicta tolerant, propalam certe faciunt, se nulla alia de causa cum magna Synodo pugnare, quam quod arianam damnaverit hæresin. Ea etiam illis causa est consubstantialis vocem criminandi de qua ipsi prave sentiunt. Si namque recte crederent, Patrem vere Patrem confiterentur : Filium vero genuinum Filium, et natura verum crederent Verbum, et Sapientiam Patris. Quod autem dicitur ex Deo Filium esse, si non ut de creaturis dicitur, ita de illo affirmarent; sed

[1] Psal. XLIX, 16. — [2] Tit. I, 12. — [3] Act. XVII, 28. — [4] I Cor. XV, 33.

illum substantiæ Patris propriam esse prolem intelligerent, quemadmodum splendor a luce ortum habet, nequaquam singuli eorum, Patres incusassent, ac potius fidenter dixissent, bene Synodum scripsisse, et eam esse rectam de Domino nostro Jesu Christo fidem.

XL. Sed, aient, obscura nobis est horum verborum sententia. Ea enim fuit futilis hominum excusatio : cum non possimus verborum interpretationem assequi, illa rejicimus. At si sincero loquerentur animo, non dictum oportuit, illa rejicimus; sed sciscitaturi erant ut a peritis ediscerent : alioqui rejiciant quidquid in Scripturis divinis non intelligunt, eosque qui illa scripsere criminentur. Sed hæreticorum potius quam nostrum Christianorum fuerit audacia ejusmodi. Quæ enim in sacris eloquiis non intelligimus, non ideo rejicimus, sed ab iis quærimus, ab iis ediscere postulamus, quibus Dominus revelavit. Verum quia eam verborum obscuritatem prætexunt,fateantur ergo quæ statim inferuntur,et anathemate damnent eos qui sentiunt, ex non extantibus esse Filium, et non fuisse antequam gigneretur, et creaturam opificiumque esse Dei Verbum : natura mutabile esse, et ex alia substantia; demumque arianam damnent hæresin quæ hujusmodi impietatem excogitavit. Ne dicant deinceps, ea verba rejicimus; sed, nondum illa intelligimus; ut sic verisimilem ea recusandi causam afferant. Probe scio autem ac exploratum habeo, quod ipsi quoque non ignorant, eos si ista confiteantur et arianam hæresin anathemate damnent, Synodi verba non negaturos. Idcirco enim Patres cum dixissent ex substantia Patris genitum Filium esse Patri consubstantialem, statim intulerunt : Eos autem qui prædicta illa arianæ hæreseos verba dicunt, anathemate damnamus : ut ostendant, hæc a se quasi eamdem ipsam vim habentia dicta esse, et utraque

verba idem significare : ac quicumque illa confessus fuerit, eum hæc etiam esse cogitaturum; qui vero illa non sunt sententia, immo ea verba improbant, ii sane Christo inimici esse omni ex parte coarguuntur.

XLI. Cæterum ad eorum confutationem qui totam Synodum repudiant, hæc pauca sufficiant. Viros autem qui alia quidem omnia Nicææ scripta recipiunt, de solo autem Consubstantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectari par est. Neque enim velut ariomanitas, aut Patrum adversarios, homines aggredimur : sed disputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem qua nos sunt sententia, solo nomine in controversiam adducto. Cum enim confiteantur ex substantia Patris et non ex alia substantia esse Filium, nec creaturam vel opificium illum esse : sed genuinam naturalemque prolem, et ab æterno una cum Patre Verbum et Sapientiam existere, non longe absunt a recipienda Consubstantialis voce. Talis est Basilius Ancyræ qui de fide scripsit. Nam si similis tantum dicatur secundum substantiam, id non idem prorsus significat atque illud : ex substantia; quo verbo magis, ut ipsi dixere, Patris germanum Filium ipsum esse significatur. Nam stannum est argento simile, canis lupo, aurichalcum vero auro, nec tamen stannum ex argento est, nec lupus canis Filius haberi potest. Quandoquidem autem et ex substantia, et substantiæ similem eum esse dixerunt, quid aliud his significant quam eum esse consubstantialem? Etenim sicut qui dicit tantum, substantiæ similem, non prorsus indicat eum ex substantia esse : sic qui dicit, Consubstantialem, utriusque dicti sententiam complectitur, et, substantiæ similis, et, ex substantia. Iterumque illos aggressi qui dicunt Verbum esse creaturam, et negant genuinum esse Filium, ex humanis exemplis Filii ac patris sua adversum

illos argumenta mutuati sunt, hac tamen exceptione, quod Deus non sit ut homo, neque humani partus similis sit Filii generatio, sed talis sit qualis Deo convenit, et a nobis intelligi debet. Nam et Patrem fontem sapientiæ dixere atque vitæ, Filium vero splendorem æternæ lucis, ipsumque esse fontis partum, qui ait : « Ego sum vita [1], » et, « Ego Sapientia habito in consilio [2]. » Porro lucis splendorem, fontis partum, patris Filium, quomodo apte nominaveris, nisi, Consubstantialem? Ergone, cum hominum proles, ejusdem sit substantiæ, cavere oportet, ne is qui Filius dicitur, Consubstantialis et ipse nominetur, ut hominum proles : absit, nequaquam se ita res habet. Sed hoc facile solvitur, Filius quippe Verbum et Sapientia est Patris, quibus Patris generationem impassibilem et indivisam esse significatur. Nam ne hominum quidem verbum pars eorum est, neque cum quadam passione ab illis procedit; nedum Dei Verbum, quod Filium esse suum, Pater declaravit. Ne autem quispiam audiens duntaxat, Verbum, existimet ejusmodi illud esse quale est humanum, nempe sine substantia; sed quem audit, Filium agnoscat esse Verbum vivens, et Sapientiam substantia præditam.

XLII. Deinde quemadmodum ubi eum prolem dicimus, hoc non humano more intelligimus : et cum Patrem esse Deum agnoscimus, non corporalia de illo cogitamus; sed dum illa audimus exempla hujusmodique verba, ea tamen congruenti modo de Deo intelligimus, non enim Deus ut homo; sic cum Consubstantialem audimus, omnem sensum transcendere debemus, et juxta Proverbium, spiritualiter intelligere quæ apponuntur nobis [3]; ut cognoscamus, non voluntate, sed revera eum Filium ex Patre germanum esse, quasi ex fonte vitam, et ex

[1] Joan. XIV, 16. — [2] Prov. VIII, 12. — [3] Prov. XXIII, 1.

luce splendorem. Alioqui cur illas voces, proles, filius, non corporaliter, Consubstantiale autem quasi de corporibus, intelligimus : cum potissimum non de alio atque alio hæc dicantur, sed de quo, proles, de eodem, Consubstantiale, dictum sit? Parque est eamdem sententiam utriusque dicti circa Salvatorem retinere, neque vocem illam, proles, recte; illam autem, Consubstantialis, aliter interpretari : consequens enim est vos, cum ea mente dicitis Filium Patris Verbum et Sapientiam esse, diversam de his habere sententiam, et alio modo Verbum, alio Sapientiam intelligere. At sicut absurdum illud est : namque Filius est Verbum et Sapientia Patris, unusque est ex Patre fœtus, et ejus substantiæ proprius; ita una eademque significatio est prolis et Consubstantialis : et qui censet Filium esse fœtum, is recte sentit eum esse Consubstantialem.

XLIII. Et satis quidem hæc sunt ad comprobandum dilectotum sententiam non alienam, neque longe esse a Consubstantiali. Quoniam autem, ui ipsi dicunt, (nam Epistola penes me non fuit) qui Samosatensem damnarunt Episcopi, scripto tradidere, Filium Dei, non esse Patri consubstantialem, ac demum ipsi, pietatis honorisque causa erga viros qui hæc dixerunt, sic pro ea voce sunt affecti, operæ pretium fuerit pie cum ipsis ea de re disserere. Non decet quippe illos cum his committere: omnes enim Patres sunt; neque sanctum esset definire hos probe, illos male locutos esse : omnes quippe in Christo obdormierunt. Disceptandum porro non est, neque numerus conferendus virorum qui coacti sunt, ne videantur trecenti illi, pauciores obscurare, neque tempora metienda sunt; ne qui præcessere, subsequentes exauctorare putentur. Omnes enim, uti supra dictum est, Patres sunt : neque tamen trecenti illi, aliquam no-

vam scripsere sententiam : neque sibi ipsis confisi, verbis non antea scriptis patrocinati sunt; sed exemplo Patrum incitati, eorum verba usurparunt. Diu namque ante illos septuaginta qui Samosatensem deposuerunt, duo Dionysii extitere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Episcopus erat. Cum autem quidam ad Romanum Episcopum, Alexandrinum detulissent, quod Filium rem factam et Patri non consubstantialem affirmaret, Synodus Romæ coacta rem indigne tulit : Romanus autem Episcopus omnium sententiam rescripsit ad gentilem suum. At ille sui purgandi causa librum edit hoc titulo, Elenchus et Apologia, et his verbis ad Romanum scripsit Episcopum.

XLIV. « In alia item Epistola ea scripsi, quibus criminationem adversariorum repuli mendacemque ostendi, qua aiebant me Christum negare esse Deo consubstantialem. Tametsi enim fateor, me hoc vocabulum nusquam Scripturarum sacrarum vel invenisse vel legisse; attamen argumenta mea quæ subsequuntur, quæque isti tacuerunt, ab hac sententia non discrepant. Etenim humanam prolem in exemplum attuli, quam patet ejusdem esse generis « ac genitorem. » Dixique revera in hoc solum parentes differre a filiis, quod ipsi non sint filii : alioqui necesse fore neque parentes existere, neque filios. Epistolam autem, ut ante dixi, ob præsentem rerum conditionem penes me non habeo. Alioquin ipsa tibi quæ tunc scripsi verba, immo totius Epistolæ exemplar misissem, mittamque si quando mihi ejus copia fuerit. Scio autem atque memini me plurimas ex rebus inter se cognatis similitudines conglobasse. Etenim plantam, sive ex semine, sive ex radice succrescentem, aliam esse dixi ab eo unde pullulavit, tametsi ejusdem prorsus est naturæ : fluviumque a fonte fluentem, aliam for-

mam et nomen accipere : neque enim aut fontem fluvium, aut fluvium fontem dici, sed utrumque existere : ac fontem quidem quasi Patrem esse, fluvium vero, aquam ex fonte manantem. » Hactenus Episcopus ille.

XLV. Si quis igitur eos qui Nicææ convenerunt arguit, quod præter majorum decreta quædam protulerint, is jure septuaginta Episcopos reprehendat, quod majorum suorum decreta non servarint. Prius quippe erant ambo Dionysii, atque ii qui tunc temporis Romæ convenerant Episcopi. Sed neutros fas est culpare : omnes quippe res Christi curabant, omnes studia sua convertebant adversus hæreticos, et alii Samosatensem, alii arianam damnarunt hæresin. Recte autem ac probe utrique scripsere, atque congruenter ad propositum argumentum. Etenim quemadmodum beatus Apostolus ad Romanos his verbis scripsit : « Lex spiritualis est[1], *et*, Lex sancta » et mandatum sanctum, et justum et bonum[2] » et paulopost, « Nam quod impossibile erat legi, in quo infir» mabatur : » ad Hebræos autem, « Nullum perfecit » Lex : » ad Galatas, « In lege nemo justificabitur[3]. : » ad Thimotheum autem, « Bona est lex, si quis ea legi» time utatur[4] : » neque tamen quis sanctum virum criminatus fuerit, quasi contraria et pugnantia scribat ; sed potius admiratus fuerit, quod, ut singulis consentaneum erat, scriberet ; ut Romani et alii ex littera ediscerent, sese ad Spiritum convertere : Hebræi vero et Galatæ docerentur, non in legem, sed in Dominum qui legem dedit, spem habere. Ita quoque etsi ambarum Synodorum Patres diverse de Consubstantiali mentionem fecerint, nullatenus tamen ab illis dissidere debemus,

[1] Rom. VII, 34, 12 ; Ibid. VIII, 3. — [2] Hebr. VII, 19. — [3] Galat. III, 1. — [4] 1 Tim. I, 8.

sed illorum perscrutari sententiam, et tunc ambas inter se Synodos consentire deprehendemus. Qui enim Samosatensem deposuere, vocem Consubstantialis corporali accepere modo, cum Paulus argutari vellet ac dicere, Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo Consubstantialis est Patri atque hinc necesse est tres esse substantias : unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli sophisma jure caventes, dixere Christum non esse Consubstantialem : neque enim Filius ita se habet respectu Patris qualiter ille cogitabat. Qui autem arianam hæresin anathemate damnarunt, cum Pauli calliditatem animadvertissent, et cogitarent, non ita de incorporeis, et maxime de Deo, consubstantialitatem accipiendam esse : agnoscentesque Verbum non creaturam, sed prolem ex substantia esse : item Patris substantiam, Filii principium, radicem et fontem esse, ac eumdem ex se veram esse genitoris similitudinem, nec eum quasi natura extraneum, uti nos sumus, a Patre separatum esse; sed, cum ex ipso sit, Filium esse indivisum, uti se habet splendor erga lucem : cum item sibi faverent Dionysii exempla, fontis scilicet vox et Consubstantialis defensio : et ante ista vox Salvatoris index unitatis : « Ego et Pater unum sumus[1] : *et*, qui » me vidit et Patrem[2]; » ea inquam de causa jure et ipsi Filium consubstantialem dixerunt. Et sicut, uti supra dixi, nemo Apostolum culpaverit, quod de lege Romanis hoc modo, Hebræis alio scripserit; sic nec præsentis temporis homines priscos illos criminati fuerint, si eorum considerent interpretationem : neque prisci posteros reprehenderint, si advertant qua sententia et quo usu ita de Domino scripserunt. Etenim utraque Synodus ex legitima causa, hoc modo alia, alio alia

[1] Joan. x, 30. — [2] Joan. xiv, 9.

locuta est. Cum enim Samosatensis Filium sentiret non esse ante Mariam, sed ab illa initium existendi accepisse, idcirco Episcopi tunc congregati, illum deposuerunt, et hæreticum declararunt : de Filii autem divinitate cum simplicius scriberent, ad accuratam Consubstantialis interpretationem non devenerunt, sed ut conceperant de Consubstantiali locuti sunt. Tota enim eorum cura in eo posita erat, ut quod Samosatensis commentus fuerat everterent, et ante omnia Filium esse declararent, eumque nequaquam ex homine Deum factum esse, sed Deus cum esset, formam servi induisse, et cum Verbum esset, factum esse carnem, ut ait Joannes : atque ita adversus Pauli blasphemiam actum est. Cum autem Eusebiani et Ariani, ante tempora quidem Filium fuisse dicerent, factum tamen fuisse, ac unam ex creaturis eum esse docerent : et illud, ex Deo, non Filium ex Patre genuinum esse crederent : sed sicut creaturas, ita eum affirmarent ex Deo esse : unitatem autem similitudinis Filii cum Patre, dicerent non esse secundum substantiam, nec secundum naturam, quemadmodum filius est patri similis, sed ob solum dogmatum doctrinæque consensum : immo cum substantiam Filii a Patre omnino separarent et alienarent, diversum a Patre initium ipsum habere commenti, ad creaturasque eum deprimentes; ideo qui Nicææ congregati erant, eorum qui ita sentirent vafritiem conspicati, Scripturarumque mente collecta, liquidius scripsere consubstantialem eum esse; ut hinc vera et genuina Filii natura explorata esset, palamque foret opificia nihil cum eo commune habere. Accurata enim hujus vocis ratio, eorum coarguit simulationem, qua hanc proferunt vocem, ex Deo : omnesque eorum ad simpliciores seducendos argutias refellit. Certe cum omnia possint pro libidine

sophismatibus eludere ac detorquere : hanc solam vocem, utpote quæ suam hæresin confutet, reformidant : quam Patres, quasi propugnaculum adversus impiam omnem eorum cogitationem, conscripsere.

XLVI. Cesset ergo omnis contentio, nec ultra in nos mutuo impingamus, disceptemusque, num variis modis Synodi Consubstantialis vocem acceperint. Ad defensionem enim legitimas causas pro iis afferendas habemus, cum supra dictas, tum etiam istam : nempe licet hanc vocem, ingenitum, ex Scripturis non didicerimus : nusquam enim Scripturæ Deum, ingenitum, dixere; attamen cum multi præclari viri de illo nomine mentionem fecerint : accurate de illo sciscitati, agnovimus hoc nomen diversa significare : alii enim aiunt ingenitum esse id quod existit, nec tamen genitum est, neque omnino causam habet : alii vero, id quod creatum non est. Si quis igitur harum significationum priorem respiciens, qua intelligitur, ingenitum esse, quod nullam habet causam, diceret Filium non esse ingenitum; non ideo si quem conspicatus qui juxta sententiam quæ ait, ipsum nec opificium nec creaturam, sed æternam prolem esse, eum ingenitum diceret, illum propterea criminaretur. Uterque enim juxta proprium scopum probe locutus esset; ita quoque si ex Patribus, alii alio modo de Consubstantiali locuti sunt, ne contendamus : sed pie eorum dicta excipiamus, dum maxime toto studio pietati operam dederunt.

XLVII. Ignatius certe qui post Apostolos Antiochiæ Episcopus constitutus est, ipseque Martyr Christi fuit, de Domino scribens, dixit : Unus medicus est carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo [1]. Quidam autem

[1] Hunc locum vide Epist. Ignatii ad Ephes. c. VII.

post Ignatium et ipsi ex Magistris nostris scribunt : Unum non-factum est, scilicet Pater : et unus ex ipso Filius germanus, proles vera, Verbum et Sapientia Patris. Si itaque illis etiam adversamur, sit nobis adversum Synodos quoque certamen. Quod si gnari eorum in Christo fidei, persuasum habemus beatum etiam Ignatium recte scripsisse, cum illum carnis causa factum dixit, (Christus enim caro factus est) et, non factum, quia non ex opificiis et rebus factis est, sed Filius ex Patre : nec ignoramus eos qui unum non-factum, scilicet Patrem dixere, non quasi Verbum sit res facta aut opificium ita scripsisse; sed quia nullam Pater habeat causam; immo potius, quia ipse quidem Pater sit Sapientiæ, opificia autem omnia in sapientia fecerit; cur non etiam Patres, cum eos qui Samosatensem deposuere, tum eos qui arianam hæresin infamia notarunt, in unum pietatis tuendæ studium conjungimus, immo segregamus, et quare non potius de illis recte sentimus : quandoquidem, uti jam dixi, priores illi solum Samosatensis sophisma, et ejus interpretationem spectantes, scripsere non esse Christum consubstantialem : hi vero verba sane intelligentes, dixere Filium esse consubstantialem? Equidem cum tali de piis illis erga Christum viris sim sententia, hæc paucis conscripsi. Quod si Epistolæ, quam illos scripsisse dicunt, mihi copia fuisset, existimo plures deprehensurum me fuisse causas, cur beati illi ita scribere coacti sint. Par est enim decetque nos ita sentire, probumque erga Patres animum servare, si tamen spurii non sumus, et si ab illis traditiones pietatisque doctrinam tenemus.

XLVIII. Talem igitur Patrum fuisse mentem dicamus, credamusque. Age vero rursum cum illis rem placide et bono animo inquiramus, deque supra dictis men-

tionem faciamus : annon revera demonstrari possit Episcopos Nicææ congregatos recte sensisse? Si Verbum est res facta, et alienum a Patris substantia, ita ut a Patre segregetur immo ea separatione quæ a diversitate naturæ proficiscatur, Patri certe consubstantiale nequaquam fuerit; sed potius ejusdem naturæ, cujus res factæ, etsi illis gratia antecellat. Quod si confiteamur eum non esse opificium, sed genuinam ex Patris substantia prolem, consequens sane fuerit eum inseparabilem esse a Patre, cum sit ejusdem naturæ, utpote ab illo genitus. Talis autem cum sit, jure consubstantialis dicatur. Deinde si non ex participatione Filius est, sed substantia ipsa Verbum est et Sapientia Patris : hæc autem substantia, paternæ substantiæ fœtus est et ejus similitudo, veluti splendor est similitudo lucis, Filiusque dicit : « Ego et » Pater unum sumus[1] : *et*, Qui vidit me, vidit et Pa» trem[2]; » quomodo hæ voces intelligendæ sunt? aut qua mente eas accipientes, Patrem et Filium unum esse tuebimur? Nam si ob dogmatum consensum, et quod Pater a Filio non dissentiat, ut dicunt Ariani, prava sane est hæc intelligendi ratio. Etenim Sancti, et multo magis Angeli et Archangeli, hujusmodi habent cum Deo consensum, nec ulla apud ipsos est dissensio; nam qui discors fuit Diabolus, e cœlo cadere visus est, ut ait Dominus. Si ergo ob consensum Pater et Filius unum sunt, etiam opificia quæ ita cum Deo consentient, unum cum eo fuerint, quorum quodque dicere possit : « Ego et » Pater unum sumus[3]. » Quod si absurdum hoc sit, ut revera est, necesse demum fuerit Filii et Patris unitatem, secundum substantiam intelligere. Res factæ enim quantumvis cum opifice suo consensum habeant : motu tantum, participatione, et mente eum habent, quem

[1] Joan. x, 30. — [2] Ibid. xiv, 9. — [3] Ibid. x, 30,

cum ille non servasset, ejectus ex cœlo est. Filius autem cum sit ex substantia fœtus, substantia quoque ipse et qui genuit eum Pater unum sunt.

XLIX. Quamobrem vocibus unitatem indicantibus æqualitatem cum Patre habere dicitur, et hinc fit ut quæ de Patre dicuntur, eadem de Filio Scripturæ asserant : ea tamen exceptione quod ille, Pater dicatur. Ipse enim Filius ait : « Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt[1] : » Patrique dixit : « Omnia mea, tua sunt, et tua mea[2]. » Hujusmodi est illud, Deus : nam, « Deus erat Verbum[3] : » et illud omnipotens : « Hæc dicit qui est, et qui erat, et qui venturus est Omnipotens[4] : » et quod sit lux : « Ego » sum, » inquit, « lux[5] : » quod sit creatrix causa, nam, « Omnia per ipsum facta sunt, *et*, Quæ video Pa- » trem facientem, hæc et ego facio[6]; » quod sit æternus : « Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, *et*, » In principio erat Verbum[7] : *et*, Erat lux vera quæ il- « luminat omnem hominem venientem in mundum[8] : » quod sit Dominus : « Pluit enim Dominus ignem et sul- » phur a Domino : » et Pater quidem ait : « Ego Domi- » nus, *et*, Hæc dicit Dominus Deus omnipotens[9] : » de Filio autem, inquit Paulus, « Unus Dominus Jesus Chris- » tus, per quem omnia[10]. » Patri ministrant Angeli, Filius autem ab ipsis adoratur : « Et adorent eum omnes » Angeli Dei[11]. » Dicitur etiam esse Dominus Angelorum, nam, « Angeli ministrabant ei[12] : *et*, Mittet Filius homi- » dis Angelos suos[13] : » quod honoretur sicut Pater : *Ut*, inquit, « Honorificent Filium, sicut honorificant Pa- » trem[14]. « Quod sit æqualis Deo : « Non rapinam arbi-

[1] Joan. xvi, 15. — [2] Ibid. xvii, 10. — [3] Apoc. i, 8. — [4] Joan. viii, 12. — [5] Ibid. i, 3. — [6] Ibid. v, 19. — [7] Paul. Rom. i, 20. — [8] Joan. i, 1, 9. — [9] Gen. xix, 24. — [10] i Cor. viii, 6. — [11] Hebr. i, 6. — [12] Matth. iv, 11. — [13] Matth. xxiv, 31. — [14] Joan. v, 23.

» tratus est esse se æqualem Deo : » quod sit ex vero veritas, ex vivente vita, ut qui revera ex Patris fonte emanaverit : quod Filius vivificet et suscitet mortuos sicut Pater, ita enim legitur in Evangelio. Et de Patre quidem scriptum est : « Dominus Deus tuus, unus Domi-» nus est[1] : *et*, Deus Deorum Dominus locutus est, et » vocavit terram[2] : » de Filio autem, « Deus Dominus » et illuxit nobis, *et*, videbitur Deus deorum in Sion[3]. » Et rursum de Deo quidem ait Hesaïas : « Quis Deus, » ut tu, tollens iniquitates, et superans injustitias[4]? » Filius vero dicebat, quibus placuit ipsi : » Dimittuntur » tibi peccata tua[4] : quo tempore Judæis murmurantibus, opere illam remissionem comprobavit, dicens Paralytico : » Surge, tolle grabatum tuum, et vade in do-» mum tuam[6]. » De Deo quoque dixit Paulus : « Regi » sæculorum[7] : » de Filio autem David cecinit : « At-» tollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ » æternales, et introibit Rex gloriæ[8] : » Daniel vero hæc audivit : » Regnum ejus, regnum sempiternum, *et*, » regnum ejus non corrumpetur[9]. » Demum quæcumque de Patre dicta repereris, tot tantaque de Filio dicta deprehendes, ea solum exceptione, quod ipse non sit Pater, ut dictum superius est.

L. Si quis igitur aliud principium et alium Patrem excogitet, eo quod æqualia sint quæ dicuntur, insanum certe illud commentum. Si autem quia Filius ex Patre est, omnia quæ Patris sunt (ut in imagine et caractere) Filii sunt : æquo animo cogitemus, num substantia aliena a Patris substantia, istiusmodi rerum capax sit : et si, qui talis est, diversæ naturæ, et alienæ substantiæ sit,

[1] Deut VI, 4 ; Psal. XLIX, 1. — [2] Vide psal. CXVII, 27 ; Psal. LXXXIII, 8. — [3] Isai. XLIII, 25. — [4] Matth. IX, 5. — [5] Marc. II, 11. — [6] I Tim. XVII. — [7] Psal. XXIII, 7. — [8] Dan. III, 100. — [9] Dan. VII, 14.

et non potius Patri consubstantialis. Cavendum enim, ne quæ Patris propria sunt transferentes ad illud, quod ei substantia dissimile est, et ne in eo qui dissimilis natura, et alienus substantia est, Patris divinitatem designantes, extraneam aliam inducamus substantiam, primæ substantiæ proprietatum capacem : pudoreque afficiamur ab ipso Deo dicente, « Gloriam meam alteri non » dabo [1], » et deprehendamur alienum adorare, talesque habeamur, quales olim fuere Judæi, qui aiebant : « Quare tu, homo cum sis, facis teipsum Deum [2] : » cum illi ea quæ Spiritus erant alio transferentes, blasphemarent his verbis : « In Beelzebulem ejicit dæmo- » nia [3]. » Quod si illud indecorum est, certe non dissimilis substantiæ fuerit Filius, sed consubstantialis Patri. Etenim si quæ Patris sunt, naturaliter Filii sunt, ipseque Filius ex Patre est, et propter hujusmodi unitatem divinitatis et naturæ, ipse et Pater unum sunt, et qui vidit Filium vidit et Patrem, merito a Patribus dictus est consubstantialis : neque enim qui alterius esset substantiæ, talia habere posset.

LI. Rursum si, prout supra diximus, non ex participatione sit Filius : sed opificia quidem omnia, ex participatione Dei gratiam habeant, ipse vero Patris sapientia et Verbum sit, qui, cum eo communia habet omnia : certe cum sit ipse id quo Pater deificat et illuminat, in quo scilicet omnia deificantur et vivificantur, non alienæ a Patre substantiæ est, sed consubtantialis. Hujus enim participatione, Patris participes efficimur, eo quod ipse proprium Patris sit Verbum. Unde si ipse quoque ex participatione esset, et non ex se substantialis divinitas et imago Patris, non deificaret alios, cum et ipse deificatus esset. Non enim fieri potest eum qui ex parti-

[1] Isai. XLII, 8. — [2] Joan. X, 13. — [3] Luc. XI, 15.

cipatione habet, id cujus particeps est aliis impertire : quod enim ille habet, suum non est, sed ejus qui dedit, et quod accepit, vix sibi sufficientem gratiam accepit. Causam tamen cur quidam, ut fertur, consubstantiale respuant, sincere examinemus, an non magis ex illa ipsa Filius Patri consubstantialis ostendatur. Aiunt igitur, ut vos scripsistis, Filium Patri consubstantialem dici minime debere, quia qui dicit consubstantialem, tria dicit, substantiam aliquam, quæ prius subjaceat, et eos qui ex illa geniti sunt esse consubstantiales : atque hinc concludunt : Si ergo Filius sit Patri consubstantialis, necesse est prius subjacere eorum substantiam ex qua geniti sint, et non esse illum Patrem, hunc Filium, sed ambos fratres. Hæc tametsi Ethnicorum sunt explicationes, nosque nihil eorum egemus ratiociniis; nihilominus videamus utrum illa consubstantialia, quæ cum ex prius intellecta substantia sint, fratres dicuntur, sibi mutuo, an substantiæ ex qua orta sunt, sint consubstantialia. Si enim sibi mutuo ; diversæ ergo substantiæ, ac dissimilia erunt substantiæ a qua ortum duxerunt : opponitur enim consubstantiali, quod est ex diversa substantia. Quod si utrumque consubstantiale sit substantiæ a qua ortum duxit, nam id certe quod ex alio nascitur ei qui se genuit est consubstantiale; non ultra sunt quærendæ tres substantiæ : sed id solum investigandum, num hoc vere ex illo sit. Nam etsi contingat non esse duos fratres, sed unicum ex illa substantia ortum esse : eo quod alter non sit, nequaquam qui natus est, diversæ substantiæ dicatur ; sed licet solus sit, erit tamen et ipse ei qui se genuit consubstantialis. Alioqui quid dixerimus de filia Jephte, quæ unigenita erat : « Et non habebat, ait, alios » liberos[1] : et de filio viduæ quem Dominus ex mortuis

[1] Jud. XI, 34.

suscitavit, qui et ipse fratrem non habebat, sed unigenitus erat : an uterque ei qui se genuerat consubstantialis non erat? Erant plane, nam liberi erant : idque proprium liberis est erga parentes suos. Sic cum Patres, Dei Filium ex ejus substantia dixerint, merito et consubstantialem dixerunt : hanc enim vim et proprietatem habet quoque splendor ad lucem. Hinc autem sequitur, neque creatas res ex non existente factas esse. Homines enim ipsi qui cum passione aliqua gignunt, in subjacente materia operantur, nec aliter quidquam facere potuerint. Quod si creandi modum in Deo non humano more intelligimus, multo minus gignendi in ipso intelligere humano more debemus, neque corporeo modo consubstantiale accipere. Sed recedendum nobis est a rebus factis, ac depositis humanis imaginibus, omnibusque omnino sensibus, ad Patrem ascendere, ne inscii Filium a Patre auferamus, eumque rebus a se creatis adjungamus.

LII. Rursum si Patrem et Filium confitentes, duo principia, aut duos deos dicimus, quemadmodum Marcion et Valentinus; aut Filium, quemdam alium divinitatis modum habere, et non esse imaginem et figuram Patris, quod ex ipso genitus sit : esto dissimilis; nam alienæ inter se prorsus sunt istiusmodi substantiæ. Quod si unam agnoscimus et solam Patris divinitatem, hujusque Verbum et Sapientiam Filium esse, et hoc credentes, duos tamen deos minime dicimus, unitatemque Filii cum Patre non doctrinæ similitudine, sed secundum substantiam, et re vera consistere sentimus, ita ut propterea non duos deos, sed unum dicamus, cum una sit species divinitatis, ut est lux et splendor, illa enim Patriarchæ Jacob visa est, aitque Scriptura : « Ortus est autem illi sol, postquam transivit species

» Dei [1]. » Hoc cum viderent sancti Prophetæ, ac intelligerent cujusnam sit ille Filius et imago, aiebant : « Factum est Verbum Domini ad me, » cumque Patrem in eo visum revelatumque cognoscerent, fidenter dicebant : « Visus est mihi Deus Patrum nostrorum, Deus » Abraham, Isaac et Jacob. » Cum igitur ita se res habeat, cur eum qui unus est cum Patre, et talis apparet qualis est Pater, secundum similitudinem atque unam divinitatem, veremur dicere consubstantialem? Si enim, quemadmodum sæpius dictum est, nullam habet ut Filius proprietatem similitudinemve cum paterna substantia, ea voce uti recte veremur. Sin autem ille est Patris propria vis illuminatrix et creatrix, sine qua nec creat, nec cognoscitur (omnia enim per ipsum et in ipso consistunt), cur rem intelligentes, recusamus vocem id significantem proferre? Quid enim est ejusdem naturæ esse cujus Pater, nisi esse illi consubstantiale? Non enim alienum Deus veluti ministro egens Filium assumpsit : neque opificia creatori sunt dignitate paria, ut perinde illa atque ipse honorentur, aut ut putandum sit, ea et Patrem unum esse. Alioquin ausit quis hæc dividere, ac dicere solem et splendorem duo esse lumina, aut diversam aliquam substantiam, aut splendorem solis accidens esse, et non simplicem ac purum solis partum ; ita ut duo quidem sint sol et splendor, una tamen lux, eo quod ille a sole oriatur. Cum hujusmodi sit, immo magis inseparabilis natura Filii a Patre, et cum divinitas Filio non acciderit, sed paterna divinitas in Filio sit ; ita ut qui videt Filium, in ipso Patrem videat, cur qui hujusmodi est, non dicatur consubstantialis ?

LIII. Sat quidem hæc sunt, quæ vobis suadeant, ut

[1] Gen. XXXII, 31.

non accusetis eos qui dixere Filium esse Patri consubstantialem. Attamen ipsam consubstantialis vocem secundum se explanemus, ut comperiamus utrum hæc vox, consubstantialis, usurpanda sit, et si propria sit dictio, atque congruenter de Filio dicatur. Nam ipsi scitis, et nemo dubitaverit, simile non de substantiis, sed de figuris et qualitatibus dici. De substantiis enim, non similitudo, sed identitas dici debet. Homo igitur hominis similis dicitur, non secundum substantiam, sed secundum habitum et figuram : quod ad substantiam enim ejusdem naturæ sunt. Rursum homo cani nequaquam dissimilis dicitur, sed diversæ naturæ : ergo quod ejusdem naturæ est, etiam consubstantiale est; et quod diversæ naturæ, diversæ etiam substantiæ. Quapropter qui dicit similem secundum substantiam, ex participatione similem dicit : similitudo enim est qualitas, quæ substantiæ accidere potest; hoc autem opificiis proprium fuerit, ea enim ex participatione Deo similia efficiuntur. Nam, « Cum, *ait*, apparuerit ille, similes ei erimus[1], » similes scilicet non substantia, sed filiorum adoptione, quam per eum participamus. Si igitur eum ex participatione Filium dicitis, dicatur a vobis substantia similis: sed si ita appelletur, nec veritas, nec lumen ullatenus, nec natura Deus erit. Nam quæ ex participatione sunt, non vere, sed similitudine veritatis similia dicuntur; ita ut quod participatur, a participantibus decidere et tolli possit : hoc autem creatis rebus atque opificiis proprium est. Itaque si absurdum illud est, nequaquam erit ex participatione, sed ex natura et veritate, Filius, lumen, sapientia, Deus : cum autem natura talis sit et non participatione, nunquam proprie substantia similis dici potuerit, sed consubstantialis. Quod autem de aliis

[1] I Joan. III. 2.

nemo dixerit (demonstratum est enim, simile de substantiis non prædicari), qui, quæso, non stultum fuerit, et fortasse etiam gravissimum id de Filio proferre, et non potius eum consubstantialem appellare?

LIV. Idcirco probe Nicæna Synodus id scripsit quod consentaneum erat, Filium nempe ex substantia Patris genitum, esse consubstantialem. Hæc eadem nos cum didiceremus, ne cum umbris pugnemus : gnari maxime eos qui exscripserunt, non studio prave explicandi veritatem, sed eam una cum pietate in Christum asserendi, et Ariomanitarum blasphemias damnandi, sic fidem promulgasse suam. Considerandum enim est, et accurate animadvertendum, cum eum dicimus substantia dissimilem, et diversæ substantiæ, nos haudquaquam verum Filium significare, sed unum ex opificiis, et ascitum adoptioneque Filium, quod hæretici sentiunt : quem si dicamus sine contentione consubstantialem, verum significamus Filium ex Patre natum : etiam si hac de causa pluries disrumpatur Christi hostes. Hæc quidem, quæ nota mihi, et ex prudentium disputationibus explorata erant, paucis scripsi. Vos autem manentes super fundamentum Apostolorum, Patrumque traditiones retinentes, orate, ut jam cesset omnis contentio et zelus, hæreticorumque insanæ quæstiones et una omnis verborum contentio damnentur, utque nefaria et sanguinaria Arianorum hæresis aboleatur, in omnium vero cordibus veritas eluceat; ita ut omnes ubique idem dicant, idem sentiant : ac nulla deinceps relicta ariana blasphemia, per universam Ecclesiam dicatur, atque in confesso habeatur illud, « Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma[1], » in Christo Jesu Domino nostro, per quem Patri gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ephes. IV.

LV. Postquam de Synodis scripsissem, comperi impiissimum Constantium ad Episcopos Arimini versantes scripsisse. Operamque dedi, ut exempla a germanis fratribus acciperem, ad vosque mitterem, et simul ea quæ Episcopi rescripserunt : ut sciatis cum Imperatoris impiam versutiam, tum Episcoporum firmam immotamque in veritate sententiam.

INTERPRETATIO EPISTOLÆ.

Constantius Victor et Triumphator Augustus, omnibus Episcopis qui Ariminum convenerunt.

« Præcipuam nos semper curam gerere divinæ et adorandæ Legis, ne vestra quidem mansuetudo ignorat : attamen viginti Episcopos a vestra prudentia missos, qui legationem vestram obeundam susceperunt, nondum videre potuimus, urgebat enim nos necessaria adversus Barbaros expeditio : et, quemadmodum nostis, animo ab omni sollicitudine vacuo divinæ Legis negotia tractanda sunt. Quamobrem Episcopis mandavimus, ut Adrianopoli reditum nostrum expectarent, ut postquam ea quæ ad rempublicam pertinent recte fuerint constituta, tunc demum quæ illi sugesserint, audire atque expendere valeamus. Vestræ igitur constantiæ ne molestum sit eorum reditum expectare, ut cum reversi fuerint, nostra ad vos responsa ferentes, ea quæ utilitatem Ecclesiæ catholicæ spectant, ad exitum perducere possitis. » Hæc Episcopi acceperunt, tribus referentibus.

Exemplum Epistolæ Episcoporum.

Tuæ clementiæ litteras accepimus, Domine Imperator religiosissime, quibus significas, te ob publicorum negotiorum necessitatem, nondum potuisse legatos nostros ad conspectum admittere tuum: nosque jubes eorum reditum expectare, donec pietas tua per illos norit quæ sunt a nobis juxta majorum nostrorum traditionem decreta. Nos vero etiam nunc his litteris profitemur et affirmamus, nullatenus nos a proposito nostro discessuros: id enim legatis quoque nostris jussimus. Rogamus itaque, ut placido vultu, tum hæc mediocritatis nostræ scripta jubeas perlegi, tum ea quæ per legatos nostros mandavimus, perhumaniter accipias. Porro tua benignitas nobiscum intelligit, quantus mœror et tristitia nunc sit, quod tuis felicissimis temporibus, tot Ecclesiæ Episcopis destitutæ sint, et idcirco clementiam tuam etiam atque etiam rogamus, Domine Deo carissime Imperator, ut ante hyemis asperitatem, si quidem id tuæ pietati placuerit, nos ad nostras Ecclesias redire jubeas: quo possimus omnipotenti Deo, et Domino ac Salvatori nostro Christo, Filio ejus unigenito, pro Imperio tuo, consuetas una cum populis preces effundere: sicut ante semper fecimus, et nunc orantes facere non desistemus.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

TOMUS AD ANTIOCHENOS.

Carissimis et optatissimis comministris Eusebio, Lucifero, Asterio, Cymatio et Anatolio, Athanasius, cæterique Episcopi, ex Italia, Arabia, Ægypto et Lybia, qui Alexandriæ affuere, Eusebius, Asterius, Gaius, Agathus, Ammonius, Agathodæmon, Dracontius, Adelphius, Hermæon, Marcus, Theodorus, Andreas, Paphnutius, alius Marcus, Zoïlus, Menas, Georgius, Lucius, Macarius, et reliqui, in Christo salutem plurimam.

I. Persuasum quidem habemus, vos cum sitis ministri Dei ac boni dispensatores, ad omnia Ecclesiæ negotia temperanda idoneos esse. Verum quia ad nos allatum est, plurimos qui pridem a nobis per contentionem desciverant, pacem jam cupere: plerosque item ab Ariomanitarum hæresi deficientes communionem nostram exoptare; necessarium duximus, ea quæ nos et dilecti nostri

Eusebius et Asterius scripsimus, vestræ quoque mansuetudini scribere, (qui et ipsi estis dilecti ac vere optatissimi comministri) de hoc quidem fausto nuntio læti, optantesque ut si quis adhuc procul nobis relinquitur, et si quis Arianorum cœtibus etiam nunc jungi videtur, his ab illorum insania resiliat : ita ut omnes deinceps ubique dicant, « Unus Dominus una fides[1]. » Quid enim tam « bonum, » ut ait Psalmista, et tam *jucundum*, quam « habitare fratres in unum[2]? » Domus autem nostra est Ecclesia ; quocirca par est eamdem nobis esse sententiam : sic enim et Dominum nobiscum habitaturum credimus, qui dixit, « Inhabitabo in illis et inam» bulabo, *et*, Hic habitabo quoniam elegi eam[3]. » Hic autem ubinam, nisi ubi una fides et religio prædicatur?

II. Vellemus quidem nos Ægyptii, una cum dilectis fratribus nostris Eusebio et Asterio multis de causis ad vos proficisci, sed ideo maxime, ut vestram caritatem amplecteremur, et simul hujusmodi pace et concordia frueremur. Verum quia, ut in aliis quoque epistolis indicavimus, et ab ipsis comministris nostris discere potestis, Ecclesiasticis necessitatibus detinemur : hac de causa sane dolemus ; sed tamen eosdem comministros nostros Asterium et Eusebium rogavimus, ut nostrum vice ad vos accedant : gratiasque illorum pietati agimus, quod tametsi licebat ipsis ad suas diœceses properare, omnibus tamen posthabitis, ob urgentem Ecclesiæ necessitatem ad vos iter instituere maluerunt. Illis igitur nostro desiderio acquiescentibus, nosmetipsos consolati sumus, quia ejusmodi viris vobiscum istuc convenientibus, nos quoque omnes adesse arbitramur.

[1] Ephes. IV, 5. — [2] Psal. CXXXII, 1. — [3] 2 Cor. VI, 16, et Levit. XXVI, 12. — [4] Psal. CXXXI, 14.

III. Quotquot igitur nobiscum pacem habere cupiunt, maxime autem qui in Veteri conventus agunt, et qui ab Arianorum partibus resiliunt, ad vos convocate, eosque, quemadmodum patres filios suos, excipite, ac velut magistri et tutores amplexamini : dilectisque nostris Paulino et sequacibus ejus adjungite, nihilque amplius ab illis exigatis quam ut arianam hæresin anathemate damnent, fidemque a sanctis Patribus Nicææ promulgatam profiteantur. Condemnent item eos qui Spiritum sanctum affirmant creaturam esse et a Christi substantia divisum. Illud enim vere est resilere a detestanda Arianorum hæresi, sanctam Trinitatem non dividere, nec dicere aliquid quod ad eam pertineat creaturam esse. Nam qui simulant quidem se Nicænam fidem profiteri, atque interea contra Spiritum sanctum blasphemare non dubitant, nihil aliud præstant, quam quod arianam hæresin verbis quidem negant, animo autem et sententia retinent. Anathemate quoque ab omnibus damnetur Sabellii et Pauli Samosatentis impietas, Valentini item et Basilidis insania et Manichœorum amentia : quod si ita fiat, futurum est ut omnis mala suspicio levetur ubique, et sola catholicæ Ecclesiæ fides pura commonstretur.

IV. Quod autem hanc teneamus fidem cum nos, tum omnes qui nobiscum semper communione juncti fuere, nemini vestrum neque alii cuipiam latere arbitramur. Cæterum quia congratulamur iis qui nobiscum conjungi exoptant, omnibus quidem, sed iis potissimum qui in Veteri conveniunt, jamque magnam Domino gloriam retulimus, cum de aliis omnibus, tum de bono horum proposito; hortamur vos ut his conditionibus concordia ineatur; et, uti supra diximus, nihil plus his ab iis qui in Veteri conveniunt, exigatis : neque plura quam quæ Nicææ decreta sunt, Paulini sequaces proponant.

V. Quam igitur nonnulli jactant tabellam, quasi in Sardicensi Synodo de fide compositam, ne legi quidem omnino aut proferri sinatis : nihil quippe ejusmodi definivit Synodus. Quamvis enim nonnulli postularint ut quædam de fide scriberentur, quasi aliquid Nicænæ Synodo deesset, atque id obtinere temere conati fuerint; Synodus tamen Sardicæ coacta rem indigne tulit, sancivitque ut nullum ultra de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a Patribus Nicææ promulgata, quippe quæ in nullo deficeret, sed plena pietatis esset : statuitque ne altera ederetur fidei professio, ne quæ Nicææ conscripta fuerat, imperfecta reputaretur, neve occasio iis daretur, qui sæpenumero de fide scribere ac definire volunt. Unde si quis illud aliudve proponat, compescite homines, atque ad studium pacis potius hortamini : nihil enim in istis agnoscimus quam solum contendendi studium. Nam quos quidam incusabant, quod tres hypostases dicerent, quia hæc voces cum in Scriptura non habeantur, hinc suspectæ esse possunt; rogavimus ut nihil præter Nicænam confessionem inquirant. Illos tamen contentionis occasione interrogavimus, anne ut Ariomanitæ dicunt hypostases illas alienas peregrinasque, ac diversæ a se invicem substantiæ, unamquamque hypostasin secundum se ab altera divisam, ut sunt aliæ creaturæ, necnon qui ex hominibus nascuntur : vel quasi diversas substantias, quale est aurum, argentum et æs; sic et ipsi dicerent : an sicut alii hæretici, tria principia, et tres deos esse dicunt, eadem ipsi sententia affirmarent tres esse hypostases? At illi, se neque hæc dicere, nec unquam ita sensisse, affirmabant. Nobis autem percontantibus, quî ergo hæc dicitis? aut quare tandem hujusmodi vocabula usurpatis? Responderunt illi : Eo quod in sanctam Trinitatem credamus, non nomine te-

nus Trinitatem, sed quæ vere sit et subsistat : nimirum Patrem vere existentem et subsistentem, Filium item vere substantialem ac subsistentem, Spiritumque sanctum subsistentem et existentem agnoscimus. Nec tamen se dixisse aiebant tres Deos aut triaprincipia, nec omnino eos tolerare, qui ita dicerent sentirentve : sed se sanctam quidem Trinitatem agnoscere, unamque tamen Deitatem ac unum principium, ac Filium quidem Patri consubstantialem, ut Patres declararunt, Sanctum vero Spiritum, non creaturam, neque alienum, sed proprium, et a substantia Filii et Patris indivisum.

VI. Approbata igitur ejusmodi et vocum interpretatione et excusatione, eos quoque examinavimus, quos isti accusabant, quod unam dicerent hypostasin, num ii in Sabellii sensu ita loquerentur, quo Filium, Spiritumque sanctum de medio tollerent : an Filium substantia, Spiritumque sanctum hypostasi carere sexitimarent? Qui item affirmarunt se neque hoc dicere nec unquam ita sensisse; sed hypostasin, aiebant, dicimus, existimantes perinde esse dicere hypostasin atque dicere substantiam : unamque credimus hypostasin eo quod Filius sit ex substantia Patris, et quod una eademque sit natura. Unam quippe Deitatem, et unam ejus naturam esse credimus : nec aliam quidem Patris, alienam autem ab illo Filii ac Spiritu sancti substantiam sentimus. Tunc sane qui accusati fuerant, quod tres dixissent hypostases, cum istis consentiebant : ii autem qui unam esse substantiam dixerant, illorum doctrinam, prout eam interpretati fuerant, profitebantur : et utrique Arium tanquam Christi hostem, Sabellium item ac Paulum Samosatensem velut impios, Valentinum et Basilidem, ut alienos a veritate, Manichæum vero ut malorum inventorem, anathemate damnarunt. Omnes denique, Dei

gratia post hujusmodi interpretationes, una confitentur, istiusmodi vocabulis præstantiorem accuratioremque esse fidem a Patribus Nicææ promulgatam; atque demum illius verba sufficere debere, iisque utendum esse.

VII. Sed cum etiam de Salvatoris incarnatione nonnulli inter se litigare viderentur, utrosque interrogavimus : tum quod alii confitebantur, in hoc alii quoque consentiebant, nempe non sicut in Prophetas « Factum » est Verbum Domini, » eodem modo in sanctum hominem in consummatione sæculorum advenisse : sed ipsum Verbum carnem factum esse, et cum in forma Dei esset, formam servi accepisse, ac ex Maria secundum carnem propter nos hominem esse factum, et sic humanum genus in ipso integre ac profecto a peccato liberatum in regnum cœlorum introduci. Hoc item profitebantur, non corpus inanimatum aut sensus expers, aut mente carens Salvatorem habuisse. Neque enim, aiebant, possibile erat, Domino pro nobis homine facto, corpus ejus sine mente existere : non enim corporis duntaxat, sed etiam animæ in ipso Verbo salus facta est : et cum vere Filius Dei esset, factus est et Filius hominis : cumque unigenitus esset Filius Dei, factus est ipse primogenitus in multis fratribus. Quamobrem non alius erat ante Abraham Filius Dei, alius post Abraham : neque alius erat qui Lazarum suscitavit, alius vero qui de illo interrogavit : sed idem ipse erat qui humane quidem dicebat, « Ubi positus est Lazarus[1], » et qui divinitus illum excitavit : idem ipse erat qui corporaliter quidem ut homo spuebat, divinitus vero, ut Dei Filius, aperiebat oculos cæci nati : et carne quidem patiebatur, ut ait Petrus, divinitus autem monumenta aperiebat mortuosque sus-

1. Joan. XI.

citabat[1]. Atque omnia quæ in Evangelio habentur eadem prorsus ratione intelligentes, affirmarunt se idipsum sentire de Incarnatione et de assumpta a Verbo humana natura.

VIII. Cum hæc igitur ita confessi sint, hortamur vos ne eos quidem qui sic profitentur, et eo pacto verba quæ proferunt, interpretantur, temere condemnare aut rejicere velitis, sed potius, ipsos paci studentes et sese purgantes recipiatis. Eos contra qui hæc profiteri et verba tali modo explicare renuerint, ut suspectæ sententiæ homines arceatis pudoreque afficiatis. Hos igitur ne toleretis ; eos autem qui et recte verba interpretantur et probe sentiunt, hortamini ne ulteriorem inter se adhibeant disquisitionem, nec verbis inutiliter decertent, neque hujusmodi vocabulis contendant, sed in pietatis sententiam conveniant. Nam qui non sic animo affecti sunt, sed de hujusmodi tantum voculis quæstiones agitant, et præter ea quæ Nicææ conscripta sunt, nonnulla requirunt, nihil aliud agunt, quam « Quod proximo suo » subversionem turbidam propinant [2], » utpote qui paci invideant et schismata diligant. Sed vos ut probi homines, fidelesque servi ac dispensatores Domini, quæ offendiculo quidem sunt, et a concordia deterrent compescite et impedite, omnibusque hujusmodi pacem anteponite, cum sana sit fides : forsitan Dominus nostri misertus, quæ divisa fuere coaptabit, factoque deinceps uno ovili, omnes unum habebimus ducem Dominum nostrum Jesum Christum.

IX. Hæc nos quidem (tametsi nihil præter Nicænam Synodum requirendum erat, neque toleranda erant contentionis verba ; attamen pacis conciliandæ causa, et ne eos qui recte sentire cupiunt abjiceremus), examina-

[1] Petr. IV, 1. — [2] Habac. II, 15.

vimus, et quæ ipsi professi sunt paucis dictavimus, nos qui Alexandriæ relicti sumus, idque una cum comministris nostris Asterio et Eusebio : plurimi namque nostrum ad suas diœceses sunt profecti. Vos itaque in commune ubi conventus agere soletis, hæc legitote, illucque omnes convocare dignemini. Æquum enim est ut illic primum Epistola legatur, ac ibidem qui pacem optant procurantque, sibi invicem concilientur : ac deinceps cum mutuo conciliati fuerint, ubicumque populo placuerit, præsente vestra humanitate illic conventus celebrentur, et Domino una gloria tribuatur ab omnibus. Salutant vos fratres qui mecum sunt. Opto vos bene valere, et memoriam nostri apud Dominum facere, Ego Athanasius : alii pariter Episcopi, qui simul convenerunt subscripsere : necnon qui missi sunt a Lucifero quidem Sardiniæ insulæ Episcopo, Diaconi duo, Herennius et Agapetus : a Paulino autem Maximus et Calemerus, ipsi quoque Diaconi. Aderant et quidam Monachi ab Apollinario Episcopo in hoc ipsum missi.

X. Episcopi autem prædicti ad quos scripta est Epistola, hi sunt : Eusebius Vercellorum Galliæ urbis, Lucifer Sardiniæ insulæ, Asterius Petrarum Arabiæ, Cymatius Palti Cœlesyriæ, Anatolius Eubeææ.

Qui vero Epistolam scripserunt, hi sunt, Athanasius Papa et qui cum eo Alexandriæ adfuere, ipse Eusebius et Asterius : reliqui autem, Gaïus Paratonii proxime Lybiam, Agathus Phragonis et partis cujusdam Elearchiæ Egypti, Ammonius Pachnemunis, et reliquæ partis Elearchiæ : Agathodæmon Schediæ et Menelaïti, Dracontius parvæ Hermopolis, Adelphius Onuphis quæ est Lychnorum, Hermion Taneos, Marcus Zygrorum proxime Lybiam, Theodorus Athribis, Andreas Arsenoïti,

Paphnutius Saeos, Marcus Philorum, Zoïlus Andro, Menas Antiphrorum.

His Eusebius quoque Latine subscripsit, quorum hæc est interpretatio.

Ego Eusebius, secundum exactam vestram utriusque partis confessionem, qua in eamdem circa hypostases sententiam convenistis, in eamdem quoque conveni; sed etiam circa Incarnationem Salvatoris nostri, nempe Dei Filium hominem factum esse, et omnia præter peccatum assumpsisse, cujusmodi erat antiquus noster homo : idque juxta contextum epistolæ meo suffragio confirmavi. Et quandoquidem exclusa dicitur Sardicensis Consilii tabella, ne ultra Nicænam fidem aliquid exponi videatur : Ego huic quoque rei consentio, ne per illam Nicæna fides exclusa videatur, neque proferendam eam esse sentio. Opto in Domino vos bene valere.

Ego Asterius superioribus scriptis adstipulor, et opto in Domino vos bene valere.

Postquam autem Tomus hic Alexandria missus est, a supra dictis ita subscriptus, postea et ipsi quoque (Antiocheni) ita subscripsere.

Ego Paulinus sic sentio ut a Patribus accepi : Esse et subsistere Patrem perfectum, et subsistere Filium perfectum, et subsistere Spiritum sanctum perfectum. Quapropter approbo supra scriptam de tribus hypostasibus et de una hypostasi sive substantia interpretationem, itemque eos qui ita censent. Pium enim est sanctam Trinitatem in una Deitate sentire atque confiteri. De Incarnatione autem Verbi Patris propter nos facta, ita sentio, ut scriptum est, nempe secundum Joannem, Verbum carnem factum esse : non vero, ut impiismi quidam dicunt, ipsum mutationem esse passum; sed propter nos hominem factum esse, exque sancta Virgine

Maria, et ex Spiritu sancto esse genitum. Neque enim inanimatum, aut sensus expers, aut mente carens corpus habuit Salvator : nam fieri non potuit, ut cum Dominus pro nobis homo factus sit, corpus ejus mente caruerit. Ideoque anathemate damno eos qui fidem Nicææ promulgatam vilipendunt, et qui negant Filium ex substantia Patris, et Patri consubstantialem esse. Anathemate quoque damno eos qui dicunt Spiritum sanctum creaturam esse a Filio factam. Anathematizo quoque Sabellii et Photini et quacumque aliam hæresin, incedens secundum Nicænam fidem, et secundum omnia superius scripta. Valere vos opto, ego Carterius.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JOVIANI IMPERATORIS,

MISSÆ AD SANCTISSIMUM ATHANASIUM ARCHIEPISCOPUM ALEXANDRINUM.

Religiosissimo, et Deo dilecto Athanasio, Jovianus [1].

Cum magnopere miremur honestissimam vitam tuam, similitudinem tuam cum Deo universorum, tuumque erga Christum Salvatorem nostrum, affectum, quæ tuæ sunt præclaræ virtutes; te laudamus, honoratissime Episcope; quod nullum laborem, nullum persecutorum furorem extimuisti, pericula, gladiorumque minas ne flocci quidem fecisti, atque clavum caræ tibi orthodoxæque fidei retinens, hactenus certasti pro veritate : itemque quod exemplum te typumque virtutis, universo fidelium populo assidue exhibes. Te itaque revocat Majestas nostra, atque ad salutis doctrinam reverti jubet. Remigra igitur ad sanctas Ecclesias, et pasce Dei populum, atque alacri animo una fundite preces ad Deum pro nostra clementia. Novimus quippe tua supplicatione, cum nos, tum eos qui nobiscum christiane sentiunt, magnum a summo Deo auxilium consecuturos.

[1] Scripta anno 363.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

AD JOVIANUM, DE FIDE[1].

I. Religiosum Imperatorem decet discendi studium et cœlestium rerum amor : ita enim vere cor in manu Dei habiturus es. Cum igitur tua pietas fidem Catholicæ Ecclesiæ a nobis cupiat perdiscere[2] : postquam gratias eam ob rem Domino egimus, nihil nobis melius visum est, quam ut tuam pietatem fidei, quam Patres Nicææ confessi sunt, commonefaceremus. Quidam enim, illa rejecta, et nobis varie insidiati sunt, quod Arianæ hæresi assentiri noluimus ; et hæresis atque schismatum in Ecclesia Catholica auctores fuerunt. Nemini tamen obscura esse potest vera et pia in Dominum fides, ut quæ ex divinis Scripturis haberi et internosci queat. Hac enim initiati Sancti, martyres sunt effecti, qui quidem soluti a corpore, nunc sunt in Domino : eaque inviolata mansisset semper, nisi quorumdam hæreticorum malitia ipsam adulterare tentasset. Siquidem Arius quidam et ejus sectatores fidem illam conati sunt corrumpere, impieta-

[1] Scripta anno 363. — [2] Prov. xxi, 1.

temque adversus eam inducere, cum scilicet dicere ausi sunt Filium Dei ex nihilo, remque creatam et factam, ac mutabilem esse. Cujusmodi sermonibus multos utique deceperunt, ut etiam ii, qui aliquid esse videbantur, in illorum inducti sint impietatem; quamvis eam sancti Patres nostri in Nicæna, ut diximus, Synodo congregati, anathemate percusserint, simulque fidem Catholicæ Ecclesiæ scripto sint confessi, ut illa ubique promulgata, hæresis ab hæreticis accensa extingueretur. Ea igitur sincere ac sine dolo per omnem Ecclesiam agnita et pervulgata fuit. Verum cum arianam hæresim quidam nunc renovare in animo habentes, fidem hanc, quam Patres Nicææ confessi sunt, ausi sint rejicere, eamque confiteri simulent cum revera negent, quippe qui vocem, Consubstantialis, prave interpretentur, impiaque proferant in Spiritum sanctum, quem nimirum aiunt rem creatam esse, et per Filium factam : nos necessario perpendentes damnum, quod populis affert hujusmodi impietas, fidem quam Nicææ confessi sunt, tuæ religioni tradere absque mora curavimus, ut scilicet non ignoret tua pietas, quæ omni cum diligentia scripta sunt, quantumque errent qui alia præter hancce fidem docent.

II. Scito enim, religiosissime Auguste, hæc ab omni ævo esse prædicata, hancque ipsam fidem Patres, qui Nicææ convenerunt, confessos fuisse, eamque suffragio suo comprobare universas totius orbis Ecclesias, nempe Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Mysiæ, Macedoniæ, Græciæque et Africæ universæ, nec non Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Isauriæ, Ægypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, vicinas quoque nobis necnon Orientis Ecclesias, paucis exceptis qui Arii hæresim sequuntur. Quæ enim sit omnium illarum Ecclesiarum sententia, et experientia novimus, et

earum habemus litteras. Nec vero te fugit, piissime Auguste, tametsi pauci quidam huic fidei adversantur, præjudicium tamen facere non posse, quippe cum orbis universus Apostolicam fidem retineat. Illi enim Ariana hæresi perdiu jam infecti, veræ pietati hodie pertinacius adversantur. Quocirca ut ea de re certior possit esse tua pietas, licet ei minime lateat, fidem quam Episcopi Nicææ confessi sunt, subjicere nobis studio fuit. Itaque fides quam Patres Nicææ confessi sunt, hæc est.

III. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium effectorem : et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei genitum ex Patre unigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum rerum ex Deo vero, genitum, non factum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; sive quæ in cœlo, sive quæ in terra sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est, passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in cœlos, ac venturus est ad judicandum vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Illos autem qui dicunt, Fuit aliquando cum non esset, et, priusquam fieret non erat, et, ex nihilo factus est, vel qui ex alia hypostasi aut substantia esse, vel creatum esse aut mutari aut converti posse aiunt Filium Dei, anathemate ferit Catholica et Apostolica Ecclesia.

IV. In hac fide, Auguste, tanquam divina et Apostolica, omnes necesse est permanere, nec ullus eam subtilibus sermonibus et contentionibus immutare debet, uti fecere Ariani, qui Filium Dei ex nihilo esse aiunt, fuisseque aliquando cum non esset, creatumque et factum ac mutabilem esse. Siquidem idcirco, uti supra commonuimus, Nicæna Synodus hujusmodi hæresim anathe-

mate mulctavit, et fidem veritatis confessa est. Nec enim Filium Patri esse similem tantummodo dixere, ne videlicet similis duntaxat Deo putaretur : sed ut verus ex Deo Deus esse crederetur, scripserunt Consubstantialem esse, quod quidem proprie convenit germano et vero filio veri et naturalis patris. Neque etiam Spiritum sanctum a Patre et Filio disjunxere, sed illum potius una cum Patre et Filio glorificavere, in una sanctæ Trinitatis fide, quia nempe una est in sancta Trinitate divinitas.

PETITIO AD JOVIANUM

Imperatorem Antiochiæ facta a Lucio, Berniciano, et aliis quibusdam Arianis, contra Athanasium Episcopum Alexandriæ.

Prima Petitio quam fecerunt, Imperatore in campum concedente, in porta Romanensi [1].

Rogamus potentiam tuam, imperium tuum, et pietatem tuam, ut nos audias. Imperator dixit : Quinam estis, et unde? Responderunt Ariani : Christiani, Domine. Imperator dixit : Unde et ex qua civitate? Ariani dixerunt, Ex Alexandrina. Imperator dixit : Quid vultis? Ariani dixerunt. Rogamus potentiam tuam et imperium tuum ut des nobis Episcopum. Imperator dixit : Jussi priorem quem habuistis Athanasium in throno collocari. Ariani dixerunt : Rogamus potentiam tuam, jam multis annis exul et accusatus est. Miles de repente commotus respondit : Obsecro imperium tuum, ut ipse inquiras quinam et unde sint. Hi enim sunt abjectæ reliquiæ Cappadociæ, residua improbi illius Georgii, qui civitatem et mundum desertum reddidere. His auditis, Imperator, equum calcaribus concitavit, et abiit in campum.

[1] Scripta anno 363.

Secunda Petitio Arianorum.

Accusationes et probationes habemus contra Athananasium, qui ante decem et viginti annos ab æternæ memoriæ Constantino et Constantio in exilium pulsus est : Et sub Deo dilectissimo, Philosophiæ studiosissimo, et beatissimo Juliano item exulavit. Imperator dixit : Jam præterierunt quæ ante decimum, vicesimum, et tricesimum annum institutæ sunt accusationes. Ne mihi de Athanasio dicatis : scio enim quamobrem accusatus et quare proscriptus sit.

Tertia Petitio Arianorum.

Et nunc iterum quasdam alias accusationes habemus contra Athanasium. Imperator dixit : Non ex tumultu et loquacitate, quod justum est apparebit : sed elegite duos ex vobis, et ex plebe duos alios. Nequeo enim ad singulos vestrum respondere. Qui ex plebe erant dixerunt : Hi sunt reliquiæ improbi Georgii, qui provinciam nostram devastarunt; et in civitatibus nullum permisere consiliarium habitare. Ariani dixerunt : Rogamus te : quemcumque volueris præter Athanasium. Imperator ait : Dixi vobis, quæ Athanasium spectant jam constituta esse : iratusque ait : Feri, feri. Ariani dixerunt : Rogamus te : Si mittas Athanasium, perit civitas nostra, nullusque cum eo conventus agit. Imperator dixit : Atqui diligenter sciscitatus novi eum recte sentire, et orthodoxum esse, atque recte docere. Ariani dixerunt : Ore quidem recte loquitur, animo autem dolose sentit.

Imperator dixit : Satis hoc est, quod vos de illo testificati estis, eum recte loqui ac docere. Quod si lingua quidem recte docet loquiturque, animo autem prave sentit, res illi cum Deo est : homines enim cum simus, sermonem audimus : quæ vero in corde latent, novit Deus. Ariani dixerunt : Jube nos conventus agere. Imperator dixit : Quis vos prohibet? Ariani dixerunt : Rogamus te : hæreticos et dogmatistas nos declarat. Imperator dixit : Hoc ejus officium est, atque eorum qui recte docent. Ariani dixerunt : Obsecramus Imperium tuum; hunc ferre non possumus, et agros Ecclesiarum abstulit. Imperator dixit : Pecuniarum igitur gratia huc accessistis, et non fidei causa? Rursum ait, Discedite, et quiescite. Præterea ad Arianos dixit : Ite ad Ecclesiam, cras conventus vobis est : et post dimissionem; adsunt hic Episcopi : Nemesinus item hic est : unusquisque vestrum, secundum id quod credit, subscribet. Athanasius etiam hic est. Qui fidei Verbum nescit, discat ab Athanasio. Habetis crastinum et perendinum. Egredior enim in campum.

Quidam etiam Scholasticus ex Cynicis Imperatorem rogavit. Rogo imperium tuum, Athanasii Episcopi causa Catholicus mihi ædes eripuit. Imperator dixit : Si Catholicus tuas ædes eripuit, quid hoc ad Athanasium?

Alius quidam Patalas Scholasticus dixit : Accusationem habeo contra Athanasium. Imperator dixit : Ecquid tibi cum Christianis, cum sis Gentilis?

Quidam autem e plebe Antiochenorum Lucium comprehenderunt, et Imperatori obtulerunt, dicentes : Rogamus potentiam tuam et imperium tuum, vide quem voluerunt Episcopum constituere.

Alia Petitio ad atrium Palatii a Lucio facta.

Obsecro potentiam tuam, audi me. Imperator substitit et ait : Tibi ipsi Lucio dico : quomodo huc venisti, navine an pedes? Lucius dixit. Rogo te, Navi : Imperator ait : Deus mundi et cometes sol, et luna iis ipsis succenseat qui tecum navigarunt, quod non te in mare abjecerunt : et navis illa nunquam in posterum secundis fruatur ventis : nec cum jactata fluctibus erit, cum navigantibus ad portum appellat.

Ac per Euzoïum postularunt a Probatio et sociis, qui Eusebii et Bardionis successores erant, Eunuchis, ut commendationem haberent infideles Ariani. Re cognita Imperator, Eunuchos tormentis applicans dixit : Hæc patiatur quisquis voluerit Christianos deferre. Et sic dimisit eos Imperator.

VITA ET CONVERSATIO

SANCTI PATRIS NOSTRI.

ANTONII,

Scripta missaque ad Monachos in peregrina regione versantes, a Sancto Patre nostro Athanasio Episcopo Alexandriæ.

Bonum cum Ægyptiis Monachis iniistis certamen, cum eos virtutis exercitatione, vel æquare vel etiam superare constitutis[1]. Nam apud vos etiam demum sunt Monasteria, jam Monachorum nomen celebratur. Hoc itaque propositum jure quis laudaverit, vobisque precantibus, ipsum Deus perficere velit. Cum autem de vitæ instituto sancti Antonii me rogaveritis, cupientes ediscere quanam ratione hoc exercitationis genus aggressus ille sit, quis antea extiterit, quis fuerit vitæ ejus exitus, verane sint quæ de illo dicuntur, ut ad eum imitandum vos conferatis; multa cum alacritate mandatum suscepi vestrum. Magnum quippe mihi lucrum vel ex sola Antonii memoria obvenit. Novi certe futurum esse, ut vos, postquam his auditis hominem admirati fueritis, ejus propositum imitari peroptetis. Apta quippe forma ad exercitationem Monachis est Antonii vita. Ne igitur narrantibus de An

[1] Vid. D. Guillon, tom. v, pag. 250-267.

tonio fidem derogate, immo pauca vos audisse existimate: vix enim illi potuere tot tantasque res vobis renuntiare. Etenim ego, rogantibus vobis, quantacumque per epistolam misero, nonnisi pauca vobis ex gestis illius enarrabo; quare ne desinatis homines hinc ad vos navigantes percontari. Fortasse enim singulis quæ nota sibi sunt indicantibus, vix pro merito illius digna fuerit narratio. Litteris itaque vestris acceptis, volebam quosdam Monachos accersere, ex iis maxime qui frequentius illum adibant: ut ab illis edoctus plura vobis possem transmittere; sed cum ad finem jam vergeret navigandi tempestas, urgeretque tabellarius; ideo quæcumque novi, (sæpe etenim illum vidi:) et quæ ab eo ediscere potui, qui non modico tempore virum secutus sum, atque lavanti manus aquam effudi; hæc vestræ pietati rescribere festinavi: magnaque mihi ubique fuit veritatis dicendæ cura; ut ne si quis plura audierit, fidem deroget; sin vero pauciora quam par sit edidicerit, virum despiciat.

I. Antonius genere Ægyptius, nobilibus, et amplis facultatibus instructis, iisque Christianis parentibus oriundus, Christianorum et ipse more educatus est. Ac infans adhuc cum esset, ita apud parentes nutriebatur, ut præter illos et domum nosset nihil. Postea vero quam crescendo puer factus est, atque ætate processit, litteris instituti renuit, ut puerorum consortium atque consuetudinem devitaret; totumque desiderium in eo positum habebat, ut scriptum est de Jacobo, ut simplex domi remaneret[1]. Cum parentibus vero in Dominico conventibus aderat: neque cum puer esset otio diffluebat, neque ætate progressus contemptor erat; immo vero parentibus erat obsequens, et lectionibus attentus, earum in se fructum conservabat. Neque rursum licet in sat pingui fortu-

[1] Gen. xxv, 27.

na, puer, parentibus lauti atque varii cibi causa, erat importunus, nec ullo modo ejusmodi voluptati deditus : sed inventis contentus, nihil ultra requirebat.

II. Post parentum autem obitum, solus cum sola sorore admodum parva relictus, cum decem et octo vel viginti annorum esset, domus sororisque curam gessit. Sex autem nondum exactis mensibus a parentum exitu, cum de more ad Dominicum procederet, atque secum animo cogitaret, qua ratione Apostoli[1] relictis omnibus secuti sunt Salvatorem, et qui in Actibus Apostolorum[2], venditis possessionibus, pretia afferebant ad pedes Apostolorum, ut egenis distribuerentur : necnon quænam quantaque istis spes in cœlis reposita sit. Hæc secum reputans, in Ecclesiam ingreditur, contigitque ut tum Evangelium legeretur, et audivit Dominum diviti illi dixisse : « Si vis » perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da » pauperibus, et veni, sequere me : et habebis thesau» rum in cœlis[3]. » Antonius porro quasi divinitus immissa sibi esset Sanctorum memoria, et quasi sui causa lecta illa fuissent, egressus quamprimum ex Dominico, quas a majoribus habuit possessiones (erant autem illi aruræ trecentæ, fertiles et perquam amænæ) vicanis dono dedit, ne sibi sororique molestiam afferrent. Mobilibus vero omnibus venditis, multam hinc collectam pecuniam pauperibus distribuit, paucis solum sororis causa reservatis.

III. Rursus in Dominicum ingressus, audivit Dominum in Evangelio dicere : « Nolite solliciti esse in crastinum[4]. » Nec ultra illic remanere sustinens, egressus, illa quoque tenuioribus largitus est. Sorore vero Virginibus notis sibi atque fidelibus commendata, atque ad Parthenonem tradita, ut illic educaretur, ipse ante domum suam asce-

[1] Matth. IV, 20. — [2] Act. IV, 35. — [3] Matth. XIX, 21. — [4] Ibid. VI, 34.

ticæ vitæ deinceps operam dedit, atque attentus sibi, asperum vitæ genus toleranter agebat. Nondum enim tam frequentia erant in Ægypto Monasteria, neque ullus norat Monachus vastam eremum : sed quisquis sibi ipsi vacare cuperet, is haud procul suo pago sese exercebat solus. Erat itaque tunc temporis in vicino pago senex homo, qui a juventute monasticam egerat vitam : hunc cum videret Antonius, probo ejus imitandi studio incensus, primum cœpit ipse in locis pago vicinis commorari. Atque hinc si quem audiret alicubi degere ad virtutem strenuum, hunc prudentis apis more perquirebat, neque ante ad sedes suas remigrabat, quam hominem vidisset, atque hinc accepto ceu viatico ad virtutis iter instituendum, revertebatur. Sub initium itaque ibidem commoratus, mentem firmabat suam, ut ne ad paterna inde bona reverteretur, neque suorum meminisset cognatorum; sed toto desiderio, tota sollicitudine ad asceticæ vitæ perfectionem contenderet. Laborabat itaque manibus suis : audierat nempe, Qui otiosus fuerit ne manducet : atque hinc partim panem sibi emebat, partim egenis largiebatur[1]. Frequens orabat, quod didicisset oportere seorsim sine intermissione orare[2] : etenim ita attentus erat lectioni, ut nihil sibi scriptorum excideret, sed retineret omnia[3]; ita ut ipse deinde memoria librorum loco esset.

IV. Cum ita vitam suam institueret Antonius, diligebatur ab omnibus : ipse vero sedulis quos adibat fratribus, libenter obsequebatur, addiscebatque in quo quisque eorum virtutis et exercitationis genere excelleret : atque hujus suavitatem contemplabatur, illius orandi assiduitatem : illius lenitatem, alius humanitatem cogitabat : huic vigilias agenti, illi lectionis studioso adhibebat animum : hujus perseverantiam, alius jejunia et humi cuba-

[1] Thes. III, 10. — [2] Matth. VI, 6. — [3] 1 Thes. V, 17.

tionem mirabatur : hujus mansuetudinem observabat, illius longanimitatem : unaque omnium pietatem erga Christum, ac mutuam dilectionem reputabat secum. Atque ita plenus ad Asceterii sui locum remeabat, atque singulorum dotes animo colligens, curabat in se ipse omnia exprimere. Etenim nullum ipsi cum æqualibus fuit contentionis studium, præter hoc solum, ut ne virtute secundus ab illis esset. Atque illud ita agebat, nemini ut offensioni, immo potius illis ipsis hoc gaudio esset. Omnes itaque vici incolæ, atque probi viri, quorum consuetudine utebatur, ejusmodi hominem cernentes, Dei amicum vocabant : et alii ut filium diligebant, alii ut fratrem.

V. At omni bono inimicus atque invidus Diabolus, hujusmodi in adolescente propositum cernere non tulit. Sed quæ jam antehac adversus eum meditatus fuerat, hæc exequi conatus, illum primo ex ascetica vita deducere tentavit, submissa facultatum memoria, sororis sollicitudine, generis sui consuetudine, pecuniarum et gloriæ cupiditate, varii et lauti cibi voluptate, nec non variis remissioris vitæ blandimentis, atque demum asperitate virtutis, quæ tanti laboris esset : subjiciebat item corporis infirmitatem, temporis diuturnitatem. Uno verbo ingentem in mente ipsius excitavit cogitationum pulverem, ut a recto avocaret instituto. Verum se infirmiorem conspicatus inimicus, quam ut Antonii propositum everteret ; immo vero sese illius constantia devictum, et magna fide subversum, atque cadentem assiduis Antonii precibus ; tum confisus iis quæ « in umbilico ventris sui sunt[1] » armis iisque gloriatus : quæ priores sunt ejus adversus adolescentes insidiæ, juvenem adoritur, noctu perturbationes excitans, interdiu vero ita infestans, ut qui eum cer-

[1] Job. LX, 11.

nerent, commissam inter utrumque pugnam adverterent. Ille namque obscœnas cogitationes subjiciebat; hic eas precibus fugabat : titillabat ille, hic ceu erubescens, fide, precibus, jejuniis corpus muniebat : sustinebat miser Diabolus vel mulieris formam noctu induere, fœminæque gestus imitari, Antonium ut deciperet; at ille Christum cogitans, ac propter illum nobilitatem spiritualitatemque animæ secum reputans, carbonem illius fallaciæ restinxit. Rursum suggerebat inimicus voluptatis suavitatem; ille iracundo ac mœrenti similis, ignis comminationem atque vermis cruciatum cogitabat : quibus ipsi oppositis hæc præteribat illæsus. Quæ omnia pudori erant adversario. Nam qui putabat se Deo similem esse posse, ab adolescente jam deludebatur : et qui adversus carnem et sanguinem gloriabatur, ab homine carnem gestante prostratus est. Aderat enim illi adjutor Dominus qui carnem propter nos gestavit, et victoriam dedit corpori contra Diabolum : ita ut quisquis vere certat, possit dicere : « Non ego, sed gratia Dei mecum[1]. »

VI. Demum cum nec hoc modo posset draco Antonium prosternere, sed sese videret ex corde illius abjectum[2]; stridens, ut scriptum est, dentibus, et quasi extra se raptus, qualis animo est talis specie ipsi apparuit, niger scilicet puer : non jam cogitationibus illum aggreditur, dejectus quippe fuerat dolosus ille; sed humana deinceps usus voce, Multos, aiebat, decepi, plurimos prostravi : nunc vero ad alios, sic ad te laboresque tuos accedens, infirmior fui. Sciscitante Antonio : Quis tu es qui hæc mecum loqueris? Tum ille lamentabili voce : Ego, inquit, fornicationis sum amicus : ego insidias titillationesque ad juvenes hac in re expugnandos suscepi, et spiritus fornicationis vocor. Quot temperanter vivere

[1] 1 Cor. xv, 10. — [2] Act. vii, 14.

volentes decepi! Quot continentes titillationibus e sententia deduxi! Ego sum cujus causa Propheta eos qui lapsi sunt increpat his verbis : « Spiritu fornicationis » decepti estis[1] : » per me etenim supplantati illi fuerant. Ego sum qui sæpius tibi molestiam creavi, ac toties a te repulsus sum. Antonius autem gratiis Domino actis, assumptaque adversus hostem confidentia, ait illi : Admodum ergo contemnendus es : nam mente es atra et quasi infirmus puer : nulla mihi post hac ex te sollicitudo : « Dominus enim mihi adjutor, et ego despiciam » inimicos meos[2]. » His ater ille auditis statim aufugit, tales pertimescens voces, atque reformidans vel ad virum accedere.

VII. Hæc prima fuit Antonii contra Diabolum victoria ; imo potius in Antonio egregium facinus Salvatoris, « qui damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis » impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum[3]. » Nec tamen Antonius quasi prostrato dæmone, negligens postea fuit, aut minorem sui curam gessit : neque inimicus, victus licet, insidiarum finem fecit. Circuibat enim rursum quasi leo captans aliquam adversus eum occasionem[4]. At Antonius quod ex Scripturis dedicisset, multas esse inimici insidias, asceticæ vitæ cum contentione operam dabat, ratus, etsi non potuisset Diabolus voluptate corporis cor decipere, alia sane arte eum insidias paraturum : dæmon quippe peccatis delectatur. Magis igitur magisque corpus macerabat, et in servitutem redigebat, ne forte in aliis victor, in aliis succumberet. Asperiori igitur vitæ genere assuescere in animum induxit : quod multis admirationi fuit, ipse tamen ejusmodi laborem facile tolerabat : animi enim alacritas, diuturnitate

[1] Ose. IV, 12. — [2] Psal. CXVII, 7. — [3] Rom. VIII, 3 et 4. — [4] Ephes. VI, 11.

temporis, habitum illi bonum afferebat; ita ut vel minima oblata ab aliis occasione, permagnum ipse hac in re studium exhiberet. Ita vigilabat, ut totam persæpe noctem insomnem duceret : idque non semel, sed sæpissime observabat, haud sine aliorum admiratione. Cibum semel in die sumebat post solis occasum : nonnunquam post biduum, immo sæpe post quatriduum edebat. Cibus illi panis cum sale : et aqua sola, potus. Carnium enim et vini meminisse supervacaneum fuerit, cum nec apud alios strenuos Ascetas, ejusmodi quidpiam reperiretur. Ad somnum vero capiendum sufficiebat ei storea; ac ut plurimum humi cubabat. Oleo inungi nolebat, aiens præstare juvenes magna alacritate Asceticam exercere, nec ea quærere quæ corpus emollirent, quin potius laboribus assuefacere, memores apostolici hujus dicti : « Cum » infirmor, tunc potens sum[1]. » Tunc enim aiebat animi vigorem roborari, cum corporis voluptates minuerentur. Eratque hæc illius admiranda cogitatio : non oportere virtutis viam, vel secessum ejus causa susceptum, tempore metiri, sed desiderio et proposito. Ipse vero nequaquam recordabatur præteriti temporis : sed ac si quotidie exercitationis initium fecisset, majori ad profectum labore contendebat, Apostoli dictum illud frequenter sibi pronuntians : « Quæ retro sunt oblivis» cens, ad ea vero quæ ante sunt extendes meipsum[2]: » memor quoque ilius Heliæ Prophetæ dicti : « Vivit Do» minus ante cujus conspectum hodie sto[3]. » Observabat quippe illum cum dixit, « hodie, » præteritum tempus non mensum esse : sed quotidie, quasi tum primum incœpisset, curasse, ut sese talem exhiberet, qualem ad conspectum accedere Dei par esset; purum scilicet corde, et ad obsequendum ejus voluntati, et nulli alii, pa-

[1] 2 Cor. xii, 10. — [2] Philip. iii, 14. — [3] 3 Reg. xviii, 15.

ratum. Dicebat autem apud semetipsum, oportere ascetam ex magni illius Heliæ vitæ instituto suam ipsius vitam quasi in speculo quotidie ediscere.

VIII. Sic itaque sese coarctans Antonius, ad sepulcra procul vico sita se contulit, et rogato ex familiaribus quodam, ut panem sibi multorum dierum intervallo afferret, ingressus quoddam sepulcrum, et clausa ab illo janua, solus remanebat intus. Quod cum non ferret inimicus; immo metuens ne brevi eremum ille ascesi repleret, accedens una noctium cum dæmonum turma, tot ei plagas inflixit, ut præ nimiis cruciatibus mutus humi jaceret. Affirmabat quippe tantum fuisse dolorem, ut ab hominibus inflictæ plagæ, nunquam tantum valeant cruciatum afferre. Dei autem providentia (nunquam enim Dominus in se sperantes negligit) insequente die, advenit familiaris ille, apertaque janua, ut illum humi jacentem vidit, quasi extinctum, sublatum detulit in proximi vici Dominicum, atque humi deposuit. Multi autem ex cognatis, et vici incolæ assidebant Antonio quasi demortuo. Circa vero mediam noctem ad se reversus Antonius atque expergefactus, ut vidit dormire omnes, familiarem illum qui solus vigilabat, nutu accivit, rogavitque ut nemine excitato se denuo tolleret, atque ad sepulcra deportaret.

IX. Delatus a viro, clausisque de more foribus, iterum solus erat intus : atque ob plagas stare cum non posset, decumbens orabat. Et post orationem edito clamore aiebat : Hic adsum ego Antonius : non vestras fugio plagas, etiamsi plures inflixeritis, nihil me separabit a caritate Christi. Psallebat deinde : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum[1]. » Hæc Asceta sentiebat, hæc loquebatur. At omni bono adver-

[1] Rom. VIII, 35 ; Psal. XXVII, 3.

sarius inimicus, Antonium tot acceptis vulneribus redire ausum miratus, accitis canibus suis, et furore quasi diruptus : Cernitis, ait, eum non spiritu fornicationis, non plagis deterreri a nobis potuisse, immo audacter nos provocat : sed alia ratione ipsum aggrediamur. In promptu enim Diabolo est, varias ad malitiam induere formas. Noctu itaque tantum excitavere strepitum, ut totus concuti videretur locus, et quasi ruptis quatuor casæ parietibus, irrumpere dæmones visi sunt, variis ferarum reptiliumque induti formas : fuitque statim locus spectris repletus, leonum, ursorum, leopardorum, taurorum, serpentum, aspidum, scorpionum, atque luporum. Horum unumquodque forma propria movebatur. Rugiebat leo quasi invasurus, taurus cornu petere videbatur, serpens reptando non accedebat tamen, lupus irruens retinebatur. Erat demum omnium quæ apparebant ferarum horrendus strepitus, feroxque animus. Antonius vero flagris stimulisque læsus ab illis, sentiebat quidem graviores corporis cruciatus, animo tamen intrepidus vigilansque jacebat, gemens quidem ob corporis dolorem, animo tamen vigil, quasi rideret illos; Si qua vis, ait, inesset vobis, sufficiebat ingredi unum; at cum vos enervarit Dominus, ideo multitudine me terrere conamini : argumentum sane illud est imbecillitatis vestræ, brutorum formas imitari. Fidenterque rursum : Si valetis, inquit, si quam accepistis adversum me potestatem, ne cunctemini, sed invadite : sin non potestis, cur frustra turbamini? Sigillum nobis, atque ad tutelam murus est fides in Dominum nostrum. Multis igitur tentatis, stridebant dentibus in eum, quod sese potius illuderant, quam illum.

X. Dominus vero neque tunc certaminis Antonii oblitus, ad opem ferendam advenit. Sublatis itaque ocu-

lis tectum vidit quasi apertum, ac lucis radium ad se descendere. Dæmonesque statim evanuere, et protinus remisere corporis dolores, domiciliumque integrum apparuit. Auxilio Antonius animadverso, postquam amplius respirasset, doloribusque levatus, visum quod apparebat his verbis compellavit : Ubi eras? cur non ab initio apparuisti, ut meos levares dolores? Tum vox illi emissa : Hic eram, ait, Antoni, morabarque tuum spectans certamen. Cum itaque sustinueris, neque superatus fueris, ero semper tibi adjutor, tuumque nomen ubique terrarum celebre reddam. His ille auditis surrexit atque oravit; tantumque roboris accepit, ut plus sibi virium corporis esse sentiret, quam habuisset ante. Eratque tum annorum prope triginta quinque.

XI. Insequente die egressus, ferventiore animo erat ad pietatem erga Deum, cumque convenisset senem illum priorem, rogabat ut una eremum incolerent. Abnuente illo, cum ob ætatem, tum quod id moris non esset : confestim Antonius ad montem contendit. Verum inimicus, ejus ardens propositum conspicatus, ejusque impediendi cupidus, magni argentei disci speciem in viam projecit. Antonius vero maligni fraude intellecta, stetit, discumque intuitus, Diabolum in eo deprehensum his alloquitur : Unde discus in eremo? Nequaquam trita via hæc est, nullum viatorum vestigium, lapsus latere nequivit permagnus cum sit. Sed qui amisisset, ad perquirendum regressus, reperisset haud dubie in deserto loco. Techna Diaboli hæc est : propositum animi mei nequaquam cohibebis, o Diabole. Hoc tecum erat « in perdi- » tionem[1]. » Hæc Antonio dicente, evanuit discus, quasi fumus a facie ignis.

XII. Rursumque cum progrederetur, non vanam spe-

[1] Act. VIII, 20.

ciem, sed verum aurum in via projectum conspexit : inimicusne autem exhiberet illud, an aliqua virtus superior, quæ athletam exerceret, Diaboloque significaret, eum ne veras quidem pecunias curare ; id sane nec indicavit ipse, nec nobis compertum est : constat solummodo, verum fuisse aurum quod apparuit. Copiam solum miratus Antonius, tanquam ignem prosiliit, atque sic pertransivit, ut ne quidem vultum converteret : immo cursum ita concitavit, ut extra conspectum esset lateretque sibi locus. Magis igitur magisque propositum firmans suum, ad montem se contulit, ubi castellum trans flumen reperit tamdiu desertum, ut esset plenum reptilibus : cumque transmeasset, ibi habitavit. Reptilia vero, quasi quodam insequente, subito recesserunt. Ille obturato ingressu, panibusque ad sex menses illic repositis (qui mos est Thebæorum, durantque panes per integrum annum incorrupti) aqua vero intus reperta, quasi in adyta descendens, ibi solus commorabatur, nec inde egressus unquam, nec adventantium quempiam videns. Diuturno itaque tempore hoc asceticæ vitæ genus coluit : bis solum quotannis per supremam domus partem accepto pane.

XIII Familiares autem eo accedentes, cum non sineret ingredi, extra domum noctes persæpe diesque transigere coacti, audiebant quasi turbas intus tumultuari, strepitum edere, voces emittere lamentabiles, clamare, E nostris recede sedibus : quid tibi cum eremo? nostras nunquam feres insidias. Et initio quidem qui stabant foris, putabant homines intus esse qui cum illo concertarent, ac per scalas intro descendissent; posteaquam vero per foramen introspexerunt, tum viso nemine, intellexere dæmones esse, atque perterriti Antonium compellarunt. Ille vero magis hos audiebat quam curabat

illos. Et prope januam accedens, hortabatur homines ut secederent, nec reformidarent. Nam, ejusmodi phantasias dæmones exhibere eorum maxime causa qui perterrentur. Obsignate vos, aiebat, et cum fiducia abscedite : siniteque illos sibi ipsis illudere. Tum abibant illi signo Crucis muniti : ille vero remanebat, nihil læsus a dæmonibus, neque ejusmodi certaminibus defatigatus. Accessio quippe cœlestium visionum, et hostium imbecillitas permagnum illi præstabat laborum levamentum, majoremque addebat alacritatem. Etenim cum frequenter accederent familiares, rati se illum mortuum reperturos, psallentem audiebant : « Exurgat Deus et dissipentur » inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. » Sicut deficit fumus deficiant : sicut fluit cera a facie » ignis, sic pereant peccatores a facie Dei [1]. » Et rursus : « Omnes gentes circuerunt me, et in nomine Domini » ultus sum eos [2]. »

XIV. Viginti itaque prope annos ita degit, Asceticam seorsim agens vitam, neque inde progressus, nec nisi raro visus ab aliquo. Post hæc autem, cupientibus permultis Antonii ascesin imitari, accedentibusque familiaribus, atque vi confractis, ac depulsis foribus, exiit Antonius tanquam ex adyto mysteriis initiatus, atque divino afflatus numine. Tuncque primum extra castellum visus est ab adventantibus. Ut viderunt illi, mirati sunt corporis habitum eumdem ipsum esse qui semper fuerat, nec per quietem obesum pinguedine, neque macie confectum per jejunia dæmonumque certamina ; talis quippe erat, qualem ante secessum ejus conspexerant. Animi item puri mores erant ; nam nec mœrore coartari, nec voluptatibus diffluere, neque vel risum, vel tristitiam præferre, neque conspecta multitudine turbari, neque

[1] Psal. LXVII, 1. — [2] Psal. CXVII, 12.

tanta salutantium frequentia lætari visus est. Sed æquabilis omnino erat; utpote qui ratione regeretur, et æquum naturæ statum servaret. Multos itaque corpore per eum Dominus sanavit : alios dæmonibus liberavit. Gratiam item Antonio loquenti dederat Dominus, ut mœstos plurimos consolaretur; concertantes alios reduceret in amicitiam, hortans omnes ut nihil mundanarum rerum anteferrent caritati Christi. Cum autem inter loquendum futura memoraret bona, necnon Dei erga nos amorem, « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro no-
» bis omnibus tradidit illum [1]; » multis persuasit monasticam ut eligerent vitam : atque ita demum in montibus quoque excitata sunt Monasteria, eremusque a Monachis habitata est, qui relictis suis omnibus, cœlesti instituto nomen dabant.

XV. Necesse cum esset ut Arsenoïticum canalem transmearet, (ex usu quippe fratrum erat ut inviseret illos) canalisque crocodilorum plenus esset, tantum precatus conscendit, atque cum sociis omnibus pertransivit illæsus. Reversus ad Monasterium pristinos labores strenue fortiterque adiit. Frequentibus autem colloquiis, eorum qui jam Monachi erant auxit alacritatem, aliorum vero plurimos ad Asceticæ vitæ amorem inflammavit; ita ut ejus suasu brevi plurima fierent Monasteria, quibus omnibus quasi pater ipse præerat.

XVI. Aliqua die progressus, Monachis omnibus ad eum accedentibus, rogantibusque, ut eum sermocinantem audire liceret, hæc illis Ægyptiaca lingua locutus est. Scripturæ sacræ sunt ad doctrinam satis : sed operæ pretium est nos mutuo in fide cohortari, atque verbis concitare. Vos itaque, ut filii, ea referte patri quæ nostis : ego vero utpote natu grandior, quæ novi quæque

[1] Rom. VIII, 32.

perimento didici trado vobis. Illud in primis sit commune omnium studium, ut a cœpto ne recedamus, neve propter laborem animo concidamus : nec dicamus, jamdiu Asceticam agimus vitam : immo potius, ac si quotidie inciperemus, alacritatem augeamus. Brevissima quippe hominis vita si cum futuris conferatur sæculis ; ita ut nihil sit ævum nostrum cum æterna vita comparatum. In mundo quidem quævis res justo pretio venditur, et æquale æquali commutatur ; promissio autem æternæ vitæ parvo emitur : Scriptum est enim : « Dies annorum nostrorum » in ipsis septuaginta anni : si autem in potentatibus, » octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor [1]. » Si itaque totos octoginta vel etiam centum annos in ascetica vita perseveraverimus : nequaquam centum solum annis regnabimus, sed pro centum illis, in sæcula sæculorum. Et cum in terra decertemus, non in terra hæreditas erit nostra, sed in cœlis promittitur nobis : atque corruptibili deposito corpore, incorruptibile accipiemus.

XVII. Itaque, filii, ne lassescamus, neque putemus nos diutius morari, aut magnum quid præstare : « Non » enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futu» ram gloriam quæ revelabitur in nobis [2]. » Ne mundum intuentes existimemus magnis nos rebus renuntiasse : siquidem totus terrarum orbis minimus est si cum toto conferatur cœlo. Si tota igitur terra potiremur, totique renuntiaremus, nequaquam dignum illud esset regno cœlorum. Quemadmodum enim si quis æneam drachmam despiceret, ut centum aureas lucraretur ; ita si quis universæ terræ dominus, renuntiaret illi, is parum relinqueret, ac centuplum reciperet. Quod si ne tota quidem terra digna sit regno cœlorum, qui ergo aruras paucas

[1] Psal. LXXXIX, 10. — [2] Rom. VIII, 18.

relinquit, quasi nihil amittit : vel etiam si domum, multumque auri dimittat, nequaquam gloriari debet, aut remissius agere. Et alioqui cogitandum nobis est, si ea virtutis causa non relinquamus, morte amissuros tandem nos esse, ac persæpe quibus minime vellemus, ut ait Ecclesiastes [1]. Cur ergo ea virtutis causa non relinquamus, ut regni accipiamus hæreditatem? Quapropter ne quem nostrum invadat possidendi cupido. Quid lucri ea adipisci quæ nobiscum non auferemus? aut cur non potius ea acquiramus quæ nobiscum auferemus, prudentiam scilicet, justitiam, temperantiam, fortitudinem, intelligentiam, caritatem, pauperum amorem, fidem in Christum, mansuetudinem, hospitalitatem? Hæc si adipiscamur, illic reperiemus, quæ nos in mansuetorum terra hospitio excipiant.

XVIII. His itaque argumentis quivis in animum inducat, ut non animo concidat, præsertim si cogitet se Domini servum oportere Domino servire. Quemadmodum itaque servus non ausit hæc dicere : Cum heri laborarim, otiabor hodie : neque præteritum tempus dimensus, diebus sequentibus cessabit : sed quotidie, ut scriptum est in Evangelio, idem præfert animi studium, ut suo placeat Domino, et non periclitetur : ita et nos quotidie in Ascetica perseveremus, scientes, si una die indiligenter agamus, Dominum non veniam nobis, præteriti temporis gratia, esse concessurum; sed succensurum nobis propter negligentiam. Ita et in Ezechiele scriptum : ita et Judas ob unam noctem, præteriti temporis laborem perdidit [2].

XIX. Quocirca, filii, Asceticæ vitæ operam demus, nec indiligenter agamus. In hoc enim ipsum, Dominum adjutorem habemus, ut scriptum est [3] : Quicumque bo-

[1] Eccles. IV, 8. — [2] Ezech. XVIII. — [3] Rom. VIII, 28.

num elegerit, ei Deus cooperatur in bonum. Ut autem non negligenter agamus, Apostoli dictum meditari convenit : « Quotidie morior [1]. » Si enim vixerimus, quasi quotidie morituri, non peccabimus. Quod ita intelligendum, ut quotidie mane surgentes, non existimemus nos ad vesperam usque esse victuros, et cum decumbimus, ne surrecturos arbitremur : cum vita nostra natura incerta sit, et quotidie per providentiam dimensa. Sic affecti, et si in dies ita vixerimus, neque peccabimus, neque alicujus rei cupiditate tenebimur, nulli succensebimus, nullum recondemus thesaurum in terra : sed quasi quotidie mortem expectantes, nullam rem possidebimus : omnia omnibus delicta condonabimus : : nec mulieris concupiscentia, nec obscœna ulla voluptate tenebimur, sed ut caducam aversabimur : semper concertantes atque judicii diem prospicientes. Semper enim gravior formido et cruciatuum periculum, voluptatis suavitatem dissolvit, nutantemque erigit animam.

XX. Idcirco jam exorsi, jam ingressi virtutis viam, magis contendamus ut ad futura perveniamus [2]. Nemo retrorsum convertatur; ut Loti uxor, cum potissimum Dominus dixerit : « Nemo mittens manum suam ad ara» trum et respiciens retro, aptus est regno cœlorum [3]. » Retro autem respicere nihil aliud est quam pœnitere, ac rursum mundana sapere. Ne timete de virtute audientes, neu de nomine stupeatis. Non enim procul nobis est, neque extra nos consistit : in nobis ipsis res est et perfacilis sane, si modo voluerimus. Græci peregrinantur, et mare trajiciunt, ut litteras ediscant; nobis vero peregrinatione opus non est propter regnum cœlorum, neque ut virtutis causa mare trajiciamus. Jam olim quippe Dominus dixit : « Regnum Dei intra vos est [4]. » Virtus itaque

[1] 1 Cor. xv, 31. — [2] Philip. iii, 14; Gen. xix, 26. — [3] Luc. ix, 62. — [4] Luc xvii, 21.

nostra duntaxat voluntate opus habet, in nobis cum sit, ex nobisque consistat. Siquidem cum anima natura sua vim intelligendi habeat, hinc virtus consistit. Secundum naturam autem se habet anima, cum talis manet qualis facta est, facta vero est et bona et admodum recta. Quapropter Jesus Nave Filius hæc populo præcipiebat : « Di-» rigite cor vestrum ad Dominum Deum Israël[1] : » et Joannes : « Rectas facite semitas vestras[2]. » Nam rectam esse animam, id est, intelligentiam esse prout creata est : contra vero cum declinavit, atque a natura deflexit, id dicitur animi vitium. Nequaquam difficilis ergo res est : nam si prout conditi fuimus perseveremus, in virtute sumus : sin malis adhibeamus animum, ut mali judicabimur. Si extra nos perquirenda res esset, difficilis sane foret ; quod si in nobis ipsis sit, sordidas caveamus cogitationes, Dominoque animam servemus, tanquam acceptum ab eo depositum, ut opus ipse suum agnoscat, cum talis ipsa fuerit, qualis ab eo condita est.

XXI. Hoc item pugnemus, ne tyrannidem in nos occupet ira, nec dominetur nobis concupiscentia : scriptum est enim, « Ira viri justitiam Dei non operatur : concu-» piscentia autem cum conceperit, parit peccatum : » peccatum vera cum consummatum fuerit, generat » mortem[3]. » Hac instituta vitæ ratione sedulo vigilemus, et, ut scriptum est, omni custodia servemus cor nostrum. Hostes habemus formidandos et callidos, malignos scilicet dæmones, ut adversus illos colluctatio nobis est, ut ait Apostolus, « Non adversus carnem et san-» guinem ; sed adversus principatus et potestates, mundi » rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequi-» tiæ in cœlestibus[4]. » Magna illorum turba in aëre no-

[1] Josue. XXIV, 23. — [2] Matth. III, 4. — [3] Jacob. I, 20 et 15. — [4] Prov. IV, 23.

bis proximo est, neque procul nobis sunt, magna quoque inter illos est discrepantia. De quorum natura et differentia multa dici possent, ab aliis, nobis præstantioribus pertractanda. Quod vero jam necessarie nobis incumbit, est nosse eorum adversum nos calliditates.

XXII. Primum itaque hoc nosse debemus dæmones appellari dæmones, non quod tales fuerint conditi : nihil enim mali condidit Deus : sed boni etiam ipsi facti sunt. Lapsi vero a cœlesti sapientia, post in terra volutati, Gentiles phantasiis deceperunt, invidiaque in nos Christianos ardentes, nihil non movent, ut cœlorum nobis aditum intercludant, ne eo nos ascendamus unde lapsi illi sunt. Quapropter multa oratione, multa exercitatione opus est ; ut accepta quis per spiritum discretionis gratia, quæ illos spectant possit agnoscere : quinam scilicet illorum minus nequam, quinam nequiores sint : quo studio singuli eorum teneantur : qua quisque ratione prosternatur et ejiciatur. Multi sunt enim eorum doli, multi ad parandas insidias motus. Beatus certe Apostolus et ejus sectatores hæc probe norant cum dicerent : « Non enim ignoramus cogitationes ejus[1]. » Nos vero ex iis quas ab illis sumus experti tentationibus, mutuo debemus alii alios emendare. Ego itaque ut aliquam eorum assecutus experientiam, ut filiis loquor.

XXIII. Si igitur viderint illi Christianos quoslibet, maximeque Monachos laborare atque proficere, primum aggressi tentant, et offendicula ponunt in via : quæ scilicet offendicula, sunt malæ cogitationes. Non est autem quod eorum suggestionibus terreamur : nam precibus jejuniis et fide in Dominum statim illi labuntur. Sed lapsi minime quiescunt, vafre quippe et callide rursum accedunt. Ubi enim palam per obscœnas voluptates cor deci-

1 Ephes, vi, 12.

pere nequeunt, alia aggrediuntur via, vanisque speciebus perterrere nituntur, variis assumptis formis mulierum, ferarum, reptilium, prægrandium corporum, militarium turmarum. Sed neque hæ illorum phantasiæ nobis sunt pertimescendæ : nihil enim cum sint, subito evanescunt si maxime fide et signo Crucis se quis munierit. Audaces porro sunt admodumque impudentes : nam si hoc modo superentur, alio aggrediuntur. Vaticinandi enim se peritos simulant, atque ea prædicendi quæ postea futura sunt : affectantque se ita proceros exhibere, ut tectum attingant, magnaque sint latitudine ; ut quos cogitationibus decipere nequiverunt, hujusmodi portentis subornare possint. Quod si hic quoque animam inveniant fide atque spe firmatam, principem denique suum secum adducunt.

XXIV. Aiebatque tales sæpe videri, qualem Jobo Diabolum revelavit Dominus his verbis : « Oculi ejus ut spe- » cies diluculi. Ex ore ejus procedunt lampades ardentes, » et projiciuntur quasi foci ignis. Ex naribus ejus proce- » dit fumus camini ardentis igne carbonum : anima ejus » carbones : flamma de ore ejus egreditur[1]. » Talis cum appareat dæmoniorum princeps, terrorem, uti dixi, veterator ille et magnilocus incutit, ut coarguit eum Dominus, Jobo quidem dicens : « Arbitratur ferrum quasi pa- » leas, æs vero quasi lignum putridum, mare reputat » quasi vas unguentarium, et tartarum abyssi quasi cap- » tivum, abyssum æstimavit quasi ambulachrum[2] : » per Prophetam autem : « Dixit inimicus, persequar et » comprehendam[3] : » et per alium iterum : « Universam » terram comprehendam manu mea quasi nidum. et » quasi derelicta ova tollam[4]. » Talia illi jactitant, et se

[1] Job. XLI, 9, 10 et 11. — [2] Ibid, 18 et seqq. — [3] Exod. XV, 9. — [4] Isai X, 14.

facturos promittunt, ut pios circumveniant. Sed ne has quidem ejus phantasias oportet nos qui fideles sumus reformidare, nec ejus attendere vocibus. Mentitur quippe, nihilque prorsus veri loquitur[1]. Nam licet talia et tam multa audacter locutus sit, quasi draco a Salvatore hamo tractus est, et quasi jumentum, capistrum naribus accepit, ac velut fugitivus nares annullo vinctas habet, et labia armilla perforata[2]. Ligatusque est a Domino tanquam passer, ut illudatur a nobis. Positi autem sunt cum ipse, tum socii dæmones, quasi scorpiones et serpentes, ut conculcentur a nobis Christianis[3]. Cujus rei argumentum illud est, quod nos jam vitæ instituto ipsi adversario utamur. Nam qui minatus fuerat se exsiccaturum mare, et orbem terrarum comprehensurum, is jam non valet exercitationem vestram impedire, sed neque me contra se loquentem cohibere. Ne verbis itaque ejus adhibeamus animum, mentitur enim : neve phantasias ejus, vanissimas sane, pertimescamus. Non verum quippe lumen in illis apparet, sed præludia potius et imagines ignis ipsis parati : et in quibus illi exurendi sunt flammis, in iisdem homines perterrere conantur. Apparent revera, sed evanescunt illico : nemine quidem læso fidelium, immo ipsi imaginem ferunt ignis a quo demum excipiendi sunt. Quare nec ea illi ratione sunt extimescendi : vana quippe per Christi gratiam omnia sunt eorum molimina.

XXV. Dolosi sunt etiam, atque parati ad omnem se formam atque speciem transferre. Plerumque etenim se Psalmos canere simulant, licet minime videantur, memorantque Scripturarum verba. Sæpenumero nobis legentibus, quæ nos legimus statim quasi echo repetunt ipsi : dormientes nos ad preces excitant : quod frequenter illi agunt, ut propemodum dormire non sinant. Aliquando

[1] Job. xl, 19. — [2] Job. xli, 2. — [3] Luc. x, 19.

specie monastici habitus assumpta, quasi pii viri loquuntur, ut habitus similitudine decipiant, atque deceptos demum quo voluerint trahant. Verum audiendi non sunt, etsi ad orandum excitent, etsi hortentur ut nihil prorsus comedamus, etiam si accusare aut convitiari videantur, de quibus conscii nobis sunt. Non enim pietatis aut veritatis studio hæc agunt; sed ut simpliciores ad desperationem deducant : inutilemque dicant asceticam vitam, nauseamque hominibus afferant Monasticæ vitæ, tanquam onerosæ et molestissimæ : et eam exercentibus impedimento sint.

XXVI. Propheta itaque a Domino missus, miseros illos pronuntiat his verbis : « Væ illi qui potum dat proximo » suo subversionem turbidam[1]. » Ejusmodi enim molimina atque cogitationes, viam ferentem ad vitam subvertunt. Dominus vero, quanquam vera dicerent dæmones; (vere quippe dicebant : « Tu es Filius Dei[2]) » os tamen obturabat, ac silentium indicebat illis, nequando veritati malignitatem miscerent suam, utque nos assuesceret nunquam illis adhibere animum, etsi vere dicere viderentur. Indecorum quippe esset, cum sanctas habeamus Scripturas, et, qua donati sumus a Salvatore, libertatem, a Diaboli doceri, qui proprium non servavit ordinem, et ab alia in aliam sententiam mutatus est. Quare illum Scripturarum dicta loquentem prohibet, dicens, « Pecca- » tori autem dixit : Quare tu enarras justitias meas, et » assumis Testamentum meum per os tuum[3]? » Nihil enim non agunt, effutiunt, tumultuantur, turbant, nulla non simulatione utuntur, simpliciores ut decipiant. Strepitus edunt, effuse rident, sibilant : si nemo attendat, flent demum atque lamentantur quasi superati.

XXVII. Dominus ergo utpote Deus, os dæmonibus ob-

[1] Habac, II, 15. — [2] Luc, IV, 41. — [3] Psal, XLIX, 16.

turabat : nos vero a Sanctis eruditos, par est imitari illos, et illorum æmulari fortitudinem. Namque illi hæc cum cernerent, aiebant : « Cum consisteret peccator adver-» sum me, obmutui et humiliatus sum et silui a bonis[1] : » et rursum : « Ego autem tanquam surdus non audiebam, » et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum » sicut homo non audiens[2]. » Nos itaque illos, utpote nobis alienos, ne audiamus, ne morem geramus illis, quamvis ad orationem excitent, quamvis de jejuniis loquantur; sed potius exercitationis nostræ proposito attendamus, nec ab illis decipiamur dolose omnia agentibus. Neque timendi sunt etiamsi invadere videantur, etiamsi minitentur mortem : imbecilli namque cum sint, comminari solum possunt et nihil præterea.

XXVIII. Hactenus brevi hac de re locutus, fusius post hac dicere non pigeat : hæc enim vos monere ad tutelam conferet. Domino huc adveniente, cecidit inimicus, ejusque vires fractæ sunt. Quare nihil cum possit, velut tyrannus, collapsus licet, nunquam quiescit, sed verbis saltem interminatur : quod vestrum cuique cogitandum est; et sic poterit dæmones contemnere. Quod si iisdem illi corporibus illigati essent quibus nos sumus, dicere sane possent : Latentes homines non invenimus, quos si inveniremus læderemus utique. Possemus item nos occultantes, occlusis januis latere illis. Sed cum secus se res habeat, nam clausis etiam januis ingredi possunt, in totoque aëre versantur tam illi quam princeps eorum Diabolus, suntque illi ad malum damnumque inferendum parati, et, ut ait Salvator, ab initio homicida est malitiæ pater Diabolus; nosque jam vivimus, immo adversum illos vitam instituimus nostram; palam est illos nihil virium habere. Non enim locus, eorum insidiis obstat;

[1] Psal. XXXVIII, 2. — [2] Psal. XXXVII, 14. — Joan. VIII, 44.

neque nos sibi amicos cernunt, ut parcant nobis, nec æqui bonique amantes sunt ut corrigant; immo potius maligni sunt, nihilque ita curant, ut virtutis pietatisque studiosos lædere. Ideo autem nihil faciunt quod nihil possint nisi comminari, nihil cunctaturi si possint, sed statim malum inferrent, quod promptam hac in re habeant voluntatem, contra nos potissimum. Ecce jam congregati contra ipsos loquimur noruntque se progressu nostro debilitari. Certe si potestatem haberent, neminem nostrum Christianorum vivere concederent : nam execratio peccatori est pietas erga Deum[1]. Cum nihil possint autem, sese vulnerant, quod nihil minarum suarum exequi valeant. Illud præterea cogitandum ut illos minime reformidemus : si potestas sibi esset, non cum tumultu, non cum phantasiis accederent, non mutata forma insidias pararent : sed satis foret accedere unum, quid quod posset atque vellet, conficeret : cum maxime quisquis potestatem habet, non cum vana apparens specie occidat, neque tumultu terrefaciat, sed protinus arbitrati suo propria utatur potestate. Sed dæmones nihil cum valeant, quasi in scena ludunt, immutata forma terrentque pueros tumultibus atque larvis suis : unde sane quasi imbecilli contemnendi sunt. Verus certe Angelus contra Assyrios missus a Domino, non tumultibus, non externo apparatu, non strepitu, non plausu opus habuit; sed quiete potestate usus, centum octoginta quinque millia repente occidit[2]. Qui autem nullis sunt viribus, ut dæmones isti, vanis saltem speciebus perterrere conantur.

XXIX. Quod si Jobi historiam cogitans quis objecerit : Cur Diabolus adversus istum egressus, omnia potuit, facultates ademit, liberos interfecit, ulcere illum pessimo

[1] Eccli, I, 32. — [2] 4 Reg. XIX, 35.

percussit[1]? Agnoscat ille, non eam fuisse Diaboli vim, sed Dei, qui Jobum ipsi tentandum tradidit : nimirum quia nihil poterat, petiit, et accepta facultate idipsum egit. Atque hinc maxime contemnendus est inimicus, quod quanquam vellet, ne adversus unum quidem justum hominem quidquam virium habuit : si habuisset enim, nequaquam petiisset. Cum autem non semel sed bis petierit, imbecillus sane et impotens arguitur. Nec mirum si nihil contra Job potuit, cum ne jumentis quidem ejus, nisi concedente Deo, perniciem inferre potuerit : sed ne adversus porcos quidem aliquam vim habet : « Rogabant enim, » ut in Evangelio scriptum est, Dominum dicentes : « Sine nos in porcos abire[2]. » Quod sine adversus porcos quidem habent potestatem, multo minus in homines ad similitudinem Dei factos imperium obtinent.

XXX. Deum itaque solum timere convenit : hos vero despicere et nullo modo formidare. Sed quo magis illi hæc agunt, eo ardentius nos Asceticæ vitæ operam demus. Magnum quippe contra illos telum est, proba vita et fides in Deum. Timent sane illi Ascetarum jejunia, vigilias, orationes, mansuetudinem, tranquillitatem, pecuniæ et inanis gloriæ contemptum, humilitatem, pauperum amorem, eleemosynas, lenitatem, et præ cæteris, pietatem erga Christum. Quare nihil non agunt, ut nemo existat qui se conculcet. Norunt enim gratiam fidelibus adversum se datam a Salvatore qui ait : « Ecce dedi » vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpio- » nes, et super omnem virtutem inimici[3]. »

XXXI. Si itaque se futura prædicere simulent, nemo attendat, sæpe enim aliquot ante diebus venturos fratres prænuntiant, et veniunt illi revera. Hoc autem agunt,

[1] Job. II. — [2] Matth. VIII, 31. — [3] Luc. X, 19.

non aliqua se audientium ratione habita, sed quo suadeant illis ut fidem habeant sibi : atque demum eos suæ quasi potestatis factos perdant : unde ne attendatur ipsis, immo loquentes abjiciantur, quia nihil illis egemus. Quid mirum enim, si levioribus quam homines usi corporibus cum viderint aliquos viam ingressos, cursu antevertant, atque renuntient? eo quippe modo eques peditem prævertere possit : quare hac in re non sunt admiratione digni. Nihil enim norunt quod nondum extet : solusque Deus novit omnia antequam fiant[1]. Illi vero si qua viderint, quasi fures concitato cursu referunt. Quam multis jam quæ inter nos geruntur, quod scilicet convenerimus, et mutuo loquamur adversum illos, renuntiant; ante quam nostrum qnispiam discedens hæc enarret ! Quod sane quivis pernix puer præstare valet, atque cunctabundum prævertere. Quod autem dico sit intelligendum. Si quis ex Thebaïde, aut ex quadam alia regione iter ingreditur, antequam proficiscatur, profecturusne sit ignorant : ambulantem cum vident præcurrunt, ejusque adventum prænuntiant : atque paucis inde diebus adventant illi. Contingit tamen plerumque ut profectis pedem referentibus, ipsi mentiantur.

XXXII. Eodem modo de fluvii aquis nonnunquam effutiunt : cum viderint enim multas fuisse pluvias in partibus Æthiopiæ, videntesque hinc futuram exundationem fluminis, priusquam aqua perveniat in Ægyptum, præcurrentes id annuntiant. Quod etiam homines narrare possent, si tantum cursu valerent, quantum ipsi[2]. Quod si Davidis speculator in editum conscendens locum venientem hominem facilius vidit, quam qui infra steterat : et ille ipse qui præcucurrit, ante alios renuntiavit, non quidem ea quæ nondum contigissent, sed

[1] Dan. XIII, 42. — [2] 2 Reg. XVIII, 24.

gesta quæ jamjam in via erant ut nuntiarentur, eodem prorsus modo illi, hunc ineunt aliis annuntiandi laborem, solum ut decipere possint : sed si interea providentia alia ratione disponat, ut facultas ipsi est, de aquis et de viatoribus, tum mentiti illi, et qui fidem habuere decepti sunt.

XXXIII. Ita exorta olim sunt Gentilium oracula, et ita illi olim a dæmonibus decepti sunt : sed fallacia invenit finem. Venit enim Dominus, qui dæmones cum vafritie illa sua de medio sustulit. Nihil quippe illi a seipsis norunt : sed quasi fures, quæ apud alios cernunt, hæc loquuntur : potiusque conjectare dicendi sunt, quam prævidere. Quare si quando vere dicant, ne tunc quidem quispiam admiretur. Etenim ipsi medici qui morborum periti sunt, cum in diversis eumdem viderint morbum, quadam consuetudine morbos persæpe futuros dicunt. Gubernatores item, atque agricolæ, ex assueto conspiciendi aëris usu, aut tempestatem aut serenitatem aëris prædicunt : nec quisquam dixerit eos divino quodam afflatu talia præfari, sed experimento et usu. Ne quis ergo miretur si forte dæmones aliquando hæc ipsa conjectura ducti loquantur : neve iis adhibeat animum. Quæ audientibus utilitas si ab illis aliquot ante diebus ediscant futura? aut quid curæ ea nosse, etiamsi vere sciri queant? nulla enim hinc virtutis accessio, nec omnino probitatis est hoc indicium. Nemo nostrum in judicium vocatur, quod ea non norit; nemo beatus censetur, quod didicerit, et noscat : sed hac de re quisque in judicium vocabitur, fidemne servaverit, an præcepta recte impleverit.

XXXIV. Quare non sunt hæc multi facienda : neque ideo subeunda ascetica vita, laboresque, ut futura prænoscamus, sed ut probitate vitæ Deo placeamus. Oran-

dum item, non ut futura præsciamus : neque talis ascetícæ vitæ postulanda merces est; sed rogandum ut nobis ad referendam de Diabolo victoriam adjutor sit Dominus. Quod si omnino nobis futura prospiciendi cura sit aliqua, mente sumus pura. Persuasum quippe habeo, animam omnino puram, et quæ secundum naturam steterit, perspicacem fore, atque posse plura et remotiora videre quam Diabolus, Domino ipsi revelante : qualis erat Elisæi mens, quæ res a Giezi gestas conspexit, quæque vidit exercitum ex sua parte stantem[1].

XXV. Cum ergo noctu vos adibunt, volentque futura loqui, ac dicent : Sumus Angeli; ne fidem habeatis, mentiuntur quippe. Si asceticum vestrum laudent institutum vosque beatos prædicaverint; ne audiatis eos, nec advertere quidem videamini : sed potius obsignate vos domumque, et precamini, videbitisque eos evanescere : timidi quippe sunt, et signum dominicæ Crucis admodum pertimescunt : illo quippe ipsos Salvator spoliatos palam traduxit. Sin institerint impudentius, exultantes, atque formas larvasque commutantes : ne timete nec terreamini, neve ipsis tanquam bonis adhibete animum : bonorum enim malorumque præsentiam internoscere in promptu est, divina scilicet ope. Sanctorum quippe visio non perturbationem affert. « Non contendet enim » neque clamabit, neque audiet aliquis vocem ejus[2] : » sed ita placide ita leniter fit illud, ut gaudium, exultatio et lætitia hinc animæ exoriatur : cum illis quippe Dominus est, qui nostrum gaudium est, Deique Patris potentia : ejusque cogitationes imperturbatæ et tranquillæ remanent; ita ut illuminata ipsa, per seipsam eos qui apparent contempletur. Tum divinorum atque futurorum bonorum desiderium occupat ipsam, velletque

[1] 4 Reg. v, 26; 4 Reg. vi, 17. — [2] Isai. xlii, 2.

prorsus iis adjungi, ut cum illis abiret. Quod si quidam, ut pote homines, bonoeum visionem extimuerint[1] : hi metum illis dilectione sua statim adimunt[2] ; ut Zachariæ Gabriël egit, et mulieribus qui in divino sepulcro apparuit Angelus, et qui pastoribus in Evangelio ait : « Ne » timete[3]. » Timor enim eorum non ex animi metu, sed ex præsentis præstantioris naturæ cognitione ortus est. Talis itaque est Sanctorum visio.

XXXVI. Malorum vero incursus et phantasia, cum tumultu, strepitu, sono, et clamore obvenit : qualis exempli causa fuerit illiberalium adolescentium vel latronum tumultus. Unde exoritur animi pavor, turbatio et confusio cogitationum, tristitia, Ascetarum odium, incuria, mœror animi, cognatorum recordatio, formido mortis, ac demum concupiscentia malarum rerum, animus ad virtutem remissus, inordinati mores. Cum itaque quibusdam conspectis, timore corripiemini, si statim timor auferatur, et ejus loco mox consequatur ineffabile gaudium, alacritas, fiducia, animi recreatio, cogitationum tranquillitas, et quæcumque alia superius dicta sunt, robur animi item et Dei amor, confidite et orate : gaudium enim et ille animæ status, præsentis sanctitatem indicat. Sic Abraham Dominum videns exultavit : sic Joannes edita a Deipara Maria voce exultavit gaudens[4]. Quod si quibusdam apparentibus, tumultus fiat, externus strepitus, mundanus apparatus, metus mortis et quæ superius dixi, scitote malorum esse adventum.

XXXVII. Et hoc item vobis indicio sit. Si anima timida perseveret, inimicorum est præsentia : nequaquam enim dæmones metum auferunt, ut præstitit magnus

[1] Luc. I, 13. — [2] Matth. XXVIII, 5. — [3] Luc. II, 10. — [4] Joan. VIII, 56. Luc. I, 41.

Archangelus Gabriel Mariæ et Zachariæ, et qui in monumento apparuit, mulieribus; quin potius si reformidantes cernant, phantasias adaugent, majorem ut incutiant terrorem, atque adorti demum irrideant dicentes, Prostrati adorate. Ita Gentiles deceperunt : sic ab illis false dii habiti sunt. Nos vero Dominus non sivit a Diabolo circumveniri, cum similibus phantasiis se aggredientem increpavit his verbis : « Vade retro me, Satana : » scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, » et illi soli servies[1]. » Quapropter magis magisque versipellis iste despiciatur a nobis. Quod enim illi hæc Dominus dixit, id nostri causa factum est : ut has voces a nobis item audientes dæmones evertantur, propter Dominum qui eos ipsis increpavit.

XXXVIII. Neque porro decet ejiciendorum dæmonum virtute gloriari, neque de morborum curationibus extolli : nec eum qui dæmonia ejicit admirari, eum qui non ejicit despicere; sed singulorum exercitationem quivis ediscat, et vel imitetur æmuleturque, vel corrigat. Nam signa facere, non nostrum, sed Salvatoris opus est : quare Discipulis ait : « Nolite gaudere quia Spiritus » vobis subjiciuntur : gaudete autem, quod nomina » vestra scripta sunt in cœlis[2]. » Nam quod nomina nostra in cœlis scripta sint, virtutis vitæque nostræ testimonium illud est : ejicere autem dæmonia, Salvatoris donum. Quamobrem iis qui non virtute, sed signis gloriabantur, aiebantque : « Domine, nonne in nomine » tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes » multas fecimus? *respondit*, Amen dico vobis, nescio » vos[3]. » Non enim novit Dominus vias impiorum. Orandumque prorsus est, uti supra dixi, ut accipiamus

[1] Matth. IV, 10. — [2] Luc. X, 20. — [3] Matth. VII, 22.

gratiam discernendorum spirituum ; ut, quemadmodum scriptum est, non omni Spiritui credamus[1].

XXXIX. Equidem jam silere vellem, nec ulterius verba facere, hactenus dictis contentus; sed ne putetis me temere ista proferre, sed credatis me expertum vera isthæc enarrare; ideo, etsi quasi insipiens fiam, at cordis puritatem novit Dominus qui hæc audit, meque non mei causa, sed vestræ caritatis et exhortationis gratia, quæ novi dæmonum molimina, hæc rursum narrare. Quoties me beatum illi dixere ; ego vero maledicebam illis in nomine Domini. Quoties prædixere exundaturum fluvium, quibus ego : Ecquid hoc ad vos? Accesserunt aliquando cum minis, meque, quasi milites omni armorum genere instructi, cinxere. Alio tempore equis, feris et serpentibus implevere domum, tum ego psallebam : « Hi in curribus, et hi in equis; nos autem » in nomine Domini Dei nostri magnificabimur[2] : » quibus illi precibus a Domino profligati sunt. Venerunt aliquando in tenebris, quamdam luminis phantasiam præferentes, aiebantque : Accessimus, Antoni, lucem prælaturi tibi : clausis ego oculis orabam, ac derepente extincta lux impiorum est. Paucis post mensibus, venere quasi psallentes, ac verba loquentes Scripturarum : « Ego autem tanquam surdus non audiebam[3]. » Fuit cum Monasterium quassarent : at ego mente immotus manendo precabar. Rursum post accessere cum strepitu, sibilo, et saltationibus; ut vero orare me, atque decumbentem apud meipsum psallere conspexerunt, cœpere statim lamentari ac flere quasi se vires defecissent : ego vero gloriam Domino retuli, qui audaciam furoremque illorum retunderet, atque traduceret.

LX. Aliquando mihi admodum excelsus dæmon cum

[1] I Joan. IV, 1. — [2] Psal. XIX, 8. — [3] Psal. XXXVII, 14.

phantasia visus, dicere ausus est : Ego sum virtus Dei, et, Ego sum providentia : Quid tibi vis beneficii conferam? At ego tum magis in illum insufflavi, prolato Christi nomine, atque verberare conatus sum, ac reipsa verberasse visum mihi est : statimque ille tantus, cum omnibus suis dæmonibus, in nomine Christi evanuit. Venit aliquando me jejunante, Monachi speciem habens : panesque ut videbatur tenens, suadebat dicens : Comede, tantorumque laborum finem facito : nam homo tu quoque es, periculumque ne ægrotes. Intellecta ego illius vafritie, surrexi oraturus : quod ille non tulit, evanuit enim, ac per januam quasi fumus egredi visus est. Quoties auri speciem in deserto objecit, ut vel solum tangerem atque respicerem : ego vero adversum psallebam, et contabescebat ille. Plerumque me plagis conciderunt, et aiebam : Nihil me separabit a caritate Christi : tumque illi sese mutuo cædebant[1]. Nec eram ego qui illos compescerem atque arcerem; sed Dominus erat, qui ait : « Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem[2]. » Ego vero, filioli, memor Apostolici dicti hæc in me transtuli, ut ediscatis non animo deficere in Ascetica vita, neque Diaboli ejusque dæmonum phantasias reformidare[3].

XLI. Et quia hæc narrando factus sum incipiens, istud quoque accipite, ut tuti et absque formidine degatis : mihique fidem habete, non mentior quippe. Quodam tempore pulsavit aliquis in Monasterio januam meam. Tum egressus vidi quemdam procerum ac prææltæ staturæ : Sciscitante me : Quis tu es? Ego sum, inquit, Satanas. Me rursum interrogante : Qua de causa hoc ades in loco? Respondit ille : Cur me falso accusant Monachi et omnes alii Christiani? Cur me oris singulis

[1] Rom. III, 35. — [2] Luc. X, 18. — [3] I Cor. IV, 6.

execrantur? Cui ego, Cur molestus illis es? Non ego, ait, sed illi ipsi sese conturbant : infirmus enim factus sum. An non legerunt : « Inimici defecerunt frameæ in finem, » et civitates destruxisti [1]? » Nullus mihi superest locus, non telum, non civitas. Ubique locorum Christiani facti sunt, atque demum Monachis repleta est solitudo. Observent ipsi sese, nec me immerito execrentur. Tum ego Domini gratiam admiratus : Quanquam mendax semper es, dixi, et veritatem nunquam dicis, hoc jam tamen licet invitus vere dixisti : Christus enim veniens te infirmum reddidit, atque dejectum denudavit. Audito ille Salvatoris nomine, ardoremque ejusmodi non ferens, evanidus factus est.

XLII. Si igitur ipse Diabolus se fratetur nihil posse, despiciendus sane a nobis est cum ille tum dæmones ejus. Inimicus ergo cum canibus suis, ejusmodi utitur dolis : nos autem gnari eorum infirmitatis, ipsos contemnere valemus. Quamobrem ne labamur mente, ne timendi causas animo versemus : neque comminiscamur nobis terrores, dicendo : Ne dæmon invadens prosternat me : ne sublatum projiciat, vel derepente irruens perterrefaciat. Talia prorsus ne cogitemus, neu mœrore quasi perituri afficiamur; sed fidamus magis et gaudeamus, utpote salutem consecuti : atqui animo reputemus, nobiscum esse Dominum, qui dæmones profligavit atque compressit. Cogitemus item et mente semper volvamus, dum nobiscum Dominus est, nullo nos ab inimicis malo afficiendos esse. Cum advenient enim, quales nos repererint tales erga nos futuri sunt, atque phantasias suas cogitationibus quas in nobis depehenderint accommodant : si perterritos et turbatos reperiant, illico quasi fures, locum absque custodia inventum, invadunt : tum quod

[1] Psal. IX, 7.

nos ipsi cogitamus, id etiam cum augmento perpetrant. Nam si viderint nos reformidare, atque terreri, terroris illi accessionem præstant, phantasiis et comminationibus suis : ac demum iis in rebus castigatur misera anima; sin gaudentes in Domino reperiant, et de futuris cogitantes bonis, ac quæ Domini sunt animo versantes, et nobiscum reputantes omnia in manu Domini esse, nec quidquam valere dæmones in Christianum, nec minimam habere in quempiam potestatem, cum inquam, animam hujusmodi rebus munitam conspexerint, pudefacti recedunt. Ita Jobum munitum reperiens inimicus, ab illo recessit : Judam vero his nudatum deprehendens, captivum abduxit. Si igitur inimicum despicere velimus, quæ Domini sunt assidue cogitemus, sitque anima semper spe læta : tum dæmonum ludibria nobis instar fumi videbuntur, atque fugientes illos potius quam persequentes videbimus. Sunt namque uti supra dixi per quam timidi, quod semper expectent sibi parumtum ignem.

XLIII. Hocque sit vobis ad securitatem indicium : cum quædam aderit visio, ne statim pavore concidas, qualiscumque illa sit, fidens primum interroga : Quisnam tu es et unde? Tum si Sanctorum sit visio, certiorem te facient, atque terrorem tuum in gaudium vertent; sin diabolica illa sit, statim debilitatur, perspecta animi firmitate : nam imperterriti animi signum est, vel sic interrogare, quis tu es, et unde? Ita sciscitatus filius Nave certior factus est : nec latuit inimicus interroganti Danieli [1].

XLIV. Hæc loquente Antonio delectabantur omnes : tum in alliis augebatur virtutis amor; aliorum segnities pellebatur, quorumdam prior cessebat opinio : omnibusque persuasum erat, contemnendas esse dæmonum in-

[1] Josue. v, 13. Dan. 10.

sidias, mirantibus gratiam Antonio datam a Domino ad discretionem spirituum. Erant igitur in montibus Monasteria quasi tabernacula repleta divinis choris, psallentium, lectionis studiosorum, jejunantium, orantium, exultantium spe futurorum, laborantium ad eleemosynas erogandas, mutua caritate et corcordia junctorum. Ac revera videre erat quasi aliquam segregatam regionem pietatis atque justitiæ. Nullus ibi qui injuria vel afficeret, vel afficeretur : nulla exactoris increpatio; sed multitudo Ascetarum : quorum unum omnium erat virtutis studium; ut qui Monasteria videlicet talemque Monachorum constitutionem, exclamasset haud dubie : « Quam pulchra domus tuæ Jacob, et tabernacula tua » Israel! ut nemora umbrosa, ut paradisus juxta flu- » vium, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri » prope aquas [1]. »

XLV. Ipse vero more solito secedens intra Monasterium suum, majore vitam asceticam studio adiit, ingemebatque quotidie cœlestium memor mansionum, earumque desiderio captus, ac humanæ vitæ fragilitatem animo versans : cibum quippe aut somnum, aut cæteras corporis necessitates, nonnisi cum rubore capiebat, secum reputans animæ vim intelligendi. Sæpe comesturus cum aliis Monachis, spiritualis cibi recordatus, abnuebat, atque procul illis secedebat, ratus pudori sibi esse si comedens ab aliis videretur : seorsum itaque comedebat ob corporis necessitatem : plerumque etiam cum fratribus : tum quod visus ab illis pudore afficeretur, tum quod fiduciam sumeret, ut illis utilem sermonem subministraret. Aiebatque totam curam animæ potius quam corpori adhibendam : dandum tamen corpori ob necessitatem, paulululum temporis; sed totum

[1] Num. XXIV, 5, 6.

reliquum animæ impendendum, et ejus quærendam utilitatem, ut ne ipsa traheretur corporis voluptatibus, immo potius ab ea corpus in servitutem redigeretur : hanc enim ipsam esse Salvatoris sententiam : « Nolite solliciti » esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori » quid induamini : Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis : et nolite in sublime tolli : hæc » enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his omnibus indigetis. Cæterum quærite primum regnum ejus, et hæc omnia adjicientur » vobis[1]. »

XLVI. Post hæc Ecclesiam excepit Maximini persecutio : Sanctosque Martyres Alexandriam adductos, relicto ille Monasterio secutus est, aiens : Pergamus et nos, ut vel vocati congrediamur, vel præliantes spectemus. Et martyrii quidem desiderio flagrabat; sed cum nollet sese tradere, Confessoribus in metallis et in carceribus ministrabat. Magna quoque ipsi cura in judicii loco, vocatos concertantesque hortari ad animi alacritatem : martyriumque passuros excipere, atque comitari donec consummarentur. Judex itaque, viso tam illius, quam suorum intrepido hac in re animo, jussit neminem Monachorum in judicii loco interesse, vel in urbe prorsus versari. Tum aliis omnibus visum est illo die sese occultare : Antonio autem tantum jussio curæ fuit, ut loto ependyte, insequente die in edito loco conspicuus staret, atque Præfecto sese nitidus exhiberet. Omnibus rem mirantibus, ipsoque judice id perspiciente, et cum militum suorum turma prætereunte, stetit ille intrepidus, ut nostram Christianorum ostenderet animi alacritatem : nam, uti superius dixi, martyrii desiderio flagrabat. Itaque mœrenti similis erat, quod martyrium

[1] Luc. XII, 29, 30 et 31.

assequi non posset : Dominus autem virum conservabat ad nostram cæterorumque utilitatem; ut Asceticæ vitæ quam ex Scripturis ipse didicerat, permultis magister foret. Enim vero multi perspecto ejus vitæ instituto imitari illum studuere. Confessoribus itaque rursum de more ministrabat, et quasi vinctus cum illis fuisset, assiduum illis officiorum suorum impendebat laborem.

LXVII. Postquam autem cessavit persecutio, beatæque memoriæ Episcopus Petrus martyrio affectus est, profectus est Antonius, atque iterum secessit in Monasterium, ubi conscientiæ suæ studio quotidie martyr erat, atque fidei certaminibus dimicabat. Asceticam enim vitam ferventius iniit; jejunabat quippe quotidie, vestimento usus interno quidem cilicino, externo vero pelliceo, quod ad usque mortem servavit : neque corpus ad deponendas sordes aqua lavit, neque pedes unquam abluit, vel solum in aquam nisi postulante necessitate demersit : nec unquam exutum illum conspexit quispiam, vel nudatum corpus Antonii; nisi cum post mortem suam sepultus est.

XLVIII. Cum secederet igitur, secumque statuisset, aliquandiu nec isthinc egredi, nec apud se quempiam admittere, Martinianus quidam militum præpositus accedens molestiam Antonio creavit, filiam quippe secum habebat a dæmone vexatam : ut autem diu januam pulsando perseverabat, rogabatque ut egrederetur, Deumque rogaret pro filia sua; ille januam quidem non aperuit, prospiciens vero desuper ait : Quid tu ad me clamas? homo sum sicut tu? quod si Christo credis cui ego servio, vade, et secundum fidem tuam ora Deum, et optatum assequere. Credidit ille statim, et invocato Christi nomine abiit, filiam reducens a dæmone liberatam. Multa item alia ejus opera fecit Dominus qui ait[1] :

[1] Luc. XI, 9.

« Petite et dabitur vobis. » Plurimi namque eorum qui patiebantur, cum non aperiret ipse januam, extra Monasterium dormiebant, atque cum sincera fide orantes, mundabantur.

XLIX. Ut vidit autem a multis sibi molestiam creari, nec sibi licere pro arbitrio secedere : veritus ne ex signis quæ per se Dominus faciebat, aut ipse extolleretur, aut alius quispiam de ipso plus quam res ipsa ferret existimaret, re secum deliberata, profectus est ut se conferret in superiorem Thebaïdem, ad homines quibus esset ignotus. Acceptisque panibus a fratribus ad oram fluminis sedebat, ut observaret num qua pertransiret navicula, ut ea conscensa cum vectoribus ascenderet. Hæc illo cogitante, vox quædam desuper ad illum facta est : Antoni, quo tendis? quave de causa? Ille nihil turbatus, utpote solitus sic sæpe compellari, respondit : Quia turbæ non sinunt me quiescere, ideo me in superiorem Thebaïdem conferre decrevi, ad vitandas frequentes illas perturbationes, maximeque quod ea a me postulent quæ meam superent virtutem. Tum vox ad illum : Sive in Thebaïdem ascendas, sive, ut cogitas, ad armenta boum te conferas, duplo majorem sustinebis laborem. Quod si omnino quiescere desideras, vade nunc in interiorem solitudinem. Percontante Antonio : Quis ignotam mihi viam ostensurus est? statim illi Saracenos indicavit, eam ipsam viam ingressuros. Accessit igitur ad illos Antonius, rogavitque ut se in solitudinem una proficisci paterentur. Illi tanquam ex providentiæ jussu, libenter virum recepere : confectoque cum illis trium dierum triumque noctium itinere, ad montem pervenit admodum excelsum, ad cujus radicem aqua erat limpidissima, dulcis, valdeque frigida, et planities extra montem, paucæque palmæ incultæ,

L. Antonius itaque quasi divinitus permotus, locum illum dilexit; is enim ipse erat quem indicarat qui eum ad oram fluminis allocutus fuerat. Initio igitur acceptis panibus a viæ sociis, solus in monte remansit, nullo admisso sodali : locum enim deinceps illum, pro sua agnovit domo. Saraceni autem ipsi conspecta Antonii alacritate, de industria per eam pertransibant viam, et cum gaudio panes ad ipsum deferebant : aliquid item solatii licet modicum dabant istæ palmæ. Post hæc, ubi locum Fratres edidicere, velut filii, patris memores, ipsi transmittendum panem curarunt : sed cum videret Antonius afferendi panis causa gravari quosdam, et laborem perferre; ut Monachos illos levaret, re secum deliberata, quosdam se adeuntes rogavit ut deferrent sibi ligonem atque securem, parumque frumenti. Quibus allatis, peragrata quæ circa montem erat terra, minimum spatii repertum satui aptum, coluit : et cum irrigationi largiter aqua suppeteret, semina jecit. Quod cum quotannis præstaret, habuit inde panem; lætus, quod nulli ea de causa molestus deinde foret, et quod nemini omnino oneri esset. Sed cum deinceps adverteret quosdam ad se venire, pauca sevit olera, ut si quis adventaret, tam gravi itinere defatigatus paululum hinc recreationis perciperet. Ac initio quidem feræ solitudinis, potus causa isthuc accedentes, ejus satui et culturæ sæpius nocebant; is una placide apprehensa, omnibus ait : Quid me læditis, nihil a me læsæ? Abite, et in nomine Domini ne unquam huc appropinquate. Et ex eo tempore quasi mandatum veritæ, nunquam ad eum locum accessere.

LI. Solus itaque ipse in interiore monte degebat, precibus et Asceticæ vitæ dans operam. Fratres vero qui ad eum accedebant, rogabant ut singulis mensibus liceret sibi olivas, legumina et oleum ad ipsum deferre ; nam

senex jam erat. Eo itaque in loco degens, quantas sustinuerit pugnas, uti scriptum est, non adversus carnem et sanguinem, sed contra adversarios dæmones, ex iis qui illum adibant didicimus [1]. Illic enim tumultus audiebant, voces multas, armorumque strepitus : noctuque montem videbant feris plenum : spectabant que ipsum tanquam contra visibiles pugnantem, et adversum illos orantem. Seque adeuntibus ipse fiduciam dabat : pugnabat autem flexis genibus et Dominum precabatur. Eratque prorsus mira res, hominem solum in ejusmodi deserto, nec invadentes dæmones reformidare, neque tantam ferarum, quadrupedum, reptiliumque, quanta illic aderat, multitudinem feritatemque pertimescere. Sed revera, ut scriptum est, confidebat in Domino sicut mons Sion [2], tranquillo semper et imperturbato animo, ita ut ipsi dæmones potius aufugerent, immanesque feræ, ut scriptum est, pacem cum illo haberent [3].

LII. Et Diabolus quidem, ut canit David, observabat Antonium, et stridebat dentibus in eum [4]; Antonius vero a Salvatore consolationem accipiebat, nullo ex calliditate et dolosa vafritie illius accepto detrimento. Ipsi itaque noctu vigilanti immisit Diabolus feras, ac prope omnes quæ in illa eremo erant hyenæ, ex latibulis egressæ, medium ipsum circumdedere, singulis hianti ore morsum minitantibus. Animadversa ille inimici techna, ait illis omnibus : Si accepistis adversum me potestatem, paratus sum vorari a vobis; sin estis a dæmonibus submissæ, ne moremini, sed abscedite : Christi enim servus sum. Hæc Antonio dicente, aufugere illæ, quasi verbi flagello pulsæ.

LIII. Post paucos hinc dies, dum operaretur, (laborandi quippe cura ipsi erat) aliquis januæ se sistens,

[1] Ephes. VI, 12. — [2] Psal. CXXIV, 6. — [3] Job. V, 23. — [4] Psal. XXXIV, 16.

funiculum operis trahebat : sportas enim ille nectebat, quas se adeuntibus daret pro iis quæ sibi deferebant. Surgens vero bestiam vidit femorum tenus forma humana, crura vero pedesque habens asinis similes. Tum Antonius sese solum signo Crucis munivit; aitque : Christi servus sum : si adversum me missus es, ecce adsum. Bestia autem cum dæmonibus suis tam propere fugit, ut præ celeritate caderet et moreretur. Bestiæ autem interitus dæmonum lapsus erat. Nihil certe illi non tentarunt ut ex eremo illum abducerent, quod efficere nequiverunt.

LIV. Rogatus aliquando a Monachis, ut descenderet ad ipsos, et aliquantum temporis se suaque loca visitaret; iter cum illis ingressus est, camelo panes et aquam gestante. Nam tota ista solitudo arida est, nullaque isthic est aqua potui apta, præterquam in illo monte in quo ejus erat Monasterium, unde hauserant illi aquam. Deficiente igitur aqua in itinere, cum calor nimius esset, periculum erat omnibus. Loca enim obeuntes, nec inventa aqua, neque progredi ultra poterant, sed humi jacebant, animumque despondentes, camelum siverunt quoquo vellet abire. Senex videns periclitari omnes, admodum mœstus atque ingemiscens, parumque ab illis digressus, flexis genibus extensisque manibus orabat, statimque effecit Dominus, ut quo loco ipse orabat, aqua scaturiret. Tum bibentes omnes sese recrearunt, impletisque utribus, camelum perquirebant, atque invenere: contigit enim ut funiculus lapidi circumvolutus eum detineret. Illo potatum adducto, atque impositis utribus, perrexerunt incolumes. Ut autem ad exteriora venit Monasteria, quasi Patrem suum vidissent, omnes amplexati sunt. Ipse vero ceu viaticum ex monte detulisset, verbis suis illos quasi xeniis donabat, utiliaque impertiebat. Gau-

diumque denuo in montibus erat, studium profectus, atque consolatio, ob fidem quam in se mutuo conspiciebant. Lætabatur ipse quoque conspecta Monachorum alacritate, Sororemque videns in virginitate consenuisse, aliarumque virginum esse præpositam.

LV. Elapsis quibusdam diebus, in montem remigravit : ac demum multi ad eum accessere, ausique sunt alii infirmitatibus afflicti illum adire. Omnibus ergo se convenientibus Monachis, hoc frequenter mandatum tradebat : ut in Dominum crederent, ipsum diligerent, custodirentque se ab obscœnis cogitationibus sordidisque voluptatibus[1] : et, ut in Proverbiis scriptum est, ventris saturitate ne deciperentur : inanem fugerent gloriam, frequenter orarent, psallerent ante et post somnum, mandata Scripturarum mente revolverent, atque memores essent rerum a sanctis viris gestarum, ut anima ex divinis præceptis admonita, sese ad illorum zelum conformaret. Suadebat in primis Apostoli dictum frequenter meditari : « Sol non » occidat super iracundiam vestram[2] : » idque de omnibus præceptis una dictum arbitrari, nec super iracundiam solum, sed nec super aliud quodvis peccatum nostrum, sol occidat. Par quippe est et omnino e re nostra, nec solem ob diurnam malitiam, nec lunam ob nocturnum peccatum, vel malam cogitationem, nos condemnare. Ut gitur in tuto sit probitas nostra, operæ pretium fuerit dictum Apostoli auscultare atque custodire : ait enim : « Vos ipsos dijudicate, et vos ipsos probate[3]. » Quotidie itaque de diurnis nocturnisque actibus rationem quisque apud se ineat : et si peccaverit, desinat; si non peccaverit, ne glorietur : sed in bono perseveret, nec negligenter agat, neve proximum damnet, vel seipsum justum prædicet, ut ait beatus Apostolus Paulus, donec vene-

[1] Prov. XXIV, 15. — [2] Ephes. IV, 26. — [3] 2 Cor. XIII, 5.

rit Dominus, qui abscondita scrutatur [1]. Sæpe etenim accidit ut nobis lateant quæ agimus, quæ nos quidem ignoramus, sed Dominus novit omnia. Judicio igitur illi permisso, de aliorum malis mutuo doleamus, et alter alterius onera portemus, nosmetipsos dijudicemus; si quid desit, id supplere nitamur [2]. Ad cavenda autem peccata id observetur : opera quisque nostrum sua, et motus animi, tanquam aliis nuntiaturus, notet conscribatque : atque confidite futurum esse, ut, cum nos pudeat ab aliis cognosci, peccandi prorsus, immo quid pravum cogitandi, finem faciamus. Quis est enim qui dum peccat videri velit? aut quis post peccatum admissum, non mentitur latendi causa? Sicut itaque in aliorum conspectu nunquam scortabimur; ita si cogitationes, ut aliis nuntiaturi, perscribamus; nobis potius ab obscœnis cogitationibus cavebimus, ob revelandi pudorem. Perinde itaque nobis ejusmodi scriptum sit, atque Ascetarum oculi : ut æque scriptionem ac aliorum conspectum erubescentes, prava ne cogitemus quidem. Hæc si nobis forma vivendi sit, corpus subigere valebimus, Domino placere, atque insidias inimici calcare.

LVI. Hæc se adeuntibus tradidit præcepta. Afflictorumque vicem dolebat et una cum illis precabatur; ac sæpe in multisque exauditus a Domino fuit : nec tamen ille ea de causa gloriabatur, nec si non exaudiretur murmurabat : sed semper gratiis Domino actis, afflictis auctor erat, ut bono essent animo, nossentque nec sibi nec cuiquam hominum inesse medendi facultatem, sed soli Deo, qui, quo tempore quibusque libet, beneficia impertit. Quæ verba ægris medelæ loco erant : qui Senis eruditi sermonibus, ediscebant non animum despondere, sed

[1] 1 Cor. IV, 5; Rom. II, 16. — [2] Galat. VI, 2.

alacriter potius tolerare : et qui curabantur, non Antonio, sed Deo soli gratias agere.

LVII. Quidam certe vir nomine Fronto, Palatinus, cum gravi morbo laboraret, linguam quippe suam dentibus laniabat, et oculis periclitabatur, ad montem progressus, rogabat Antonium, ut sui gratia precaretur. Precatus ille, Frontoni dicebat : Abi, sanaberis. Renitente illo, atque aliquot ibi dies commorante, instat Antonius : Hic si remaneas sanari non poteris. Vade, atque ubi in Ægyptum perveneris, signum in te factum conspicies. Credidit ille, abiitque : et conspecta solum Ægypto, liberatus morbo est, atque sanatus juxta Antonii dictum, quod oranti illi Salvator revelaverat.

LVIII. Virgo item quædam ex Busiride Tripolitana, gravi turpissimoque tenebatur morbo. Lacrymæ quippe ejus, mucus, auriumque humor in terram delapsus, in vermes statim vertebantur ; erat præter hæc paralytica, oculosque habebat contra quam natura ferret. Hujus parentes, cum didicissent proficisci Monachos ad Antonium, habentes in Domino fidem, qui sanguinis fluxu afflictam mulierem sanaverat, rogarunt, ut se una cum filia itineris comites admitterent[1]. Quibus abnuentibus, parentes cum filia extra montem remansere apud Paphnutium Confessorem et Monachum. Monachos vero ad Antonium ingressos, nuntiaturosque de Virgine, prævenit ipse, narravitque morbum puellæ, et quod una cum illis iter fecisset. Rogantibus dehinc Monachis, ut illis etiam ingrediendi facultas esset : abnuit ipse ; sed, Abite, ait, et invenietis illam, nisi mortua sit, sanatam. Mihi enim non convenit hujusmodi opus, ut me miserum hominem illa adeat. Sed Salvatoris est medela, qui in omni loco misericordiam facit iis qui invocant illum. Ipsi certe

[1] Matth. IX, 20.

precanti annuit Dominus : mihique declaravit pro sua clementia, se puellam, quo loco jam versatur, curaturum. Editum itaque est hoc miraculum, nam egressi illi, lætos offenderunt parentes, puellamque sanatam.

LIX. Cum duo fratres accederent, et aqua in via defecisset, obiit alter, alter vero moriturus erat : cumque non valeret ultra progredi, humi jacens mortem expectabat. Antonius in monte sedens compellatis duobus Monachis, qui casu tum aderant, urgens ait : Lagenam aquæ sumite, atque cursu viam Ægypti capessite : cum enim duo accederent, alter jamjam extinctus, alter moriturus est, nisi properetis. Oranti quippe mihi hoc nunc revelatum est. Profecti Monachi, alterum mortuum repererunt, atque humarunt, alterum aqua recrearunt, ad senemque adduxerunt; unius namque diei erat spatium. Quod si quis quærat, cur non ante extinctum alium hoc dixerit : is non recte interrogaverit. Namque mortis judicium, non Antonii, sed Dei erat, qui de illo ita decrevit, de hoc revelavit. Id solum in Antonio admiratione dignum est, quod sedens in monte, vigili corde esset, eique Dominus ea quæ procul fierent, revelaret.

LX. Nam iterum in monte cum sederet, sublatis oculis, vidit in aëre quemdam efferri, et magnum eorum gaudium qui ipsi irent obviam. Admiratus ille, atque ejusmodi cœtum beatum prædicans, rogabat, ut quid illud esset, edisceret. Voxque statim ad illum facta est, esse Amunis in Nitria Monachi animam. Is ad obitum usque in Ascetæ statu perseverarat. Atque a Nitria distat mons in quo erat Antonius, tredecim dierum itineris intervallo. Qui cum Antonio erant, cernentes admirantem Senem, rogabant quid id esset, audiereque : Jam obiit Amun. Erat quippe notus, quod frequens isthuc se conferret, multaque per eum ederentur signa : quorum

unum hoc est. Cum trajiciendus sibi esset Lycus fluvius, quo tempore exundabant aquæ, rogavit Theodorum socium ut procul secederet, ne sese nudos aspicerent in tranando aquam. Abscedente Theodoro, etiam tum puduit sese nudatum videre. Dum pudore, et sollicitudine agitaretur, illico in ripam transfertur alteram. Theodorus itaque, pius et ipse vir, ut reversus vidit illum antevertisse; neque prorsus aqua madidum esse, rogabat, quo ille modo transmeasset. Quem abnuentem dicere ut vidit, apprehensis ejus pedibus, affirmabat se non ante dimissurum, quam edisceret ab illo. Animadversa Amun Theodori contentione, in eo maxime quod dicebat; vicissim postulavit, nemini ut rem aperiret ipse usque ad mortem ejus : et tunc narravit, gestatum se, atque trans fluvium positum fuisse, nec vel minimum in aquis deambulasse : neque prorsus id ab hominibus, nec nisi a Domino fieri posse, et quibus ipse concederet, ut olim magno Apostolo Petro[1]. Theodorus itaque rem ejusmodi narravit post mortem Amunis. Monachi porro quibus mortem Amunis renuntiaverat Antonius, observato die, advenientes post dies triginta ex Nitria Fratres interrogarunt, atque compererunt ea ipsa die et hora obiisse Amunem, qua ejus animam sursum ferri Senex viderat. Ac utrique puritatem animæ Antonii summopere mirati sunt, qui a triginta dierum itineris intervallo, statim rem didicerat, animamque sursum ferri conspexerat.

LXI. Archelaüs etiam Comes, cum offendisset illum in exteriore Monte, rogavit ut solum precaretur Deum pro Polycratia Laodiceæ Virgine admiranda, atque Christifera; quæ vehemente stomachi laterisque dolore premebatur ob nimiam exercitationis contentionem, atque toto erat corpore infirma. Oravit Antonius, observavitque

[1] Matth. XIV, 28.

Comes qua ille orasset die : ac Laodiceam profectus, sanam reperit Virginem. Sciscitatusque quando et quanam die fuisset morbo levata, chartam protulit in qua orationis tempus conscripserat. Cumque rem comperisset, ostendit statim rem in charta descriptam : miratique sunt omnes, eodem illam tempore doloribus levasse Dominum, quo pro ipsa Antonius oraret, Salvatorisque clementiam ejus gratia obsecraret.

LXII. Sæpenumero aliquot ante dies, immo nonnunquam ante mensem, prædixit quinam adventuri essent, et qua de causa. Et alii quidem ejus solum videndi desiderio accedebant : alii infirmitatis causa, alii quod a dæmonibus vexarentur. Nemoque gravabatur, aut durum æstimabat itineris laborem : percepta quippe utilitate quisque remigrabat. Rogabatque ille ut nemo se pro his dictis factisque miraretur, sed potius Dominum, qui nobis hominibus suæ pro facultate nostra cognitionis gratiam impertiret.

LXIII. Cum iterum descendisset aliquando ad exteriora Monasteria, rogatus ut in naviculam conscenderet, et oraret cum Monachis, molestissimum solus fœtorem percepit. Cumque vectores dicerent, piscem esse et salsamentum in navicula, unde fœtor talis oriretur, aliud ille esse affirmabat : ipsoque adhuc loquente adolescens quidam dæmonem habens, qui prævertens alios in navi sese occultarat derepente exclamat. Increpatus dæmon in nomine Domini Jesu Christi; exiit : sanusque fuit homo. Tum compertum omnibus fuit, ex dæmone fœtorem provenisse.

LXIV. Alius item illustris homo a dæmone vexatus ipsum adiit : et tam furiosus erat dæmon ille, ut ignarus esset se ad Antonium adduci; immo sui corporis comederet excrementa. Rogabant itaque qui ipsum aduxerant,

Antonium, ut oraret pro illo. Antonius adolescentem miseratus, precabatur, totamque noctem cum eo duxit insomnem. Juvenisque circa auroræ tempus de repente in Antonium irruens, impulit eum. Quod cum indigne ferrent comites ejus, Ne succenseatis, ait Antonius, adolescenti : neque enim illud agit ipse, sed qui in ipso est dæmon. Increpatus autem dæmon, atque jussus in loca arida aufugere, id, furore percitus, aggressus est. Domino itaque gloriam referte. Nam quod ille sic impetum in me fecerit, dæmonis exitus signum vobis fuit. Hæc loquente Antonio, statim sanatus est juvenis : atque ad sanam rediens mentem, agnovit quo esset loco, senemque amplexatus est gratias agens Deo.

LXV. Alia his similia permulta edidisse Antonium signa, plurimi Monachorum summo consensu narrarunt. Neque tamen tanta sunt admiratione digna, quanta alia nonnulla videntur. Cum aliquando comesturus esset, ubi oraturus surrexisset circa nonam horam, sese mente abripi sensit, quodque prorsus stupendum est, cum staret, sese vidit tanquam extra se positum, et per aërem a quibusdam abductum. Exinde terribiles tetrosque nonnullos vidit in aëre stantes, qui transitum ejus intercludere volebant. Obsistentibus iis qui illum adducebant, postulare illi num obnoxius ipsis esset : cumque rationes ab ejus nativitate exposcerent, id Antonii duces prohibuere, aiebantque : Culpas ejus omnes a nativitate delevit Dominus : ex quo autem tempore Monachus effectus est, et sese Deo consecravit, liceat rationes ducere. Cum igitur accusarent, nec probare possent, libera illi ac minime interclusa via fuit : statimque seipsum quasi reversum vidit, et intra se stantem atque omnino Antonium ut ante. Tunc cibi sumendi immemor, residuum illius diei, atque totam noctem gemendo precandoque transegit. Obstupefac-

tus enim erat, cum videret quot nobis essent adversarii, quantisque laboribus aër iste pertransitur. Recordatusque est idipsum esse quod ait Apostolus : « secundum Princi- » pem potestatis aëris[1]. » Hæc enim est inimici potestas, pugnare scilicet, atque pro virili viam transeuntibus intercludere. Quapropter hortabatur : « Accipite armatu- » ram Dei, ut possitis resistere in die malo[2]; » ut inimicus « nihil habens malum dicere de nobis, confunda- » tur[3]. » Nos autem qui ista didicimus memores simus Apostoli hæc loquentis : « Sive in corpore, nescio : sive » extra corpus, nescio : Deus scit[4]. » Sed Paulus usque ad tertium cœlum raptus est, et cum audisset « arcana » verba, » descendit : Antonius vero usque ad aërem sese pervenisse vidit, atque concertasse donec liber evaderet.

LXVI. Hoc item gratiæ dono præditus fuit. Sedens quippe solus in monte, si qua de re unquam apud se dubitaret, id illi in oratione a providentia revelabatur[5]. Eratque, uti scriptum est, a Deo doctus beatus ille[6]. Post hæc igitur, habita cum quibusdam se adeuntibus disputatione de animæ statu atque loco post mortem; insequente nocte compellat quis eum desuper aiens : Antoni, surge, egredere, atque vide. Egressus igitur (norat quippe quibus obsequendum esset) sublatisque oculis, vidit procerum quemdam deformem ac terribilem, stantem, atque nubes attingentem, et quosdam ceu alatos ascendere, illumque manus extendere, atque alios quidem impediri ab illo, alios superius volare, et ubi pertransierant, absque cura et periculo sursum ferri. Quorum causa procerus ille dentibus stridebat : de collapsis autem lætabatur. Statimque Antonius vocem audivit. Intellige quod vidisti. Et aperta ipsi mente, cogitabat animarum id esse transitum, et stan-

[1] Ephes. II, 2. — [2] Ephes. VI, 13. — [3] Tit. II, 8. — [4] 2 Cor. XII, 2. — [5] Isai. LIV, 13. — [6] Joan. VI, 45.

tem illum procerum, esse inimicum qui credentibus invideret, sibique obnoxios apprehenderet, tansituque arceret: eosque qui non sibi morem gererent, retinere non posset, utpote supergressos. Hæc cum vidisset, quasi commonefactus, id magis magisque contendebat, ut quotidie ad ea quæ ante se essent progrederetur. Hæc autem invitus ille renuntiavit: sed cum in orationibus diutius immoraretur, et hæc miraretur intra se, sciscitantibus iis qui aderant, atque molestiam ingerentibus, coactus est id declarare, quasi Pater, qui filiis id celare non posset: ratus etiam, suam sibi conscientiam puram esse, narrationemque illis perutilem fore; cum discerent, quam bonus esset Asceticæ vitæ fructus, laborumque sæpe solatium visiones esse.

LXVII. Ad hæc patientissimus erat, animoque humili: cum talis enim esset, Ecclesiæ canonem supra modum observabat. Omnem Clericum honore sibi præire volebat. Non verebatur enim Episcopis Presbyterisque inclinare caput. Diaconus vero si utilitatis gratia accederet, quæ utilia essent ille loquebatur, quæ orationem vero spectant, ipsis cedebat. Neque verebatur ipse ab aliis ediscere: nam plerumque sciscitabatur, præsentesque audire rogabat, et si quidpiam quis utile proferret, utilitati sibi fuisse fatebatur. Magna mirabilisque vultui ejus inerat gratia. Illudque præterea donum a Salvatore consecutus erat, ut si, dum in Monachorum cœtu adesset, aliquis eum sibi antea ignotum videre vellet, statim accedens prætergressus alios, ad eum accurreret, illius quasi aspectu attractus. Neque tamen statura, aut latitudine aliis præstabat, sed morum compositione, atque animæ puritate: namque cum imperturbatam gereret mentem, tranquillos item habuit externos sensus; ita ut ex animi lætitia, vultus hilaritas proveniret, et ex corporis motibus, animæ status

sentiretur, juxta Scripturam : « Corde lætante floret vul-
» tus : dum autem in mœrore est, dejicitur[1]. » Sic Jacob agnovit Laban insidias parare, aitque uxoribus : « Non » est facies Patris vestri sicut heri et nudius tertius[2] : » Sic Davidem agnovit Samuël; pulchros quippe habebat oculos, dentes tanquam lac candidos. Eo ipso modo dignoscebatur Antonius : præ mentis enim serenitate nunquam perturbabatur : ac præ animi lætitia, nunquam tristi erat vultu.

LXVIII. Eratque prorsus admirabili fide et pietate. Cum Meletianis quippe schismaticis, nunquam communicavit : compertam habens eorum ab initio malitiam atque defectionem. Nec cum Manichæis unquam, aut aliis quibuslibet hæreticis, amice collocutus est, nisi admonendi causa, ut mutata sententia piam sectarentur fidem : ratus, eorum amicitiam et colloquia, animi damnum atque perniciem esse, quod item alios monebat. Sic etiam Arianorum hæresin execrabatur, omnibusque auctor erat, ut ne vel ad eos accederent, vel pravam eorum sectarentur fidem. Adeuntes se aliquando quosdam Ariomanitarum, explorata et cognita eorum impietate, ex monte repulit, aiens serpentum veneno pejores eorum esse sermones.

LXIX. Cum aliquando mentiti Ariani dicerent secum sentire Antonium, rem indigne tulit, graviterque iis succensebat. Hortantibus deinde Episcopis et fratribus omnibus, descendit de monte, atque ingressus Alexandriam, Arianos publico sermone condemnavit : aiens postremam omnium esse eam hæresin et Antichristi prodromum. Docebatque populum, Filium Dei non esse creaturam, neque ex non extantibus factum esse ; sed æternum esse Patris substantiæ Verbum et Sapientiam. Unde impium

[1] Prov. xv, 13. — [2] Gen. xxxi, 5.

est dicere : Erat cum non esset. Erat quippe semper Verbum una cum Patre existens : quare nullam cum impiissimis Arianis habete communionem : « Nulla enim com» municatio luci ad tenebras[1]. » Vos quippe pie sentientes Christiani estis : illi autem cum dicant eum qui ex Patre est Filium Dei et Verbum, esse creaturam, nihil differunt ab Ethnicis qui creaturæ serviunt potius quam Creatori Deo[2]. Credite autem creaturam omnem adversus eos indignari : quod Creatorem Dominumque universi, in quo omnia facta sunt, hunc, inquam, factis rebus annumerent.

LXX. Lætabatur porro populus omnis, audiens a tanto viro anathemate damnatam Christo inimicam hæresim. Civesque omnes videndi Antonii desiderio accurrebant. Gentiles ipsi, immo eorum Sacerdotes, ut vocant, ad Dominicum accedentes, aiebant : Rogamus ut hominem Dei videre nobis liceat : omnes quippe ita eum appellabant. Ea item in urbe multos ejus opera mundavit Dominus a dæmonibus : alios mente captos liberavit. Multi item ex Gentilibus rogabant ut saltem possent Senem contingere, id sibi profuturum credentes. Ex illis certe tot, paucis istis diebus, Christiani effecti sunt, quot alias per annum visi fuerint. Exinde cum nonnulli rati eum tanta multitudine turbari, ab illo omnes abigerent : nihil ille turbatus ait, nequaquam plures illos esse iis, quibuscum in Monte pugnaret, dæmonibus.

LXXI Cum proficisceretur autem, illumque nos honoris causa comitaremur ; ut ad portam pervenimus, retro mulier clamabat : Maneto, homo Dei, filia mea graviter a dæmone vexatur : maneto, quæso, ne mihi quoque currenti sit periculum. Tum his Senex auditis, nobisque rogantibus, libens substitit. Ut appropinquavit mulier,

[1] 2 Cor. vi, 14. — [2] Rom. i, 25.

puella humi jactata est : Antonio autem precante, atque Christum nominante, puella, egresso impuro spiritu, sana surrexit. Tum Mater Deo benedixit : cunctique gratias egere. Gaudebatque illa, dum in Montem, quasi in propriam sibi domum, remigraret.

LXXII. Prudentia erat singulari : quodque mirum, tametsi litteras non didicerat, acri tamen et sagaci erat ingenio. Aliquando ad eum accessere duo Græci Philosophi, rati se Antonii posse periculum facere : qui tum erat in exteriore Monte. Agnitisque ex vultu viris, illisque occurrens, per interpretem ait : Quid tantum suscepistis laborem, o Philosophi, ut stultum hominem conveniretis? Respondentibus illis : Nequaquam stultum ipsum esse, sed perquam prudentem, dixit : Si stultum adiistis hominem, illud certe inani labore : sin me prudentem arbitramini, mihi estote similes, cum quæ bona sunt imitari par sit. Nam si ergo vos adiissem, vos imitaturus eram : cum autem ad me vos accesseritis, mei similes efficiamini : Christianus quippe sum. Admirati illi abscessere : nam præter hæc viderant dæmones Antonium reformidare.

LXXIII. Aliis rursum his similibus se in exteriori Monte adeuntibus, illudendi, ut sperabant, causa, quod litterarum esset imperitus : interrogavit eos Antonius : Quid vos dicitis? Quidnam prius est, mens an litteræ, et quid horum alterius causa est, mensne litterarum, an litteræ mentis? Qui cum mentem dicerent priorem et litterarum inventricem, ait Antonius : Cui ergo sana mens est, huic non necessariæ litteræ. Quo sermone tam qui aderant alii, quam isti, obstupuere. Abcesserunt igitur illi mirati tantam in idiota homine sapientiam : licet enim in monte enutritus, ibi consenuisset, nequaquam agrestis erat moribus, sed comis urbanusque. Divinoque

sale conditus sdrmo illius fuit; ita ut nemo invideret ipsi, sed lætarentur potius universi qui ad eum accederent.

LXXIV. Enimvero accedentibus iterum quibusdam ex iis qui apud Græcos sapientes videntur, rationemque reposcentibus de fide nostra in Christum, nitentibusque argute de divinæ crucis prædicatione, ridendi causa disputare; paululum moratus Antonius, illorumque ignorantiam prius miseratus, per peritissimum interpretem hæc locutus est. Quid præstabilius est, Crucemne confiteri, an adulteria, præposteramque libidinem, diis (ut vocatis) ascribere? Quod nos loquimur, fortitudinis est argumentum, certumque contemptæ mortis indicium : vestra autem, sunt lasciviæ morbi. Deinde quid præstat : Verbumne Dei dicere non mutatum esse; sed idem ipsum existens, pro salute et bono hominum corpus assumpsisse humanum, ut humanæ particeps originis, divinæ homines ac spiritualis naturæ participes redderet; an divinum numen brutis animantibus assimilare, ac propterea quadrupedes, serpentes, hominumque imagines colere? Ea enim vestrum sapientum sunt numina? Quomodo igitur audetis nos irridere, qui Christum dicimus hominem factum apparuisse cum vos ex cœlo animam detrahentes, eam dicatis errasse, et ex cœlorum fornice delapsam esse in corpus? atque utinam in humanum duntaxat, et non in quadrupedes quoque et in serpentes transiret, decideretque. Nostra quippe fides, in salutem hominum fuisse Christi adventum affirmat. Vos autem erratis cum de nongenita anima verba facitis. Nos possibilia, et quæ in beneficentissimam erga homines providentiam cadunt, sentimus, nam id impossibile Deo nequaquam est; vos imaginem mentis animam dicendo, lapsus ei adscribitis, mutationique obnoxiam fabulamini, ipsamque demum mentem propter animam, mutabilem inducitis. Qualis

enim imago, talis sit oportet is cujus imago est. Cum porro de mente talia existimatis, advertite vos in mentis patrem blasphemare.

LXXV. Crucem vero quod spectat, quid præstabilius dixeritis, improborum hominum insidiis crucem tolerare, et qualecumque mortis genus non reformidare; an errores Osiridis et Isidis, insidias Typhonis, Saturni fugam, liberorum devorationes et parricidia fabulose narrare? Hæc quippe vestra est sapientia. Cur vero in Crucem cachinnantes, Resurrectionem non miramini? Qui enim hanc rem, hi ipsi illam conscripsere. Aut cur facta Crucis mentione, suscitatos mortuos siletis, necnon cæcos visum consecutos, sanatos paralyticos, mundatos leprosos, incessum supra mare, aliaque signa et prodigia, quæ Christum non hominem tantum, sed Deum demonstrant? Multum videmini mihi vobis ipsis iniqui, nec sincero animo Scripturas legisse nostras. Sed legitote, et advertite quæ Christus egit, Deum ipsum pro salute hominum advenientem, comprobare.

LXXVI. Jam quæ ad vos attinent loquimini. Quid de brutis dixeritis: nisi feritatem et immanitatem? Quod si, ut audio, hæc fabulose a vobis dicta contenditis, et per Proserpinæ raptum, figurare terram significatis; per Vulcani claudicationem, ignem; per Junonem, aërem; per Apollinem, solem; per Dianam, lunam; per Neptunum, mare; nihilo magis ipsum Deum colitis, sed creatis rebus servitis potius quam omnium creatori Deo. Quod si hæc ob creatorum pulchritudinem commenti estis: satis erat ea mirari, nec opificia pro diis habere; ne creatoris honorem factis rebus ascriberetis. Alioqui restat ut architecti honorem ad domum ab illo structam transferatis, aut ducis ad militem. Quid ad hæc igitur, ut sciamus num quid risu dignum Crux habeat?

LXXVII. Hæsitantibus illis, atque huc illucque sese convertentibus, subridens Antonius per interpretem rursum ait : Hæc primo aspectu ita se habere coarguuntur. Cæterum quia argumentis potius nitimini, et hac estis instructi arte, neque nos vultis absque probationibus Deum colere ; vos primum dicite, Rerum et potissimum Dei cognitio qua ratione accurate percipitur, ratiociniorum demonstratione, an fidei operatione ? aut quid antiquius, fides quæ per operationem habetur, an argumentis facta demonstratio ? Illis reponentibus, antiquiorem esse fidem quæ per operationem habetur, esseque illam accuratam cognitionem : ait Antonius : Recte dixistis : nam fides ex animæ affectu oritur ; Dialectica vero auctorum suorum arte constituta est. Itaque quibus adest operatio illa per fidem, illis minime necessaria, immo forte supervacanea est demonstratio argumentis facta. Siquidem quod nos fide intelligimus, id vos argumentis concludere nitimini : immo sæpe quæ nos intelligimus, ne exprimere quidem potestis. Præstantior itaque et firmior est operatio per fidem, sophisticis vestris argumentis.

LXXVIII. Nos certe Christiani, non in sapientia rationum Græcarum, mysterium habemus ; sed in virtute fidei quæ a Deo nobis per Jesum Christum suppediatur [1]. Quod autem vera sint quæ loquor, hinc comprobatur, quod nos, licet litterarum ignari. credimus in Deum, ac per ejus opera, ipsius in omnia providentiam novimus. Quod autem efficax sit fides nostra, hinc ostenditur, quod nobis fide in Christum innixis, vobis vero sophisticis disceptationibus, vestra quidem idolorum portenta abolentur ; nostra vero fides ubique propagatur. Vos argumentis et sophismatibus neminem Christianorum ad paganismum traducitis ; nos fidem erga Christum docentes, ves-

[1] 1 Cor. 1, 3.

tram minuimus superstitionem, agnoscentibus omnibus, Christum Deum esse et Dei filium. Vos eloquentia vestra, Christi doctrinam minime impeditis : nos Christum crucifixum nominantes, omnes fugamus dæmones, quos ut Deos timetis. Et ubi signum Crucis formatur, magica ars vires amittit, atque veneficia nihil virtutis habent.

LXXIX. Dicite ergo, ubinam sunt oracula vestra? ubi Ægyptiorum incantationes? ubi magorum phantasiæ? quandonam hæc omnia cessavere, viresque amisere, nisi Christi cruce apparente? Num risu dignus ille est, an potius quæ ab ipso abolita, et imbecillitatis convicta sunt? Etenim hoc quoque est admiratione dignum : nemo unquam vestra persecutus est, immo per urbes ab hominibus illa honorantur : Christiani vero persecutionibus vexantur, et tamen nostra plus quam vestra florent augenturque. Vestra, celebrata et laudata, labefactantur : Christi vero fides et doctrina quam vos irridetis, ab Imperatoribus plerumque passa persecutionem, replevit orbem terrarum. Quandonam Dei cognitio ita refulsit? quando temperantia et virginitatis virtus apparuit? quando mors despectui habita est, nisi cum Christi crux exorta est? Nemo hac de re ambigit, cum Martyres cernit propter Christum mortem despicientes : videtque Ecclesiæ Virgines propter Christum corpora pura et incorrupta servare.

LXXX. Hæc sane argumenta satis sunt ad probandum Christianam fidem solam esse veram religionem. Certe vos jam fidem nullam habetis, dum argumenta perquiritis. Nos quidem « non in persuasibilibus » Græcæ « sapientiæ verbis[1], » ut noster ait Doctor, argumenta proferimus; sed fide suademus, quæ verborum antevertit apparatum. Ecce hic quidam adsunt a dæmonibus ve-

[1] 1 Cor. II, 4.

xati : accesseraut quippe ad eum quidam dæmoniaci, quos in medium adducens ait : Aut vestris argumentis, aut qua volueritis arte, immo si lubet magica, vestra invocantes idola, hos mundate : sin non valetis, nobiscum pugnandi fidem facite, videbitisque virtutem Crucis Christi. His dictis, Christum invocavit, et dæmoniacos bis terque sigillo Crucis signavit. Moxque steterunt homines incolumes, mentisque compotes, gratiasque agentes Domino. Tum Philosophi (ut vocabantur) admirati, atque viri prudentia necnon edito signo stupefacti sunt. Antonius vero ait : Cur miramini? non nos hæc agimus, sed Christus, per eos qui in se credunt, hæc operatur. Credite itaque vos ipsi, videbitisque nostra non verborum artificium esse, sed fidem quæ per dilectionem in Christum operatur : quam si nacti fueritis, non ulterius argumenta verborum perquiretis; sed fidem in Christum sufficere vobis existimabitis. Hactenus Antonii verba. Illi hoc quoque admirati, Senemque amplexati, discessere : seque ex eo utilitatem cœpisse fassi sunt.

LXXXI. Porro Antonii fama ad Imperatores usque pervenit. Hæc enim cum didicisset Constantinus Augustus, itemque filii ejus Constantius et Constans Augusti, illi tanquam patri scripsere, litteras mutuo ab illo accipere peroptantes. At ille nequaquam magni faciebat eas litteras : nec his acceptis epistolis gavisus est : sed talis erat, qualis ante scriptas illas ab Imperatoribus. Cum deferrentur autem hujusmodi litteræ, accitis Monachis, aiebat : Ne miremini si ad nos scribat Imperator, homo cum sit; sed miramini potius quod legem hominibus scripserit Deus, et per proprium Filium, nobiscum locutus sit [1]. Et vero nolebat litteras illas accipere, aiens. se nescire ejusmodi litteris rescribere. Sed hortantibus Mo-

[1] Hebr. 1, 2.

nachis, aientibusque Christianos esse Imperatores, periculumque fore ne se ita sperni indigne ferrent, concessit ut eæ legerentur : atque rescripsit, laudans ipsos quod Christum adorarent : dabatque monita salutem spectantia : monebat item ne præsentia magni facerent; sed potius diei judicii recordarentur, scirentque Christum solum et æternum esse Imperatorem. Rogabat, ut humanitati studerent, ac curam justitiæ pauperumque gererent. Quibus illi acceptis, lætabantur. Sic acceptus omnibus carusque fuit, eumque omnes patrem sibi esse rogabant.

LXXXII. Ita notus cum esset, ac cum se adeuntibus ita respondisset, ad interiorem rursus Montem se contulit : atque pro more asceticam coluit vitam. Sæpe cum sederet una cum iis qui advenerant, itemque cum deambularet, obmutescebat, uti de Daniele scriptum est. Elapsaque hora, cum præsentibus fratribus consequenter colloquia resumebat [1] : sentiebantque illi, aliqua illum visione occupatum esse. Plerumque enim in monte cum esset, quæ in Ægypto fierent videbat, et Sarapioni narrabat Episcopo : qui cum adesset, Antonium cernebat visioni occupatum. Aliquando igitur cum sedens operaretur, quasi extra se raptus est, multumque in contemplatione ingemebat, atque contremiscens precabatur, flexisque genibus, ita diu moratus est. Surgensque senex flebat. Tum tremefacti omnes qui aderant, et admodum perterriti, quid illud esset sciscitabantur, multumque urgebant, donec coactus rem aperiret cum magnis gemitibus. O filii, aiens, præstaret sane mori, potius quam quæ a me visa sunt fierent. Rogantibus iterum illis, collacrymans dixit : Ecclesiam ira divina invasura est, traderturque illa hominibus qui jumentis insipientibus similes

[1] Dan. IV,

erunt. Vidi quippe mensam Dominici mulis undique circumsessam, qui ejus interiora ita calcibus petebant, quasi confuse subsultantium jumentorum calcitratus fierent. Sentistis plane quantum suspiravi : audivi quippe vocem dicentem : Altare meum polluetur. Hæc Senex vidit : et post biennium contigit ea quæ nuper fuit Arianorum irruptio, Ecclesiarumque direptio : cum (sacra) vasa vi abrepta, Ethnicis asportanda tradidere : quo tempore ex officinis Ethnicos suis interesse synaxibus coegerunt, iisque præsentibus, quæ libuit in sacra mensa perpetrarunt. Tum novimus omnes, mulorum calcitratus ea Antonio prænuntiasse, quæ jam Ariani quasi bruta jumenta perpetrant. Post visionem autem, eos qui secum erant consolatus est. Ne animo concidatis, aiens, filii; ut enim iratus est Dominus, sic denuo medelam adhibebit, et cito pristinum Ecclesia ornatum recuperabit, fulgebitque de more : pulsos restitui cernetis, impietatem ad latibula secedere sua, piamque fidem libere omnino ac fidenter agere ubique : solum ne cum Arianis vos polluatis. Nequaquam enim Apostolorum est ejusmodi doctrina, sed dæmonum, patrisque ipsorum Diaboli, potiusque illa ortus, atque rationis expers est, et non sanæ mentis, ut multi ratione carentes.

LXXXIII. Hactenus Antonii gesta. Non decet autem nos fidem derogare tot tantisque ab uno homine editis miraculis. Hæc enim Salvatoris est promissio, qui ait : « Si habueritis fidem, ut granum sinapis, dicetis huic » monti, hinc transmigra, et transmigrabit : et nihil » impossibile erit vobis [1]. » Et rursum, « Amen amen » dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, » dabit vobis. Petite, et accipietis [2] : » ipse quippe Discipulis omnibusque in se credentibus ait : « Infirmos

[1] Matth. XVII, 19. — [2] Joan. XVI, 23.

» curate : dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis » date [1]. »

LXXXIV. Non jussu itaque sanabat Antonius, sed orando, Christumque nominando; ita ut palam esset non ipsum ea edere, sed Dominum, Antonii ministerio beneficia et curationem patientibus impertire; ita ut Antonii esset oratio tantum et ascetica vita, cujus ope cum in Monte sederet, divinarum rerum contemplatione gaudebat : sed dolebat cum a multis vexaretur, atque ad exteriorem pertraheretur montem. Judices namque omnes rogabant illum ut e Monte descenderet, quod nequaquam sibi liceret ob reos qui secum erant et sequebantur, ad Montem ingredi. Postulabant tamen ut accederet, ejusque solum aspectu fruerentur, quam rem cum aversaretur ille, abnuebat egredi. Instare illi, ac sub militum custodia reos ad illum mittere; ut illorum saltem causa descenderet. Necessitate igitur coactus, illosque cernens collacrymantes, in exteriorem se contulit Montem : quæ illius defatigatio haud inutilis fuit : multis enim commoda, multis beneficia contulit adventus ejus. Judicibusque ipsis emolumento erat : quos hortabatur ut jus et æquum omnibus anteferrent, Deum timerent, nossentque, quo judicio judicarent eodem sese judicandos [2]. Nullus ei locus æque carus fuit atque Mons ille.

LXXXV. Cum aliquando ita vi compulsus ab iis quibus ex usu id erat, Duceque rogante ipsum ut descenderet, venisset, paucis eum allocutus verbis, quæ tum salutem ejus, tum eos qui sua ope egebant spectarent, regredi festinabat. Duce vero, ut vocant, rogante moram ut faceret : se diutius cum illis morari non posse respondit, lepidoque id illi exemplo persuasit. Sicut pisces, ait, in arida terra immorando moriuntur; sic Monachi vo-

[1] Matth. x, 8. — [2] Matth. vii, 2.

biscum morantes, apudque vos diutius versantes, enervantur : ut igitur piscibus ad mare, sic nobis ad montem properandum : ne cunctantes, eorum quæ intus sint obliviscamur. Quibus Dux auditis, aliisque permultis, admiratus, vere illum Dei servum esse dixit : unde namque idiotæ mens tanta et tam eximia esset, nisi a Deo diligeretur?

LXXXVI. Quidam item Dux Balacius nomine, acriter nos Christianos persequebatur, ob studium erga nefarios Arianos. Is cum crudelis adeo esset, ut Virgines verberaret, Monachos nudaret, atque flagris cæderet; mittit ad illum Antonius scriptam hujus sententiæ epistolam : Video iram imminere tibi : desine itaque Christianos persequi, ne te forte ira Dei apprehendat : jamjam enim te invasura est. Risit Balacius, in epistolam humi projectam conspuit, tabellariisque injuria affectis jussit, ut hæc Antonio renuntiarent : Quia monachorum cura tibi est, te jam adoriar. Necdum elapsis quinque diebus, ira apprehendit eum : cum enim ad primam mansionem Cereu vocatam proficisceretur, egressus est ipse Balacius cum Nestorio Ægypti Præfecto, amboque equis insidebant, qui Balacii erant, mitissimique omnium quos aleret ipse. Sed nondum eo advenerant, cum cœpere equi ludere more solito : ac derepente mansuetior cui insidebat Nestorius, Balacium morsu decussit in terram, in eumque irruens, femur ejus ita dentibus laniavit, ut statim in urbem delatus, intra triduum moreretur. Miratique sunt omnes, ea quæ Antonius prænuntiasset, tam cito accidisse.

LXXXVII. Sic igitur ferociores monebat : alios autem se adeuntes sic præceptis et monitis imbuebat, ut statim juris dicendi immemores, beatos illos prædicarent qui ex sæculi vita secederent. Atque ita injuria affectorum pa-

trocinium suscipiebat, ut videretur, non alios, sed ipsum læsum fuisse. Ita rursum ad omnium utilitatem natus erat, ut multi milites, aliique plurimarum potiti possessionum, depositis vitæ hujus oneribus, fierent Monachi. Demum quasi medicus Ægypto a Deo datus erat. Quis enim mœstus illum adiit, quin gaudens recesserit? quis accessit mortuos lugens suos, quin statim luctum deposuerit? quis iratus advenit, nec in amicitiam redactus est? quis pauper ad illum demisso animo accessit, auditoque ac viso illo, divitias non contempsit, et non de paupertate sua consolationem admisit? quis Monachus remissior illum conveniens, non fortior postea fuit? quis adolescens in Montem profectus, visoque Antonio, non abnegans illico voluptates temperantiam est amplexus? quis a dæmone tentatus ipsum adiit, quin liberatus sit? quis cogitationibus vexatus accedens, non tranquillo stetit animo?

LXXXVIII. Etenim illud singulare erat in Antonii ascesi, quod accepta, ut supra dixi, spirituum discretionis gratia, eorum statim agnosceret motus, et cujusque studium, affectumque non ignoraret : neque solum non ab illis deciperetur, immo eos qui cogitationibus turbati erant, monitis suis edoceret, qua ratione possent insidias dæmonum subvertere, narrata eorum imbecillitate, vafritieque. Singuli itaque tanquam inuncti ab illo, seu ad pugnam excitati, descendebant, assumpta adversus Diaboli dæmonumque ejus cogitationes fiducia. Quot jam procos habentes virgines, tantum Antonio eminus conspecto, Christi virgines mansere? Veniebant etiam ad illum quidam, ab exteris regionibus, qui percepta cum aliis omnibus utilitate, domum redibant, quasi a patre suo deducti. Sane illo defuncto, omnes quasi patre orbi

sola ejus memoria sese consolantur, retentis animo, ejus admonitionibus hortamentisque.

LXXXIX. Qualis porro ipsi exitus vitæ fuerit, æquum est me enarrare, vosque, ut peroptatis, ediscere; cum maxime ea etiam in re illum imitari par sit. Cum de more Monachos in exteriore Monte degentes inviseret, et a Providentia divina de futura morte præmonitus fuisset, Fratribus hæc locutus est. Jam postremo vos invisam, mirumque si iterum in hac vita mutuo fruamur aspectu: tempus quippe ut hinc transmigrem, cum ferme quintum supra centesimum annum agam. His illi auditis, lacrymari, Senem amplecti, ac deosculari. Ille vero quasi ab extranea in propriam se conferens urbem, lætus colloquebatur, monebatque, ne in laborando segnes essent, neque in vita ascetica animo deficerent: sed ita viverent ac si quotidie morituri essent. Atque, uti jam dixerat, animam custodirent ab obscœnis cogitationibus, sanctosque æmularentur viros: nec ad Meletianos Schismaticos accederent, quorum improbum prophanumque propositum nossent: nec ullam haberent cum Arianis communionem, quorum impietas nemini non explorata esset. Etiam si videritis, ait, ipsis judices patrocinari, ne ideo turbemini; cessabit enim, atque mortalis modicique temporis est imaginaria hujusmodi potestas. Vos itaque puros ab illis custodite, servateque Patrum traditionem, et cum primis piam fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, quam ex Scripturis didicistis, et quam vobis ego plerumque in memoriam revocavi.

XC. Fratribus autem vim ipsi inferentibus, tu illic remaneret, vitamque obiret; abnuit ille, cum ob alias multas causas, ut vel tacitus ipse subindicabat, tum ideo maxime quod Ægyptii soleant piorum hominum

defunctorum corpora, maximeque Sanctorum Martyrum, funerare quidem et linteis involvere, nec tamen sub terram occultare; sed lectulis superponere, et apud sese intus servare : rati id vita functis esse honori. Antonius autem plerumque rogarat Episcopos, ut ea de re populos monerent : similiterque laïcos pudore afficiebat, mulieresque objurgabat, aiens nec legitimum nec sanctum illud esse. Nam Patriarcharum et Prophetarum corpora hactenus in monumentis servantur[1] : ipsumque Domini corpus in monumentum fuit depositum, impositusque ipsi lapis quo operiretur, donec tertia die resurgeret[2]. Hisque verbis demonstrabat prævaricari eum, qui defunctorum corpora non absconderet, quamvis sancta essent. Quid majus enim et sanctius corpore Dominico? Quibus auditis, multi deinceps sub terra occultarunt, et Domino egere gratias, quod tam probe edocti essent.

XCI. Ille vero hujuscemodi consuetudinis gnarus, metuensque ne suo corpori idipsum præstarent, salutatis Monachis qui in exteriore erant monte, ingressusque in interiorem montem, ubi manere solitus erat, post menses paucos in morbum incidit : vocatisque iis qui secum erant (duobus scilicet, qui intus remanserant, per quindecim annos asceticam agentes, atque ob senectutem illi ministrantes) ait illis : Equidem, ut scriptum est, viam ingredior Patrum; video enim a Domino me vocari[3]. Vos autem vigilate, ac diutissimæ exercitationis vestræ fructum ne perditote : sed quasi jam ejus initium poneretis, curate vestram retinere alacritatem. Nostis insidiatores dæmones, quam sint truces quidem, sed viribus imbecilli. Ne itaque timete illos : sed Christum semper respirate, ipsique credite : ac velut quotidie

[1] Joan. XIX, 41. — [2] Matth. XXVII, 60. — [3] Josue. XXIII, 14.

morituri vivite : vobisque ipsis attendite, memores mearum quas audistis præceptionum. Nulla vobis sit communicatio cum Schismaticis, aut prorsus cum hæreticis Arianis. Nostis enim quî illos ego confutarem, ob suam Christo adversariam atque a vera doctrina alienam hæresin. Id curate ut in primis vos Domino, dehinc Sanctis adjungatis : ut post mortem vos in æterna tabernacula, quasi amicos notosque sibi recipiant. Hæc cogitetis, hæc sentiatis : et si qua mei vobis cura sit, mei tanquam patris recordamini, corpus meum in Ægyptum transferri ne patiamini, ne in domibus deponant : hac quippe de causa in Montem me contuli, atque huc recessi. Scitis quantum eos semper objurgavi qui hæc agerent, præcepique ut ejus consuetudinis finem facerent. Meum itaque corpus humate, terraque contegite : meusque hic sermo apud vos custodiatur, ut nemo, vobis exceptis, locum sciat. Ego quippe in Resurrectione mortuorum incorruptum ipsum a Salvatore recepturus sum. Mea dividite vestimenta, Athanasioque Episcopo melotem date unam, palliumque quo obvolvebar, quod novum ab ipso cum acceperim, jam detritum apud me est : alteram melotem Sarapioni tradite Episcopo : vos habete cilicinum indumentum. Quod reliquum est salvete, filii : Antonius quippe hinc migrat, nec ultra vobiscum erit.

XCII. His ille dictis, postquam ipsum osculati sunt, erectis pedibus, ac quasi amicos se adeuntes contemplatus, eorumque causa lætus : nam dum decumberet hilari erat vultu, expiravit, et appositus est ad patres suos. Illi, quemadmodum mandarat ipsis, condito et involuto corpore, illud terra contegere. Nemoque hactenus novit ubinam lateat, illis duobus exceptis. Qui autem accepere beati Antonii utramque melotem, et

detritum ab eo pallium, quasi res magni pretii ambo illa custodiunt. Atque in illis Antonium conspiciunt, iis quoque amicti, se Antonii monita cum gaudio gestare videntur.

XCIII. Hic vitæ Antonii in corpore exitus, illud asceseos illus exordium fuit. Hæc etsi breviora sint, quam illius virtuti par sit : sed ex iis æstimate, cujusmodi fuerit homo Dei Antonius, qui ab adolescentia ad tam grandem ætatem, æquali servato ad Asceticam studio : nec ob senectutem, lautioris cibi desiderio victus, nec ob corporis infirmitatem mutata habitus forma, nec ablutis aqua pedibus : nihilominus omnino incolumis perduravit. Illæsos quippe oculos atque integros habuit, ita ut recte videret : dentiumque illi ne unus quidem excidit, solummodo prope gingivas attriti erant ob grandem Senis ætatem. Pedibus autem manibusque sanus omnino permansit : et sane omnibus, qui variis cibis, lotionibus, variisque vestibus uterentur, vegetior apparebat, atque omnino robustior. Quod autem ubique fama ejus pervagata fuerit : quod omnibus admirationi, iisque etiam qui nunquam hominem vidissent desiderio fuerit; id sane illius virtutis animæque Deo caræ argumentum est. Nequaquam enim scriptis suis, non gentili sapientia, non aliqua arte, sed sola erga Deum pietate celebris fuit Antonius. Quod sane donum esse Dei nemo eat inficias. Unde enim in Hispanias, in Gallias, Romam, in Africam, in monte latentis, degentisque viri fama delata fuerit, nisi Deus, suos ubique terrarum claros notosque redderet, qui idipsum Antonio sub initium pollicitus est? Etsi enim illi occulte degunt, cupiuntque latere, attamen illos Dominus quasi lucernas omnibus exhibet : ut his auditis alii compertum habeant, sufficere præcepta Dei ad res præclare geren-

das, et studio ad pietatis iter instituendum inflammentur.

XCIV. Hæc itaque aliis legitote fratribus, ut ediscant cujusmodi debeat esse Monachorum vita, ac persuasum habeant Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, eos qui sibi gloriam tribuerint gloria donaturum: eosque qui ad finem usque ipsi serviunt, non solum in regnum cœlorum deducturum, sed hic quoque tametsi lateant, secessumque properent, claros, celebresque, cum virtutis propriæ, tum alienæ utilitatis gratia effecturum. Quod si ex usu id esse possit, ipsis Ethnicis legitote; ut hoc saltem modo noscant Dominum nostrum Jesum Christum, non modo Deum Deique Filium esse; immo Christianos qui ipsum colunt, pieque in illum credunt, Dæmones, quos Græci putant esse Deos, non tantum Deos non esse coarguere; sed etiam calcare atque pellere, quasi deceptores hominumque corruptores. In Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA I AD ORSISIUM.

Dies itaque paucos isthic, (in Monasterio Theodori) commoratus Athanasius, dixit Abbati Theodoro : Quoniam proximum Pascha est; Fratres ut mos est vobis, convoca; ego vero quod Dominus disponet id faciam. Tum eo salutato, dimisit ipsum, scripta per illum ad Abbatem Orsisium Fratresque ipsius epistola, hac sententia.

Vidi consortem tuum Patremque Fratrum Theodorum, atque in ipso Dominum Patris nostri Pachumii. Et Ecclesiæ filios intuitus, summopere gavisus sum, lætatusque illorum aspectu : quorum sane Dominus renumerator est. Cumque ad vos profecturus esset Theodorus, aiebat mihi : « Memento mei : » cui ego : « Si oblitus fuero tui » Jerusalem, oblivioni detur dextera mea : adhæreat » lingua mea faucibus meis si non meminero tui[1]. »

[1] Psal. cxxxvi, 5.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA II AD ORSISIUM.

Audita sanctissimus Archiepiscopus Athanasius S. Patris nostri Theodori morte, mœstus, hanc Abbati Orsisio et fratribus epistolam scripsit, qua acceptum de dormitione ejus dolorem levaret.

Athanasius Abbati Orsisio, Monachorum Patri, omnibusque cum illo Monasticam vitam agentibus, et in fide Dei firmatis, dilectis et optatissimis fratribus, in Domino salutem.

Dormitionem beati Theodori edidici, nec sine magna sollicitudine ejusmodi nuntium accepi, gnarus quantæ ipse vobis utilitatis esset. Et sane si Theodorus non esset ipse, quæ mortem subsequuntur animo volvens, multis collacrymans vos sermonibus alloquerer. At quando Theodorus est, qui vobis pariter nobisque notus erat; quid me par est scribere, quam, « Beatus » Theodorus « qui

» non abiit in consilio impiorum[1]? » Quod si beatus est qui timet Dominum, nunc certe fidenter beatum illum dicimus, cum absque ullà dubitatione sciamus, appulsum illum quasi ad portum, jam curis omnibus vacua frui vita. Utinam cuique nostrum idipsum contigisset! utinam quisquis currit tam feliciter advenire possit! utinam quisquis navigat, navim possit suam ad tranquillum eumdem portum appellere; ut quiescens cum Patribus, dicat : « Hic habitabo quoniam elegi eam[2]! » Quamobrem, dilecti optatissimique fratres, ne flete Theodorum: non mortuus quippe est, sed dormit. Ne quis illius memor lacrymetur, sed ejus imitetur vitam. Nequaquam lugendum hominem qui ad locum luctus omnis expertem profectus est. Hæc vobis una scripsi, sed tibi potissimum, dilecte et optatissime Orsisi; ut cum jam ille dormiat, universam tu curam suscipias, illiusque vicem apud fratres suppleas. Enimvero dum superesset ipse, ambo quasi unus eratis : alteroque proficiscente aliquo, amborum tamen officium implebatur : duobus item præsentibus, quasi unus fuissetis, dilectis utilia loquebamini. Hac age ratione, atque ita te gerens rescribe, nobisque significa, quæ tuam fratrumque spectant incolumitatem. Omnes autem una, rogo, precamini, ut pacem magis magisque Dominus Ecclesiis largiatur. Licuit enim etiam nuper nobis Pascha Pentecostenque cum lætitia celebrare : ac summopere de Domini beneficiis gaudemus. Hæc scripsimus vobis. Salutate omnes qui timent Dominum. Vos qui mecum sunt salutant. Valere vos in Domino exopto, dilecti et optatissimi fratres.

[1] Psal. I, 1. — [2] Psal. CXXXI, 14.

Narratio Athanasii ad Ammonium Episcopum et alios de fuga sua sub Juliano Augusto.

Cæterum quia beatus Papa Athanasius, me omnium minimo, aliisque Ecclesiæ Alexandrinæ Clericis præsentibus, beatæ memoriæ viro Ammonio, qui fuit Episcopus Elearchiæ, et Hermoni Bumasticorum, in magna Ecclesia de Theodoro aliquid enarravit, quod tuam existimo Sanctitatem tum præsentem audivisse; operæ pretium duxi, ut, ad renovandam tuæ pietati eorum memoriam, ea conscribam quæ locutus est. Cum memorati Episcopi beatum mirarentur Antonium (nam sæpe cum eo agebat Antonius) illos Papa Athanasius sic allocutus est.

Vidi etiam temporibus hisce magnos Dei homines, Theodorum Tabennesiotarum Monachorum Præfectum, Patremque Monachorum circa Antinoum cui nomen Abbas Pammo, qui haud ita pridem obdormiere. Cum enim me illo tempore Julianus persequeretur, expectaremque me ab illo interficiendum fore, quod germani nuntiarant amici; duo memorati viri quadam die ad me Antinoum venerunt. Tum ego, sumpto consilio ut apud Theodorum laterem, ejus naviculam undique coopertam conscendi, Abbate Pammone nos honoris causa comitante. Vento autem minus prospero flante. equidem corde anxius precabar qui vero cum Theodoro erant Monachi, egressi, naviculam trahebant. Cumque Abbas Pammo, mœrentem me consolaretur, respondi: Crede affirmanti mihi, non tanta tempore pacis cordi meo fiducia inest, quanta tempore persecutionis. Confido quippe, me pro Christo patientem, atque ejus misericordia roboratum, etiamsi occidar, multo majorem misericordiam ab eo consecuturum. Hæc verba

necdum compleveram, cum Theodorus Abbatem Pammonem intuitus, subrisit : et cum pene arrideret Abbas Pammo, Quid, inquam, me ista loquentem ridetis : an me timiditatis arguitis? Tum ad Pammonem Theodorus : Dic illi, ait, quæ sit nobis causa ridendi. Reponente Pammone Abbate : Tuum illud est; ait Theodorus : Hac ipsa hora in Perside Julianus occisus est, ut de illo prædixerat Deus : « Arrogans vir contemptor et superbus, » nihil perficiet[1]. » Surget autem Christianus Imperator, qui præclarus quidem, sed brevioris vitæ futurus est. Quare ne in Thebaïdem ascendas, nec defatigare : sed in comitatum clam te confer, quem in itinere offendes, atque ab illo perhumaniter exceptus, in Ecclesiam remigrabis. Atque ille citius a Deo ex hac auferetur vita. Quod ita contigit. Quamobrem arbitror quamplurimos, in Monachorum maxime cœtibus latuisse, Deo acceptissimos homines, cujusmodi fuit beatus Amun, et Sanctus Theodorus in monte Nitriæ, et servus Dei felicisque senectutis Pammo.

[1] Habac. II, 5.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

DE INCARNATIONE DEI VERBI,

ET CONTRA ARIANOS[1].

I. Qui vafre et perverse divinas interpretantur Scripturas, verba quæ de Filii Dei inopia secundum humanitatem dicta sunt, ad blasphemiam suam asserendam detorquere satagunt. Tota autem et accurata Christianismi ratio in humilibus dictis et actibus invenitur. Si igitur potuissent beatum Paulum audire, ad Corinthios scribentem : « Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, » quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, » ut illius inopia nos divites essemus[2]; » nunquam dissimilem Patri filium dicere ausi fuissent : si tamen agnovissent, quisnam modus inopiæ ejus, et quænam virtus Crucis ejus. Unde et alibi idem Paulus dicit : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et profundum, et sublimitas, scire » etiam supereminentem dilectionem scientiæ Christi, » ut impleamini in omnem plenitudinem Dei[3]. » Quare

[1] Scripta post annum 364. — [2] 2 Cor. VIII, 9. — [3] Ephes. III, 18.

in ejus inopia ejusque passionibus fidenter agit, hæc aiens: « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri » Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et » ego mundo[1]. » Et rursum : « Non enim judicavi me » scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc » crucifixum[2]. » Et, « si cognovissent, nunquam Domi- » num gloriæ crucifixissent[3]. » Et nunc isti si sacras intellexissent Scripturas, nunquam eo blasphemiarum erupissent, ut dicerent creatorem omnium, creaturam esse, aut opificium. Vafre enim Scripturam detorquent dum dicunt : Qui potest Filius Patri similis, aut ex substantia ejus esse, cum scriptum sit : « Sicut Pater habet vitam in » semetipso : sic dedit et Filio habere vitam in semetip- » so[4] : » eo excellentia denotatur, aiunt, dantis, præ accipiente[5]. Et, « quid me dicis bonum? » inquit, « ne- » mo bonus, nisi unus Deus[6]. » Et rursum : « Deus meus, » Deus meus, ut quid dereliquisti me[7]? » Et iterum : « De die extrema nemo scit, neque Filius, nisi Pater[8] : » et rursum : « Quem Pater sanctificavit, et misit in mun- » dum : » ac rursum : « Quem pater suscitavit a mor- » tuis[9]. » Quî fieri potest, aiunt, ut qui a mortuis suscitatur, suscitanti se sit similis aut consubstantialis?

II. Hæc pauca ex multis in medium attulimus, ut iis solutis, cætera quoque facile intelligantur. Nostri igitur muneris est, ut pro virili, verborum ejusmodi vim explicemus. Sane cum beatus Paulus dicat : « Pater susci- » tavit Filium suum a mortuis, » narrat nobis Joannes, dixisse Jesum : « Solvite templum hoc, et in tribus die- » bus excitabo illud. Dicebat autem, *inquit*, de templo » corporis sui[10] » Palam igitur cuivis est attendere volenti,

[1] Galat. VI, 14. — [2] 1 Cor. II, 2. — [3] 1 Cor. II, 8. — [4] Joan. V, 26. — [5] Marc. X, 18. — [6] Matth. XXVII, 47. — [7] Marc. XIII, 32. — [8] Joan. X, 36. — [9] Gal. I, 1 et alibi. — [10] Joan. II, 19.

quando corpus excitatur, tum Filium dici excitari a mortuis : quæ enim corporis sunt de ejus persona dicuntur. Sic igitur cum ait : vitam dedit Filio Pater, vitam carni datam intelligendum est : si enim ipse est vita, quomodo vita vitam accipit? Et si hæc ipse pollicetur : « Oves meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, » et sequuntur me : et ego vitam æternam do eis : et » non peribunt in æternum[1] : » si item ipse est sapientia Dei, et si ipse omnem fecit ætatem, quare dicitur : « Je- » sus autem proficiebat sapientia et ætate[2] ? » Et si Pater per proprium Verbum et Filium omnia fecit, planum utique est quia resurrectionem carnis ejus per ipsum effecerit. Per ipsum igitur ipsum suscitat : et per ipsum ipsi dat vitam. Suscitatur quidem secundum carnem ut homo, et vitam accipit ut homo, qui habitu inventus est ut homo. Ipse autem est qui, utpote Deus, proprium templum excitat, et propriæ carni dat vitam. Cum igitur iterum dicat : « Quem Pater sanctificavit, et misit in » mundum[3], » alibi quoque ait : « Pro eis ego sanctifico » meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate[4]. » Et cum dicit : « Deus meus, Deus meus, quare me dereli- » quisti ? » Ex nostra persona ista loquitur : quia formam servi accipiens, et in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo, « humiliavit semetip- » sum factus obediens usque ad mortem, mortem autem » Crucis[5], etc. » Et ut ait, Hesaïas : « Languores nos- » tros ipse tollit, et pro nobis cruciatur[6]. » Non pro seipso itaque doloribus afficitur, sed pro nobis : nec ipse a Deo derelictus est, sed nos : et propter nos derelictos ille venit in mundum. Et cum dicit : « Propter quod et » Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est

[1] Joan. x, 27. — [2] Luc. II, 52. — [3] Joan, x, 36. — [4] Ibid. XVII, 19. — [5] Philip. II, 7. — [6] Isai. LIII, 4.

» super omne nomen [1], » de templo loquitur, quod est corpus ejus.

III. Non enim altissimus exaltatur, sed caro Altissimi : Altissimique carni nomen donavit, quod est super omne nomen. Neque Dei Verbum per gratiam accepit, ut Deus vocaretur, sed caro ejus una cum ipso, Dei nomen accepit : non enim dixit : Verbum Deus factum est, sed, « Deus erat Verbum [2] : » semper, inquit, Deus erat Verbum, et hic ipse Deus, caro factus est, ut caro ejus fieret Deus Verbum. Quare et Thomas cum carnem ejus palpasset, exclamavit « Dominus meus, et Deus meus [3], » utrumque simul Deum appellans. Itidem et Joannes hæc scripsit : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod » vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus » nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ [4]. » Propalam est igitur, in carne Filium, et Verbum Patris palpatum fuisse, et utrumque Scriptura divina tradidit esse « Ver» bum vitæ » quod palpatum est. Et cum dicit : « Non» dum erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glori» ficatus [5], » de carne ejus loquitur nondum glorificata. Non enim Dominus gloriæ glorificatur, sed caro Domini gloriæ : ipsa gloriam accipit ubi una cum illo in cœlum ascendit. Unde Spiritus adoptionis nondum erat in hominibus, quia primitiæ ex nobis assumptæ nondum in cœlum ascenderant.

IV. Quæcumque igitur Scriptura dicit : nempe, accepit Filius, glorificatus est Filius, propter ejus humanitatem, et non propter deitatem sic loquitur. Et cum dicit « Pater meus qui misit me, major me est [6], » eo dicit Patrem se majorem ; quod ipse homo factus sit. Cum autem Verbum sit Patris, æqualis est illi. Nam *ego*, inquit,

[1] Philip. xxviii. — [2] Joan. i, 1. — [3] Joan. xx, 28. — [4] 1 Joan. i, 1. — [5] Joan. vii, 39. — [6] Joan. xiv, 28.

« et Pater unum sumus [1], » et, « qui vidit me, vidit et » Patrem [2]. » Ac non ex rapina habet quod sit æqualis Patri, sed secundum naturam æqualis est, et consubstantialis Patri, quia ex Patris substantia genitus est : Et cum Apostolus dicit : « Quia in Christo inhabitat omnis pleni» tudo divinitatis corporaliter [3]; » in carne ejus inhabitare plenitudinem divinitatis, intelligendum est. Et cum aliquando dixerit : « Qui proprio Filio suo non pepercit, » sed pro nobis omnibus tradidit illum [4]; » alio loco ait : « Sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit » pro ea [5]. »

V. Non enim ut seipsum salvum faceret venit Deus, qui est immortalis; sed ut nos qui mortui eramus liberaret : neque pro se passus est, sed pro nobis. Ita ut ideo nostram vilitatem inopiamque susceperit, ut nobis divitias largiretur suas. Passio enim ejus, nostra est impassibilitas : mors ejus nostra immortalitas : lacrymæ ejus, nostrum gaudium : sepultura ejus, nostra resurrectio, et baptismus ejus, nostra sanctificatio : nam *pro eis,* inquit, « ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctifi» cati in veritate [6]. » Et livor ejus nostra est sanatio : nam « livore ejus sanati sumus [7]. » Et disciplina ejus pax est nostra : nam « disciplina pacis nostræ super eum [8]; » id est, pro pace nostra ipse castigatur. Et ignominia ejus nostra est gloria : unde propter nos gloriam petit his verbis : « Glorifica me tu, Pater, apud temetipsum glo» ria quam habui prius quam mundus esset apud te [9]. » Nos enim sumus qui in illo glorificamur. Et descensus ejus, noster est ascensus, juxta illud quod scriptum est, « Conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in

[1] Joan. x, 30. — [2] Joan. xiv, 9. — [3] Coloss. ii, 9. — [4] Rom. viii, 32. — [5] Ephes. v, 28. — [6] Joan. xvii, 19. — [7] Isai. liii, 5. — [8] Ibid. — [9] Joan. xvii, 5.

» Christo Jesu [1], » et illud : « Ut ostenderet in sæculis » supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in » bonitate super nos in Christo Jesu [2]. » Et cum in Cruce ait : « Pater, in manus tuas commendo spiritum » meum [3], » Patri per seipsum omnes commendat homines, qui in ipso vivificantur. Membra enim ejus sunt, et multa membra, unum corpus sunt, quod est Ecclesia : quemadmodum Beatus Paulus ad Galatas scribit : « Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu [4] : » Omnes igitur in seipso commendat.

VI. Ita quoque cum ait : « Dominus creavit me initium viarum suarum [5] ; de Ecclesia illud dicit, quæ in ipso condita est. Non enim omnium opifex, creatura est vel opificium ; sed opificium in opifice renovatur, juxta illud Pauli dictum : « Ipsius enim sumus factura, creati » in Christo Jesu [6] : » Et ut iterum ait : « Ut innotescat » nunc principatibus et potestatibus in cœlestibus per » Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundum præ» finitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Do» mino nostro : in quo habemus fiduciam, et accessum » in confidentia per fidem ejus [7]. » Et iterum ait : « Sicut » elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut esse» mus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. » Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per » Jesum Christum in ipsum [8]. » Et rursum dicit de duobus populis : « Ut duos condat in semetipso in unum » novum hominem, faciens pacem, et reconciliet am» bos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens ini» micitias in semetipso [9]. »

II. Et cum ait : « Quid me dicis bonum? nemo

[1] Ephes. II, 6. — [2] Ibid. — [3] Luc. XXIII, 46. — [4] Galat. III, 28. — [5] Prov. VIII, 22. — [6] Ephes. II, 10. — [7] Ibid. III, 10. — [8] Ephes. I, 4. — [9] Ibid. II, 15.

« bonus, nisi unus Deus [1]. » Deus nempe qui sese annumeravit hominibus; ratione carnis suæ hoc dicit, et ad mentem ejus qui se adierat, respondit. Is enim eum duntaxat hominem esse arbitratus est, et non Deum, eaque ipsa est illius responsionis sententia : Si enim, ait, me hominem duntaxat esse arbitraris, et non Deum; ne me dicas bonum, nemo enim est bonus. Neque enim hominum naturæ competit, bonum esse : sed soli Deo, et addit : « Præcepta nosti? » eoque dicente : « Quænam? » Non mæchaberis [2], » inquit, « non occides etc. » Respondit ille : « Hæc omnia custodivi a juventute mea, » quid adhuc mihi deest? » ait illi : « Si vis perfectus » esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperi- » bus, et habebis thesaurum in cœlis, et tollens crucem » tuam, sequere me [3]. » Hinc itaque ostendit, sibi quoque competere, bonum esse : qui enim bonum non sequitur, quomodo potest vitam æternam adipisci? Et cum dicit, de ultima die, nemo novit (neque Filius) nisi Pater, secundum humanitatem loquitur. Si enim Patrem novit, ultimam diem quo pacto ignorabit? « Nemo enim, » inquit, « novit Patrem, nisi Filius, et » cui voluerit Filius, revelare [4]. » Et si Spiritus Sanctus novit omnia quæ Dei sunt, quomodo Filius Diem quam ipse creavit, ignorat? Et si sæcula et tempora per eum facta sunt, manifestum est ultimam diem in sæculis ipsis, et temporibus inveniri, et impossibile est ut eam ignoret ipse.

VIII. Quæcumque igitur humilia verba a Domino dicuntur, inopiæ ejus (*i. humanitati*) conveniunt, ut nos in ipso ditescamus, non autem, ut ejusmodi verborum causa blasphememus contra Filium Dei. Idcirco enim filius Dei, filius hominis factus est; ut filii hominis, hoc est Adæ, filii Dei efficiantur. Quod enim desuper ex Patre

[1] Marc. x, 18. — [2] Marc. x, 18. — [3] Matth. xix, 20. — [4] Matth. x, 22.

Verbum modo ineffabili, inexplicabili, incomprehensibili, et æterne genitum est, ipsum in tempore inferius generatur ex Virgine Deipara Maria. Ut qui inferius antea geniti fuerant, desuper secundo gignerentur, id est, ex Deo. Ipse igitur matrem duntaxat habet in terra : et nos Patrem duntaxat habemus in cœlo. Quocirca filium hominis seipsum appellat, ut homines Deum vocarent Patrem in cœlis. « Pater noster [1], » inquit, « qui es in » cœlis. Quemadmodum igitur nos servi Dei, filii Dei facti sumus; sic Dominus servorum, proprii servi, id est Adami, filius mortalis factus est; ut filii Adami qui mortales erant, filii Dei fierent, juxta illud : « Dedit eis po» testatem filios Dei fieri [2]. » Unde mortem gustat Filius Dei, propter carnalem patrem suum : ut filii hominis vitæ Dei participes efficerentur, propter Deum, Patrem suum secundum Spiritum. Ipse igitur secundum naturam filius est Dei : nos autem per gratiam. Et iterum, ipse quidem per dispensationem, et nostri gratia filius Adæ factus est; nos vero secundum naturam filii Adæ sumus. Unde dicit : « Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, » Deum meum et Deum vestrum [3]. » Nam Deus est ejus Pater, uti supra dixi, secundum naturam, nostrum vero, per gratiam : et Deus ejus factus est per dispensationem, quatenus is homo factus est; noster autem Dominus ac Deus est, secundum naturam. Quapropter Verbum et Filius Patris unitus carni, caro factus est, homo perfectus : ut homines Spiritui uniti, unus Spiritus efficerentur. Ipse igitur est Deus carnem gerens, nos homines spiritum ferentes. Primitias enim sumens ex substantia hominum, id est, ex semine Adæ, (quæ substantia, est forma servi) et in similitudinem hominis factus, dedit nobis ex substantia Patris, primitias Spiritus sancti; ut efficiamur

[1] Matth. vi, 9. — [2] Joan. i, 12. — [3] Joan. xx, 12.

omnes, Dei filii, in similitudine filii Dei. Is itaque verus et natura Filius Dei, omnes nos gestat, ut omnes unum feramus Deum.

IX. Impium igitur est, creatum, aut factum dicere Spiritum Dei, ubi omnis Scriptura vetus et nova, cum Patre et Filio ipsum annumerat et glorificat, quia ejusdem est Deitatis, ejusdemque potentiæ ac substantiæ : ut ipse Dominus dicit : « Qui credit in me, flumina de » ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spi» ritu quem accepturi erant credentes in eum [1]. » Ut et in Joële ex persona Patris, ait : « Effundam de Spiritu » meo super omnem carnem, et prophetabunt filii ves» tri, et filiæ vestræ [2]. » Et propterea insufflavit ipsum in faciem Apostolorum dicens : « Accipite Spiritum » Sanctum [3]; » ut discamus, Spiritum qui Discipulis datur, ex plenitudine Deitatis esse. « In Christo enim, » inquit, « inhabitat, » hoc est, in carne ejus, « omnis » plenitudo Divinitatis corporaliter [4], » ut item ait Joannes Baptista : « Nos omnes de plenitudine ejus ac» cepimus [5]. » Corporali enim specie, hoc est, quasi columba, visus est Spiritus Sanctus descendere, et manere super eum. In nobis quippe primitiæ et arrha Deitatis inhabitant, in Christo autem omnis plenitudo Divinitatis. Et ne quis putarit, eum cum prius non haberet ipsum accepisse : eum ille desuper mittebat, utpote Deus, et ipse infra illum accipiebat, ut homo. Et ipso igitur in ipsum descendit, nimirum ex Divinitate ejus, in ejus humanitatem. Et Hesaïas quidem, ex persona Patris clamat his verbis : « Sic dicit Dominus Deus tuus, faciens » et formans te ab utero : noli timere puer mi Jacob, et » dilecte Israël, quem elegi; dabo enim aquam in siti,

[1] Joan. VII, 38. — [2] Joel. II, 28. — [3] Joan. XX, 22. — [4] Coloss. II, 9. — [5] Joan. I, 16.

» illis qui ambulant in inaquosa : et imponam Spiritum » meum super semen tuum, et benedictionem meam » super liberos tuos [1]. » In Evangelio autem Filius pollicetur se daturum aquam, iis qui in siti ambulant; dum Samaritanæ ita de Spiritu Sancto loquitur : « Si scires » donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere : » tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vi- » vam [2]. » Et paulopost eam sic affatur : « Omnis qui » bibit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex » aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed » aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis » in vitam æternam. » Eaque de causa ait David : « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo vide- » bimus lumen [3]. » Norat enim apud Deum Patrem Filium esse fontem sancti Spiritus.

X. Ac per Hieremiam Filius dicit : « Duo mala fecit » populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, » et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere » non valebunt aquam [4]. » Et cum Seraphim Deum glorificant ter dicentes : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Do- » minus Sabaoth [5], » Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum glorificant. Quapropter sicut in nomine Patris et Filii baptizamur; ita et in nomine Spiritus Sancti, et efficimur filii Dei, non Deorum. Pater enim et Filius, et Spiritus Sanctus, Dominus Sabaoth est. Una enim est divinitas, et unus Deus, in tribus hypostasibus. Ideoque quæ Pater dicit in Hesaïa ea Joannes ait, dixisse Filium : in Actibus autem Paulus ait, eadem Spiritum Sanctum locutum fuisse. Sic enim loquitur Hesaïas : « Vidi Domi- » num Sabaoth, sedentem super solium excelsum et ele- » vatum, et plena erat domus majestate ejus : et Sera-

[1] Isai. XLIV, 2. — [2] Joan. IV, 10. — [3] Psal. XXXV, 10. — [4] Hier. II, 13. — [5] Isai. VI, 3.

» phim stabant in circuitu ejus: sex alæ uni, et sex alæ » alteri : et duabus quidem velabant faciem, et duabus » pedes, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alte» rum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exerci» tuum, plenum est cœlum et omnis terra gloria ejus : » ac paulopost ait : « Audivi vocem Domini dicentis : » Quem mittam? et quis ibit ad populum istum? Et dixi : » Ecce ego, mitte me. Et dixit mihi, Vade ad populum » istum, et dic illi : auditu audiatis, et ne intelligatis, et » videntes videatis : et nolite videre. Incrassatum est » enim cor populi hujus; et auribus suis difficulter au» dierunt, et oculos clauserunt; ne forte videant oculis, » et auribus audiant, et corde intelligant, et conver» tantur et sanem eos. » Joannes vero Evangelista dicit : « Propterea non poterant judæi credere in Jesum, quia » dixit Hesaïas : Excæcavit oculos eorum, et induravit » cor eorum; ne forte videant oculis, et corde intelli» gant, et convertantur et sanem eos [1]. » Hæc autem dixit Hesaïas, cum vidit gloriam ejus, hoc est, Filii : itaque Dominus quoque Sabaoth, Filius est : illud namque Dominus Sabaoth, explicatur, Dominus virtutum ; « Dominus » autem « virtutum ipse est Rex gloriæ [2] : » quemadmodum David locutus est : Dominus vero gloriæ est, qui crucifixus est Christus, juxta Paulum. Et ut ait David : « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit [3] : » et alibi : « Qui pascis Israël intende, qui deducis velut » ovem Joseph, qui sedes super Cherubim, manifes» tare [4]. » In Evangeliis autem ait Filius : « Ego sum » pastor bonus [5]. » Ipse igitur est, qui sedet super Cherubim, qui pascit Israël. Paulus autem in Actibus ait : Spiritum Sanctum per Hesaïam dixisse, ea quæ ipse He-

[1] Joan. XII, 39. — [2] Psal. XXIII, 10. — [3] Psal. XXII, 1. — [4] Psal. LXXIX, 2. — Joan. XI, 14.

saïas dixerat : « Dominus Sabaoth dixit mihi [1]. » Pater igitur et Filius et Spiritus Sanctus, Dominus Sabaoth est.

XI. Et cum Scriptura dicat de Patre : « Ipse creavit » omnia visibilia et invisibilia [2] : » alibi eadem Scriptura nos edocet, ea per Filium creata fuisse. Neque enim alia Pater creavit, alia Filius : sed quod Pater facit, id per propriam virtutem facit, quæ est Filius : Nam « omnia » per ipsum facta sunt [3]. » Ita ergo ubi Filius dicit : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo » illud : dicebat autem, inquit, de corpore suo [4] ; » alia Scriptura dicit : « Pater suscitavit Filium suum ex mor- » tuis ; » et recte loquitur : suscitavit enim per proprium Verbum et Filium, carnem Filii sui. Nec dicimus corpus esse natura sua Filium Dei, sed corpus Filii Dei. Cum itaque corpus excitatur, Filius intelligitur excitari ex mortuis. Ideoque dicimus illum secundum carnem mortuum sepultum, et excitatum fuisse a mortuis : secundum spiritum autem et in cœlo, et in terra, et ubique tunc fuisse. Quandoquidem igitur cum esset dives, id est, Deus ; factus est inops, id est, homo ; et, excepto peccato, in omnibus similis factus est nobis : idcirco ut homo accipit vitam, licet vitam habeat, quippe ipse est vita ; illam tamen propter nos accipit : ac utpote homo proficiebat sapientia et ætate, qui erat æterna Dei virtus et sapientia. Ut homo etiam sanctificatur qui sanctus est, et qui sanctificatione non eget : nam « pro eis, in- » quit, ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctifi- » cati in veritate [5]. » Ut homo item exaltatur accipiens nomen super omne nomen, quod tamen semper natura sua habet. Nam « Deus, inquit, erat Verbum. »

[1] Act. xxvii, 25 — [2] Coloss. i, 16. — [3] Joan. i, 3. — [4] Joan. ii, 19. — [5] Joan. xvii, 19.

XII. Quæcumque igitur Scriptura dicit accepisse Filium, propter corpus ejus illud dicit : corpusque illud est primitiæ Ecclesiæ : nam « primitiæ, inquit, Christus[1]. » Cum ergo primitiæ accepissent nomen quod est super omne nomen, tunc reliqua massa, per illam virtutem simul excitata et consedere facta est, juxta illud dictum : « Conresuscitavit et consedere fecit[2]. » Quapropter, eam gratiam homines accepere, ut Dei et Filii Dei vocarentur. Primo igitur proprium corpus Dominus excitavit ex mortuis, et in seipso exaltavit : deinceps membra corporis sui excitabit, ut omnia illis largiatur, utpote Deus, quæcumque ipse ut homo accepit. Ipse igitur sibiipsi vitam largitur, ipse seipsum sanctificat, ipse seipsum exaltat. Cum ait igitur, quod Pater illum sanctificaverit, et excitaverit, et dederit illi nomen quod est super omne nomen, vitam quoque tribuerit; propalam est Patrem omnia per ipsum facere. Per ipsum igitur ipsum excitat, per ipsum sanctificat, per ipsum ipsum exaltat, et per ipsum ipsi vitam largitur. Et cum spiritum suum in manus Patris commendat; ut homo seipsum commendat Deo, ut omnes homines Deo commendet. Ipse enim est manus ipsa, et manus ipsæ Patris. Et ubi ait : « Ante omnes colles generat me[3], » id ex persona Ecclesiæ loquitur, quæ prius condita, postmodum ex Deo generatur. Quocirca illud in Proverbio primum habetur : « Creavit me Dominus : » ultimo autem illud : « generavit. »

XIII. Et cum Scriptura dicat de Patre : « Numquid » non Deus unus creavit nos[4]? » id de Filio quoque dicit : per ipsum creata sunt omnia : hæc ipsa de Spiritu Sancto quoque dicuntur : « Auferes, inquit, Spiritum » eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur.

[1] 1 Cor. xv, 23. — [2] Ephes. II, 6. — [3] Prov. v, 25. — [4] Malach. II, 10.

» Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ[1]. » Et cum Filius ad Petrum de Patre dixerit suo : « Beatus es quia caro et sanguis non revelavit » tibi, sed Pater meus qui in cœlis est[2]; » idipsum de se locutus est : « Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui » voluerit Filius revelare[3]. » Similiter et de Spiritu Sancto ait Paulus : « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum » suum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda » Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi » Spiritus hominis qui est in ipso? Ita et quæ Dei sunt » nemo cognovit nisi Spiritus Dei[4]. » Sicut igitur spiritus hominis ab humanitate ejus, et substantia non est segregatus; sic et Spiritus Dei, a Divinitate ejus et substantia non est alienus. Et cum dixerit Dominus in Hesaïa : « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt » me[5], » in Evangelio dicit : « Quod natum est ex » carne caro est : et quod natum est ex Spiritu spiritus » est[6]. » Et iterum, « Spiritus ubi vult spirat, et vocem » ejus audis : sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic » est omnis qui natus est ex Spiritu[7]. » In Evangelii autem initio ait Joannes : « Quotquot autem receperunt eum » dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in » nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex vo- » luntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo » nati sunt[8]. » Quotquot igitur ex Spiritu Sancto nati sunt, ii ex Deo nati sunt. Et quotquot in Christum baptizati sunt, hi in Patrem et Spiritum Sanctum sunt baptizati. Et rursum cum Petrus ait Ananiæ : « Cur im- » plevit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, » et seponere de pretio agri? Non es mentitus hominibus, » sed Deo[9]. » Itaque qui mentitus est Spiritui Sancto,

[1] Psal. CIII, 29 — [2] Matth. XVI, 16. — [3] Matth. X, 22. — [4] I Cor. II, 10. — [5] Isai. I, 2. — [6] Joan. III, 6. — [7] Ibid. III, 8. — [8] Ibid. I, 12. — [9] Act. V, 3.

mentitus est Deo, habitanti in hominibus per Spiritum suum. Ubi enim est Spiritus Dei, ibi est Deus. Nam, « in » hoc, inquit, cognoscimus quod Deus in nobis manet, » quoniam de Spiritu suo dedit nobis[1]. »

XIV. Et cum Scriptura quidem dicat, Spiritum Sanctum locutum fuisse in Prophetis : alibi ait beatus Paulus, Patrem in Prophetis locutum fuisse : nam « multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus » in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis » in Filio[2]. » Et alibi dicit, Filium loqui. « An experi» mentum, inquit, quæritis ejus, qui in me loquitur, » Christi[3]. » Filius vero ait Spiritum esse qui loquitur in Apostolis : « Cum, inquit, tradent vos, in concilia, no» lite cogitare quomodo, aut quid loquamini : dabitur » enim vobis in illa hora quid loquamini[4]. Non enim vos » estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui lo» quitur in vobis[5]. » Et interdum quidem ait Apostolus, corpora fidelium esse membra Spiritus Sancti; aliquando autem membra illorum membra Christi esse : aliquando ipsos esse templum Patris : « Vos enim, inquit, estis tem» plum Dei vivi : sicuti dicit Deus : quoniam inhabitabo » in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi » erunt mihi populus[6]. » Et, « Si quis violaverit tem» plum Dei, disperdet illum Deus[7]. » Et rursum, « Nes» citis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in » vobis[8]? » Si quis enim est templum Spiritus, is templum est Filii et Patris. Ubi enim Spiritus Dei habitat, illic Deus habitat. Et « sicut Pater suscitat mortuos et vi» vificat; sic et Filius quos vult vivificat[9] : » Similiter de Spiritu sancto dicit : « Spiritus est qui vivificat, caro

[1] 1 Joan. IV, 15. — [2] Hebr. I, 1. — [3] 2 Cor. XIII, 3. — [4] Matth. X, 17.— [5] Luc. XII, 11. — [6] 2 Cor. V, 16. — [7] 1 Cor. III, 17. — [8] 1 Cor. III, 10. — [9] Joan. V, 21.

» non prodest quidquam[1]. » Ad Corinthios autem scribit Paulus : « Spiritus autem vivificat[2]. » Vides opera quæ Patris sunt, ipsa Filii, eadem quoque Spiritus Sancti esse, ut Scriptura testatur. Ut et ipse Apostolus his docuit verbis : « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem » Spiritus : et divisiones ministrationum sunt, idem au- » tem Dominus : et divisiones operationum sunt, idem » vero Deus, qui operatur omnia in omnibus[3]. » Et postquam dixit Patrem operari omnia in omnibus, paucis interjectis ait : Spiritum Sanctum operari omnia in omnibus. « Hæc autem omnia, inquit, operatur unus atque » idem Spiritus, dividens propria singulis prout vult[4]. »

XV. Et cum Apostolus doceat Spiritum Sanctum esse pignus hæreditatis; David dicit, Dominum esse illam hæreditatem : nam « Dominus, inquit, pars hæreditatis » meæ et calicis mei[5]. » Et alibi ait : « Clamavi ad te » Domine, dixi tu es spes mea, portio mea in terra vi- » ventium[6]. » Hieremias vero dicit : « Qui formavit » omnia, ipse est hæreditas Jacob, Dominus nomen illi[7]. » Prophetis ergo, Dominum esse Sanctorum hæreditatem, dicentibus; Paulus Spiritum Sanctum hæreditatem esse dixit. « In quo, inquit, et credentes signati estis Spiritu » promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nos- » træ[8]. » Ut et Moyses in facie signatus est Spiritu Sancto, cum accepit legem a Deo, et nullus filiorum Israël poterat eum intueri[9] : signatum enim erat super eum lumen vultus Domini : ut et in Evangelio scriptum est : « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum[10]. » Deus enim lux est vera, similiter Filius lux est, quia est ejusdem substantiæ atque vera lux, ut et Hesaïas loqui-

[1] Joan. vi, 64. — [2] 2 Cor. iii, 6. — [3] 1 Cor. xii, 4. — [4] 1 Cor. xii, 11. — [5] Psal. xv, 5. — [6] Psal. cxli, 6. — [7] Hier. x, 16. — [8] Ephes. i, 13. — [9] Exod. xxxiv, 30. — [10] Matth. xiii, 43.

tur : « Et erit lux Israël ut ignis[1], et sanctificabit illum » in flamma ardente[2]. » In Evangelio autem Joannes Baptista de Domino ait : « Ipse vos baptizabit in Spiritu » Sancto, et igne » Alibi autem Dominum dicit, sanctificantem : « Ego Dominus qui sanctifico eos[3]. » Et cum Scriptura, Deum ignem vocet : « Deus noster ignis con- » sumens est[4]; » similiter de Spiritu quoque Sancto dicit : « Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam » ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt » omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, » prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis[5]. » Quicumque enim Spiritum Dei gerunt, lumen gerunt : et quicumque lumen gerunt, Christum induti sunt, et qui Christum induti sunt, Patrem quoque induti sunt. « Oportet enim, » inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem, et » mortale hoc induere immortalitatem[6]. » Qui enim Spiritum Dei gestant, incorruptibilitatem gestant, Deus enim incorruptibilitas est.

XVI. Et cum hæc David loquitur : « Multi dicunt quis » ostendit nobis bona[7]? » id de Spiritu Sancto loquitur, alibique ait : Dominus « non retardabit bona eis qui am- » bulant in innocentia[8]. » Itidemque Matthæus de Patre sic ait : « Si igitur vos cum sitis mali, nostis bona data » dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in » cœlis est, dabit bona petentibus se[9]? » Lucas vero idipsum enarrans, his verbis quidnam sint illa bona explicat : « Si igitur vos cum sitis mali, nostis bona data » dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in » cœlis est, dabit Spiritum Sanctum petentibus se[10]. » Nisi enim Spiritus Sanctus substantiæ illius esset qui so-

[1] Isai. x, 7. — [2] Matth. III, 11. — [3] Levit XXII, 16. — [4] Deut. IV, 24. — [5] Act. II, 3. — [6] I Cor. XV, 53. — [7] Psal. IV, 6. — [8] Psal. LXXXIII, 13. — [9] Matth. VII, 11. — [10] Luc. XI, 13.

lus bonus est, nunquam bonus vocatus fuisset, cum ipse Dominus prohibeat se vocari bonum, quatenus homo erat, dicens : « Quid me dicis bonum? nemo bonus, » nisi unus Deus[1] » Sanctum autem Spiritum bonum vocare, non recusat Scriptura, cum David dicat : « Spi» ritus tuus bonus deducet me in terram rectam[2]. » Et iterum, cum Dominus de seipso ait : « Ego sum panis » vivus qui de cœlo descendi[3] : » alibi Spiritum Sanctum, panem cœlestem appellat, dicens : « Panem nos» trum supersubstantialem da nobis hodie. » Docuit enim nos ut orando peteremus in præsenti sæculo, panem ἐπιούσιον id est, futurum : cujus primitias in præsenti vita habemus, dum carnis Domini participes efficimur : ut ipse dixit : « Et panis quem ego dabo caro » mea est pro mundi vita[4]. » Nam caro Domini est Spiritus vivificans, quia ex Spiritu vivificante concepta est. Nam « quod natum est ex Spiritu Spiritus est[5]. »

XVII. Et cum Hieremias de Deo dicat : quod ipse dux fuerit Israël in deserto : « Et non dixistis, » ait, « ubi est » Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui » dux nobis fuit in deserto[6]? » Hesaïas dicit Spiritum sanctum ducem fuisse Israël in deserto : quem audire licet ita loquentem : « Deduxit eos per abyssum quasi equum » in deserto : et fatigati non sunt, et quasi jumenta per » campum. Et descendit Spiritus a Domino, et ductor » eorum fuit[7]. » Ad Corinthios vero Apostolus scribit, ducem fuisse Christum. « Bibebant enim de spiritali con» sequente eos petra : petra autem erat Christus[8]. » Et cum dicat Paulus se a Deo vocatum esse : « Deus, » inquit, « qui me segregavit ex utero matris meæ, et voca» vit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me,

[1] Marc. x, 18. — [2] Psal. cxlii, 10. — [3] Joan. vi, 51. — [4] Ibid. 52. — [5] Joan. iii, 6. — [6] Hier. ii, 6. — [7] Isai. lxiii, 13. — [8] 1 Cor. x, 4.

» ut evangelizarem illum in gentibus[1] : » Romanis scribens, illos a Christo vocatos esse dicit : « In quibus estis » et vos vocati Jesu Christi[2]. » Spiritus autem Sanctus Paulum et Barnabam se vocasse dixit, ut Christum in gentibus evangelizarent. Et quod mirabile est, cum Paulo Jesus in Templo jubeat : « Vade, quoniam ego in natio» nes longe mittam te[3] : » et Paulus ad Galatas scribat : « Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per homi» nem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui » suscitavit eum a mortuis[4] : » ac paulo post ipse : « No» tum autem vobis facio, fratres, Evangelium hoc, quia » non est secundum hominem : neque enim ego ab ho» mine accepi illud, neque didici : sed per revelationem » Jesu Christi[5]; » Spiritus tamen sanctus Paulum et Barnabam mittere exhibetur, ut Christum gentibus prædicarent.

XVIII. Item aliquando ex persona Patris loquuntur Prophetæ; ut in Psalmis ait Deus : « Semel juravi in » Sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum » manebit : et thronus ejus sicut sol in conspectu meo[6] : » et rursum : « De fructu ventris tui ponam super sedem » tuam[7] : » et sicuti Petrus dixit : « Propheta igitur cum » esset David, et sciret quia jurejurando jurasset illi » Deus, de fructu lumbi ejus sedere Christum secundum » carnem super thronum ejus[8] : » Aliquando ex persona Filii ; ut cum dicit Hesaïas : « Hæc dicit Dominus : prop» ter vos jugiter nomen meum blasphematur in genti» bus. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in » die illa : quia ego sum, ipse qui loquor adsum[9] : » quandoque autem ex persona Spiritus sancti, ut cum

[1] Galat. I, 16. — [2] Rom. I, 6. — [3] Act. XXII, 21. — [4] Galat. I. — [5] Act. XIII, 2. — [6] Psal. LXXXVIII, 36. — [7] Psal. CXXXI, 11. — [8] Act. II, 30. — [9] Isai. LII, 5.

Propheta quidem Agabus ait : « Hæc dicit Spiritus sanc- » tus : virum cujus est zona hæc[1]. » Et rursum Paulus ad Timotheum scribit : « Spiritus autem manifeste dicit, » quia in novissimis temporibus discedent quidam a » fide[2]. » Et iterum : « Dixit autem Spiritus Philippo : » Accede et adjunge te ad currum istum Æthiopis Eunu- » chi[3]. » Et Propheta quidem Ezechiel veterem popu- lum accusans, aiebat : « Et in omnibus his dolore affece- » runt me, dicit Dominus[4]. » Paulus vero scribit ad no- vum populum : « Et nolite contristare Spiritum sanctum » Dei in quo signati estis, in diem redemptionis[5]. » Et David quidem de Judæis dicit : « et exacerbaverunt » Deum in deserto[6] : » Hesaïas vero de iisdem : « Ipsi » autem increduli fuerunt, et exacerbaverunt Spiritum » sanctum, et conversus est eis in inimicitiam[7]. » Ste- phanus vero in Actibus ait : « Dura cervice, et incircum- » cisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto » resistitis, sicut Patres vestri[8]. » Ac cum de Patre qui- dem dicat Paulus : « Deus qui justificat, quis est qui con- » demnet[9] ? » eadem et de Filio, et de Spiritu sancto ait : « Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati es- » tis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu » Dei nostri[10]. » Dominus vero Satanæ ait de seipso : « Non tentabis Dominum Deum tuum[11]. » Petrus autem ad Sapphiram ait : « Quid utique convenit vobis tentare » Spiritum Domini[12] ? »

XIX. Et Deus quidem est qui continet et implet om- nia, ut per Hesaïam dicit : « Cœlum et terram ego impleo, » dicit Dominus[13]. » Itidem de Filio ait Paulus : « Qui » descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos;

[1] Act. xxi, 11. — [2] 1 Tim. iv, 1. — [3] Act. viii, 29. — [4] Ezech. xvi, 42. — [5] Ephes. iv, 30. — [6] Psal. lxxvii, 40. — [7] Isai. lxiii, 10. — [8] Act. vii, 51. — [9] Rom. viii, 33. — [10] 1 Cor. vi, 11. — [11] Matth. iv, 7. — [12] Act. v, 9. — [13] Hier. xxiii, 24.

» ut impleret omnia[1]. » Hæc ipsa autem de Spiritu sancto David loquitur : « Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a » facie tua fugiam[2]? » Cum vero ait : « quo ibo a Spi- » ritu tuo? » palam nobis facit, Spiritum quoque Sanctum esse qui omnia implet. « Et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es; si descendero in infer- » num, ades[3]: » Quis autem inferos adiit, nisi Filius qui ex mortuis resurrexit. Et cum in Actibus Stephanus dicat : « Deus gloriæ visus est Patri nostro Abraham[4] : hæc ipsa de Filio quoque Paulus ait : « Si enim cognovissent, » nunquam Dominum gloriæ crucifixissent[5] : » Similiter David : « Dominus virtutum ipse est rex gloriæ[6]. » Una enim gloria Patris, et Filii et Spiritus sancti. « Gloriam » meam, » ait Scriptura, « alteri non dabo[7] : » neque enim Filius est alter Deus, sed Verbum unius et solius Dei, quod Deus in Patre dicitur, ut et Pater Deus in Filio vocatur : uti Hesaïas Filium una cum Patre Deum dicens : ait : « Te adorabunt, et in te precabuntur : quoniam in » te est Deus, et præter te non est Deus. Tu enim es Deus » et nescivimus, Deus Israël Salvator. Confundentur et » erubescent omnes qui adversantur illi[8]. » Adversantur autem illi, qui non confitentur eum et Spiritum ejus, esse ejusdem substantiæ cujus est Pater, et præter illum non esse Deum, necnon ii quos pudet passionis et inopiæ ejus. Nemo enim Deum nosse potest, nisi eum qui crucifixus est, et ex mortuis resurrexit, cum sancto Thoma Dominum Deum, confiteatur, qui dicit Discipulis suis : « Si enim cognovissetis me, et Patrem meum utique cog- » novissetis, et amodo cognoscitis eum, et vidistis eum. » Dicit ei Philippus : Domine ostende nobis Patrem et » sufficit nobis. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum

[1] Ephes. IV, 10. — [2] Psal. CXXXVIII, 7. — [3] Ibid. — [4] Act. VII, 2. — [5] 1 Cor. II, 8. — [6] Psal. XXIII, 10. — [7] Isai. XLVIII, 11. — [8] Isai. XLV, 14.

» sum, et non cognovisti me? Philippe, qui vidit me, » vidit et Patrem meum. Et quomodo tu dicis : ostende » nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, et Pater in » me est? Verba quæ ego loquor, a meipso non loquor. » Pater autem in me manens ipse facit opera. Credite » mihi, quia ego in Patre, et Pater in me est. Alioquin » propter opera ipsa credite mihi[1]. » Opus autem erat Dei Patris ejicere dæmonia : in Spiritu tamen sancto, dicebat se ejicere Dæmones : « Si in Spiritu Dei, ait, ego » ejicio dæmonia[2]. » De quo Lucas dixit : « Porro si in » digito Dei ejicio dæmonia[3]. » Aliquando enim Scriptura Christum brachium Patris nominat : Sanctum vero Spiritum, digitum Dei. Nonnunquam Filium Dei, Verbum appellat : Spiritum vero Sanctum : insufflationem Dei.

XX. Ac rursum Apostolus ait : « Cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet enim illum » regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. » Novissima autem inimica destruetur mors : omnia enim » subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat, omnia » subjecta sunt ei, sina dubio præter eum qui subjecit ei » omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et » ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut » sit Deus omnia in omnibus[4]. » Hoc de subjectione mundi ait, quæ in carne ejus subjicitur. Nam de Regno ejus divino, Daniel his verbis locutus est : « et regni ejus » non erit finis[5]. » Quemadmodum Lucas ait, angelum Gabriël ad Virginem de Domino locutum fuisse : « Et regnabit, *inquit*, in æternum, et regni ejus non erit » finis[6]. » Apostolus vero ait, Regnum ejus finem habitu-

[1] Joan. xx, 28. Joan ; xiv, 7. — [2] Matth. xii, 28. — [3] Luc. xi, 20. — [4] 1 Cor. xv, 20. — [5] Dan. iii, 100. — [6] Cor. xv, 25.

rum. « Oportet enim illum regnare, *inquit*, donec ponat » omnes inimicos sub pedibus ejus[1]. » Similiter et David : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis : » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo- » rum[2]. » Quod igitur dicit, « sede, » initium significat : et quod ait, « donec ponantur inimici tui[3], » finem indicat. « Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse » Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia : ut sit » Deus omnia in omnibus[4] : » id est, cum omnes Filio subjecti, ejusque membra reperti, ac in illo filii Dei effecti fuerimus, « vos enim, inquit, unum estis in Christo » Jesu[5]; » tunc ipse pro nobis Patri subjicietur, ut caput pro suis membris. Quamdiu enim omnia ejus membra subjecta non fuere, tamdiu ipse qui est caput eorum, Patri subjectus non erat, dum propria membra expectaret. Si vero unus fuisset ex subjectis, ab initio Patri subjectus fuisset, et non in fine. Nos enim sumus qui in eo Patri subjicimur : et nos sumus qui in eo regnamus, donec ponantur inimici nostri sub pedibus nostris. Nam propter inimicos nostros Dominus cœlorum in similitudinem nostrum factus est : accepitque humanum illud solium David Patris sui secundum carnem : ut reædificaret et restauraret illud. Ut cum instauratum fuerit, omnes in ipso regnemus, et tradat ipse Patri humanum regnum instauratum : « Ut sit Deus omnia in omnibus[6], » regnans per ipsum, ut per Verbum Dei, postquam regnaverit ipse per eum, ut per hominem Salvatorem.

XXI. Et cum Petrus dicat : « Certissime sciat ergo » omnis domus Israël, quia et Dominum eum, et Chris- » tum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis[7]; » non de Divinitate ejus dicit, quod Dominum ipsum, et

[1] Luc. I, 33. — [2] I Cor. XV, 25. — [3] Psal. CVIII, 1. — [4] I Cor. XV, 28 — [5] Galat. III, 28. — [6] I Cor. XV, 28. — [7] Act. II, 36.

Christum fecerit; sed de humanitate ejus, quæ est universa Ecclesia, quæ in ipso dominatur et regnat, postquam ipse crucifixus est : et quæ ungitur ad Regnum cœlorum; ut cum illo regnet, qui seipsum pro illa exinanivit, et qui induta servili forma, ipsam assumpsit. Verbum enim et Filius Dei, semper erat Dominus et Deus : neque postquam crucifixus est, factus est Dominus, et Christus : sed uti supra dixi, humanitatem ejus Dominum et Christum effecit Divinitas ejus. Cumque ait : « Pater, » si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen » non mea voluntas, sed tua fiat[1] : » Et, « Spiritus qui» dem promptus est, caro autem infirma[2] : » duas voluntates ibi ostendit : alteram humanam, quæ est carnis : alteram divinam, quæ Dei est. Siquidem humana ob infirmitatem carnis, deprecatur passionem; divina autem ejus voluntas prompta est. Ut vero Petrus audiens de passione timuit, et dixit : « miserearis tui Domine : » increpans autem illum Dominus ait : « Vade post me Satana, » scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, » sed ea quæ hominum[3] ; » ita et hic intelligitur : in similitudinem enim hominum factus, deprecatur passionem, ut homo : Deus autem cum sit, et secundum substantiam divinam impassibilis existat, alacriter passionem, et mortem excepit : quia impossibile erat eum sub mortis imperio detineri : quippe qui Deus erat in similitudinem hominum factus : qui sponte sua moritur, et propria virtute excitatur, utpote Deus, ut ait David : « Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus[4]: » et iterum, « Exurge Domine Deus meus in præcepto quod man» dasti ; et Synagoga populorum circumdabit te. Et prop» ter hanc in altum regredere, Dominus judicabit popu-

[1] Matth. XXVI, 29. — [2] Matth. XXVI, 41, et Marc. XIV, 38. — [3] Matth XVI, 23. — [4] Psal. LXVII.

» los[1]. » Alibi autem dicit Apostolus : « Passus est ex in» firmitate : sed vivit ex virtute Dei[2]. » Virtus autem Dei est Filius : qui passus est ex infirmitate, id est ex conjunctione cum carne : et qui passionem ut homo deprecatus est ; jam vero vivit per suam virtutem.

XXII. Et cum Dominus dicat in Evangelio secundum Joannem : « Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant » te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Chris» tum[3] ; » idem Joannes alibi Filium ait verum Deum, nam « scimus, inquit, quoniam Filius Dei venit, et dedit » nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus » in vero in Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, » et vita æterna[4]. » Itaque verus Deus est Filius, priusquam homo fieret : et postquam factus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Hoc enim est quod dicit, et quem misit Jesum Christum, unitum Patri secundum Spiritum, nobis vero secundum carnem : et sic mediatorem Dei et hominum. Qui non solum homo ; sed etiam Deus est, quemadmodum et Hieremias dicit : « Hic » est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus » eum. Hic adinvenit omnem viam scientiæ, et tradidit » illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. Post hæc » in terris visus est, et cum hominibus conversatus est[5]. » Quandonam autem cum hominibus conversatus est, nisi quando genitus est cum illis ex fœmina, infans cum illis fuit, cum illis crevit, et cum illis comedit? Et alibi ait : « Profundum cor ejus super omnes : et homo » est, et quis cognoscet eum? » Similiter Hesaïas dicit : « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, cujus » principatus factus est super humerum ejus. Et vocatur » nomen ejus magni consilii Angelus, Admirabilis, Con-

[1] Psal. VII, 8. — [2] 2 Cor. XIII, 4. — [3] Joan. XVII, 3. — [4] 1 Joan. V, 20. — [5] Bar. III, 36. — [6] Jer. XVII, 9.

» siliarius, Deus fortis, Potens, Princeps pacis, Pater futuri sæculi[1]. » Et alibi dicit : « Ecce virgo in utero » concipiet, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus » Emmanuel, quod explicatum est, nobiscum Deus[2]. » Deus igitur est, qui natus est ex Virgine, et qui factus est homo ex Maria Deipara. Et rursum alibi dicit : « Vidi- » mus eum, et non habebat speciem neque pulchritudi- » nem[3]. » Viderat enim illum prius in divina et gloriosissima forma sua, sedentem super solium excelsum et elevatum, cum Seraphim eum glorificabant dicentes : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth[4]. » Et postea vidit eum servi forma indutum, et in similitudinem hominis factum. Propterea dicit : « Vidimus eum, » et non habebat speciem, neque pulchritudinem. Sed » species ejus sine honore et deficiens plusquam omnium » filiorum hominum. Vir in plagis constitutus, et sciens » ferre infirmitatem. Quia immutatus est vultus ejus a » suo statu : despectus, et non reputatus est. Hic languo- » res nostros fert, et pro nobis cruciatur. Et nos putavi- » mus eum esse in labore, in plaga, et in afflictione. » Ipse vero vulneratus est propter iniquitates nostras : in » languore fuit propter scelera nostra[5]. » Et alibi de ipso dicit : « Ecce Deus noster judicium reddit, et retri- » buet. Ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur » oculi cæcorum, et aures surdorum audient. Tunc saliet » sicut cervus claudus, et expedita erit lingua balbo- » rum[6]. » Et iterum alibi ait : « Non Angelus, neque le- » gatus ; sed ipse Dominus salvavit nos[7]. » Et David ait : « Mater Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, et » ipse fundavit eam Altissimus[8]. » Nam is homo qui in illa natus est, ipse est Altissimus : ut et in alio Psalmo

[1] Isai. IX, 6. — [2] Isai. VII, 14. — [3] Isai. LIII, 2. — [4] Isai. VI, 3. — [5] Isai. LIII, 2. — [6] Isai. XXXV, 4. — [7] Isai. LXIII, 9. — [8] Psal. LXXXVI, 5.

ait : « Et cognoscant quia nomen tibi Dominus : tu solus » Altissimus super omnem terram[1]. » Hæc autem ex parte descripsimus, ut quemadmodum dicit Apostolus; « Jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur » omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia » ad circumventionem erroris[2]. »

[1] Psal. LXXXII, 19. — [2] Ephes. IV, 14.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

NECNON EPISCOPORUM,

Ægypti et Lybiæ nonaginta,

EPISTOLA

CONTRA ARIANOS :

Ad honoratissimos in Africa Episcopos [1].

I. Satis quidem sunt quæ a dilecto et comministro nostro Damaso magnæ Romæ Episcopo, et a tot Episcopis una cum illo coactis, nec minus ea quæ ab aliis Synodis in Gallia et in Italia celebratis, scripta sunt de sana et orthodoxa fide : quam Christus largitus est, Apostoli prædicarunt, et quam tradidere Patres, qui ex universo orbe nostro Nicæam convenerunt. Ideo enim tanta sollicitudine de ariana hæresi actum fuit, ut qui in eam lapsi essent, ab ea retraherentur, et ut noti forent auctores ejus. Huic igitur totus olim assensit orbis, et hoc tempore compluribus celebratis Synodis, moniti omnes per Dalmatiam, Dardaniam, Macedoniam, Epi-

[1] Scripta anno circiter 369.

ros, Græciam, Cretam et alias insulas, Siciliam, Cyprum et Pamphyliam, Lyciam, Isauriam, universam Ægyptum, Lybias, et plerique ex Arabia, hanc comprobarunt : admiratique sunt eos qui subscripserant, quia scilicet si qua apud illos ex Arianorum radice residua erat sursum pullulans amaritudo, Auxentius nempe, Ursacius, Valens, et qui eamdem quam isti tuentur sententiam; illi, inquam, ipsi per ea scripta abscissi rejectique fuerant. Sufficiunt itaque satisque sunt, uti supra diximus, Nicæna decreta, cum ad subversionem omnes impiæ hæreseos, tum ad tutelam utilitatemque ecclesiasticæ doctrinæ. Quia tamen audivimus nonnullos hujus oppugnandæ cupidos, quamdam Synodum quasi Arimini celebratam in medium afferre, atque omnem movere lapidem ut ea, potius quam Nicæna, obtineat, necesse duximus vos litteris monere nostris, ut ne hujusmodi homines toleretis : nihil quippe aliud illud est, nisi nova arianæ hæresis fruticatio. Nam qui Synodum adversus hanc hæresin celebratam, Nicænam scilicet, repudiant, quid optant aliud, quam ut Arii sententia vim obtineat? Quid ergo dignum illis, nisi ut Ariani et ipsi nuncupentur, et eadem qua illi plectantur pœna? homines qui nec Deum timuerunt dicentem : « Ne transferas » terminos æternos, quos posuerunt Patres tui[1] : *et*, » Qui maledixerit Patri suo vel matri morte moria» tur[2] : » nec Patres quidquam reveriti sunt, qui anathemate percusserunt omnes qui sub Confessioni adversa sentirent.

II. Enimvero ideo œcumenica fuit Nicæna Synodus, trecentis decem et octo coactis Episcopis, ut de fide ageretur arianæ impietatis causa; ne deinceps per partes seu provincias, fidei obtentu variæ celebrarentur Syno-

[1] Prov. xxii, 28. — [2] Exod. xxi, 17.

di; immo si celebrari contingeret, ne prævalerent. Quid enim deest ipsi, ut nova quis requirat? Plena utique pietatis est ipsa, dilecti : totum illa replevit orbem. Hanc Indi, hanc quotquot apud Barbaros alios Christiani sunt, agnoverunt. Vanus certe conatus eorum qui illam plerumque oppugnavere. Tales enim viri, jam decem, immo plures Synodos celebrarunt, mutataque in singulis sententia, quædam a prioribus detraxere; in sequentibus quædam immutarunt, alia addiderunt. Nihil hactenus profuit ipsis, quod scribant, scripta deleant, vim inferant : ignorantes illud, « Omnis plantatio » quam non plantavit Pater cœlestis eradicabitur[1]. » Domini autem verbum per œcumenicam Nicænam Synodum prolatum in æternum manet. Si enim numerum numero quis compararit, tanto plures sunt Nicæni illis peculiaribus, quanto tantum est sua parte majus. Quod si quis internoscere velit quid causæ sit quod Nicæna Synodus, quid quod aliæ sint celebratæ, is comperiet Nicænam quidem legitimam habere causam : alias autem odio, contentione, vi coactas esse. Illa enim ob arianam hæresin, et ob Paschatis solemnitatem convocata fuit : quia Syri, Cilices et qui in Mesopotamia degunt, a nobis dissentiebant, et eodem quo Judæi tempore Pascha celebrabant. Sed gratia Domino, quod cum de fide, tum de sancta illa solemnitate omnium una mens fuerit. Et hæc quidem Nicænæ Synodi causa, aliæ vero post illam innumeræ sane sunt, sed contra œcumenicam Synodum institutæ.

III. His ita comprobatis, quis eos admittat, qui Ariminensem aut aliam Synodum præter Nicænam in ore habent? aut quis eos non oderit; qui abjectis Patrum decretis, recentiora Arimini per vim et contentionem

[1] Matth. xv, 13.

constituta, illis anteponunt? Quis autem cum iis convenire velit hominibus, qui ne sua quidem ipsi approbant? Nam qui in suis decem aut pluribus etiam Synodis; uti ante diximus, modo illa, modo alia scripserunt, palam sane fecere se singulas earum incusare. Idem porro iis accidit, quod olim proditoribus illis Judæis : ut enim illi, derelicto unico aquæ viventis fonte, foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquam continere non valebant; ut apud Hieremiam Prophetam scriptum est[1]; sic et isti adversus unam et œcumenicam Synodum decertantes, multas sibi Synodos effoderunt : vacuæque omnes illæ fuere, quasi « manipulus infructuosus[1]. » Ne feramus igitur viros qui Ariminensem Synodum, aut aliam memorant præter Nicænam. Nam illi ipsi qui Ariminensem in ore habent, ignorare videntur ea quæ illic gesta sunt : alioqui de illa silerent. Scitis enim, dilecti, didicistisque ab iis qui e vestra provincia Ariminum se contulere, quomodo Ursacius, Valens, Eudoxius et Auxentius, quibuscum illic erat et Demophilus, cum præter illa quæ Nicææ constituta fuerant, alia quædam scribere vellent, depositi sunt. Quando rogati, ut arianam hæresin anathemate damnarent, re illi negata, maluerunt illius esse patroni. Episcopi contra qui sinceri erant servi Domini, et sana fide præditi, numero ferme ducenti, solam Nicænam Synodum satis sibi esse scripserunt, et præter illam nec plus nec minus quærendum aut sentiendum esse. Hæc item Constantio significarunt, qui Synodum celebrari jusserat. Verum qui Arimini depositi fuerant, Constantium adeuntes, effecerunt ut indignissime acciperentur illi, minis quoque additis, non licitum fore illis qui contra se sententiam tulissent, ad proprias Ecclesias remigrare, vimque ipsos in Thracia,

[1] Jer. II, 13. — [2] Osc. VIII, 7.

illa ipsa hyeme, perpessuros; ut eo pacto res a se innovatas illi tolerarent.

IV. Si qui ergo Ariminensem Synodum proponunt, proferant primum eorum, quos memoravi, depositionem, atque Episcoporum rescripta dicentium, præter ea quæ a Patribus Nicææ declarata fuerant, nihil quærendum esse : nec aliam Synodum, præter illam, memorandam. Sed hæc quidem dissimulant : ea vero quæ in Thracia per vim gesta sunt, obtendunt : ex quibus conspicuum est, eos arianæ quidem hæreseos histriones, a sana autem fide alienos esse. Quod si quis magnam illam Synodum, cum istorum Synodis mutuo conferre voluerit, illorum pietatem, istorum dementiam deprehendet. Qui Nicæam convenerunt nequaquam antea depositi fuerant, sed ex Patris substantia Filium esse confessi sunt. Isti autem semel atque iterum, immo tertio Arimini depositi, scribere ausi sunt, non dicendum esse, Deum habere substantiam aut hypostasin. Ex quibus animadvertere licet, fratres, Nicænos Patres Scripturas spirare, cum dicat ipse Deus in Exodo quidem : « Ego sum qui » sum[1]; » per Hieremiam vero : « Quis est in substantia » ejus, et vidit verbum ejus[2]; » et paulo post : « et si « stetissent in hypostasi mea, et audissent verba mea[3]. » Hypostasis autem substantia est, neque aliam habet significationem, quam, hoc ipsum quod est . quod Hieremias vocat ὕπαρξις, seu existentiam dicens : « Et non audie- » runt vocem existentiæ meæ. » Nam hypostasis et substantia, idipsum est quod ὕπαρξις seu existentia. Est enim et existit. Hoc cum Paulus intelligeret, Hebræis scripsit : « Qui cum sit splendor gloriæ et figura hypos- » taseos ejus[4]. » Hi vero qui sese et Scripturarum periti putant et sapientes appellant, cum nolint hypostasin in

[1] Exod. III, 14.—[2] Jer. XXIII, 18 et 22.—[3] Jer. IX, 10. —[4] Hebr. I,3.

Deo dicere (hoc enim Arimini, et in aliis suis Synodis conscripserunt (qui non jure depositi sunt, cum et ipsi dicant, ut insipiens in corde suo, « Non est Deus[1]? » Rursum Patres Nicæni docuerunt, Filium et Verbum non esse creaturam aut rem factam, quod legissent : « Omnia » per ipsum facta sunt[2] : et, In illo omnia creata sunt » et consistunt[3]. » Isti vero potius Ariani quam Christiani, in aliis suis Synodis, ipsum creaturam dicere ausi sunt et unam ex rebus factis, quarum ipsum Verbum opifex est et conditor. Si enim per ipsum omnia facta sunt, et ipsum quoque creatura fuerit : ergo seipsum creaverit. Et quomodo potest quod creatur creare? aut qui creat qua ratione creatur?

V. Verum ne sic quidem erubescunt, ea licet dicant, quæ sibi odium apud omnes concilient : temereque Ariminensem Synodum memorent, cum palam sit eos illic damnatos fuisse. Quod vero illam spectat Nicææ conscriptam sententiam, scilicet Filium esse Patri consubstantialem, cujus gratia simulant se cum Nicæna Synodo pugnare, de qua velut culices circumquaque susurrant; in illam certe vel ignorantes impingunt, quemadmodum illi alii qui impingunt in lapidem scandali positum in Sion; aut, licet illam probe norint, propterea decertant nec cessant obmurmurare, quod ea sit vera et accurata contra suam hæresin sententia. Non enim illi verba moleste ferunt, sed suam illic prolatam damnationem. Horumque rursus auctores illi sunt, tametsi rem sibi probe notam dissimulant, quare par fuerit ut ipsi narremus; quo hinc accurata magnæ Synodi diligentia ostendatur. Cum vellent enim Episcopi congregati impias ab Arianis adinventas voces e medio tollere, nempe illud, et non extantibus : illud quoque quod aiunt, creaturam et rem

[1] Psal. XIII, 1. — [2] Joan. I, 3. — [3] Coloss. I, 16. — [3] Rom. IX, 33.

factam Filium esse : et illud, aliquando non erat : et, est naturæ mutabilis; atque Scripturarum voces omnium consensu receptas conscribere; nempe, ex Deo natura unigenitum esse Verbum, virtutem et sapientiam solam Patris, Deum verum, ut ait Joannes : et ut scripsit Paulus splendorem gloriæ, et figuram substantiæ Patris : Eusebiani propriis erroribus pertracti, mutuo colloquebantur : Iis assentiamus, aiebant; nam nos quoque ex Deo sumus : unus enim « Deus ex quo omnia[1] : et, Ve- » tera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Omnia » autem ex Deo[2]. » Cogitabant quoque illud in Pastore scriptum : « Ante omnia crede, unum esse Deum qui » creavit et adornavit omnia, et fecit ea ex non existen- » tibus existere[3]. » Sed Episcopi, illorum vafritiem, et pravum impietatis artificium conspicati, illud, ex Deo, liquidius explicarunt : Filiumque ex substantia Dei esse scripserunt; ita ut creaturæ quidem eo dicerentur ex Deo esse, quod non a seipsis absque causa extitissent, sed initium existendi habuissent; Filius vero solus proprius substantiæ Patris haberetur : quod proprium est unigenito ac vero Verbo apud Patrem. Et hæc quidem causa fuit cur illud, ex substantia, scriptum sit. Rursum Episcopis paucos istos interrogantibus, an dicerent Filium, non creaturam; sed virtutem, sapientiam solam Patris, æternam imaginem per omnia Patri similem, et Deum verum; deprehensi sunt Eusebiani sibi invicem annuere, quod hæc etiam in nos homines caderent : etenim nos ipsi, imago et gloria Dei vocamur, deque nobis dictum est : « Semper enim nos qui vivimus[4]. » Virtutes quoque multæ sunt : « Et egressa est omnis virtus Domini » de terra Ægypti[5]. » Eruca vero et locusta dicuntur

[1] Cor. VIII, 6. — [2] 2 Cor. V, 17. — [3] Pastor. lib. II, Mandat. I. — [4] Ps. CXIII, 18. — [5] Joel. II, 25.

virtutes magnæ. Et, « Dominus virtutum nobiscum, » susceptor noster Deus Jacob[1]. » Immo vero quod Deo simus proprii accepimus, haud levi modo, sed quia fratres nos vocavit. Quod si Filium etiam verum Deum vocant, neque illud ægre ferimus : cum enim factus fuerit, verus existit.

VI. Hæc corrupta mens Arianorum fuit. Verum Episcopi tum quoque intellecta eorum fraude, ex Scripturis has collegere voces, splendorem, fontem, fluvium et figuram substantiæ : illud item, « In lumine tuo videbimus » lumen[2], » et illud, « Ego et Pater unum sumus[3]. » Demum lucidius et compendiose scripserunt, Consubstantialem esse Patri Filium : nam supra dicta omnia hanc habent significationem. Porro quod effutiunt illi, eas voces in Scriptura non esse, vanum ab ipsis commonstratur : cum ex non scriptis impietatem proferant : nusquam enim hæc scripta sunt : ex non existentibus, et illud : aliquando non erat : se se tamen, ex non scriptis licet pie excogitatis verbis, damnatos queruntur. Sed illi, utpote ex sterquilinio orti, vere de terra loquuntur; Episcopi vero nequaquam, voces illas excogitarunt, sed Patrum testimonio freti, ita scripserunt. Siquidem prisci Episcopi ante annos prope centum triginta, cum magnæ Romæ, tum etiam nostræ urbis, scriptis suis eos culpaverunt qui Filium rem factam et Patri non consubstantialem dicerent. Cujus rei non ignarus Eusebius Cæsareæ olim Episcopus, qui cum prius arianæ hæresi suffragaretur postea Nicænæ Synodo subscripsit; in litteris ad suos missis hæc affirmavit; Ex antiquis quosdam eruditos clarosque Episcopos, atque scriptores; scimus circa Patris et Filii divinitatem, consubstantialis nomine usos.

[1] Psal. XLV, 8. — [2] Psal. XXXV, 10. — [3] Joan. X, 30.

VII. Quid igitur adhuc Ariminensem memorant, in qua depositi sunt? Quid Nicænam Synodum recusant, cui etiam Patres sui subscripserunt, et confessi sunt, ex substantia, et consubstantialem esse Patri Filium? quid circumcursant? non enim cum Nicænis tantum Episcopis, sed et cum aliis inter suos clarissimis et cum propriis tandem dimicant. Quorumnam igitur hæredes et successores sunt? quî possunt eos vocare Patres, quorum confessionem recte et Apostolice scriptam non recipiunt? Quod si sese repugnare posse arbitrantur, dicant, aut potius respondeant, ut in sese impingentes coarguantur; num credant Filio dicenti : « Ego et Pater unum sumus : » *et*, qui vidit me, vidit et Patrem[1]. Immo, dicent, hoc quia scriptum est, credimus. Sed quomodonam unum sunt, et quomodo, qui vidit Filium vidit et Patrem; si sic interrogentur, respondebunt sane, Ob similitudinem : nisi cum iis collapsi sint qui affinem suæ sententiam tuentur, et vocantur Anomœi. Sed si rursum sciscitere, qua ratione similis? audacius dicent : Virtute perfecta et consensu, quod idipsum velit quod Pater, et quod nihil velit, nisi quod Pater. Sed discant eum qui ex virtute et voluntate Deo similis sit, mutandi sui arbitrium habere : atqui Verbum nequaquam est tale, nisi forte ex aliqua parte et nostro more, nedum secundum substantiam simile sit. Id enim proprium nobis est qui facti et natura creata præditi sumus. Etenim nos, licet secundum substantiam Deo similes esse nequeamus, tamen in virtute proficientes, Deum imitamur, hoc donante Domino, qui ait : « Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est[2]. Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est[3]. » Opificia autem mutabilia esse, nemo negarit; cum et Angeli prævaricati sint, et Adam

[1] Joan. x, 30, et xiv, 9 — [2] Luc. vi, 36. — [3] Matth. v, 48.

non obedierit, et omnes egeant gratia Verbi. Mutabile autem immutabili Deo simile esse nunquam poterit : ut nec creatum creanti. Quapropter in nos respiciens Sanctus ille dicebat : « Deus quis similis erit tibi[1]? *et,* Quis si» milis tibi in diis, Domine[2]? » Deos dicens illos qui creati quidem, sed participes Verbi sunt, quemadmodum ipse ait : « Si illos dixit deos, ad quos Verbum Dei factum » est[3]. » Res autem quæ alicujus participes sunt, nunquam eædem aut similes ei fuerint cujus sunt participes. De seipso igitur dixit : « Ego et Pater unum sumus[4], » quod scilicet res factæ nunquam hujusmodi sint. Alioqui respondeant qui Ariminensem obtendunt Synodum, an creata substantia dicere possit : « Quæ video Patrem » facientem, hæc et ego facio[5]. » Nam opificia condita sunt, et nihil condunt; sin autem minus, ergo seipsa condiderunt. Certe si, ut dicunt, creatura est Filius, et Pater fecerit eum, plane Filius seipsum condiderit, cum, ut ipse testatur, ea possit facere quæ Pater facit : sed illud absurdum et nunquam constare potest : nemo enim seipsum potest efficere.

VIII. Rursum dicant an possint res factæ dicere : » Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt[6]? » Habet autem ille, quod sit creator, conditor, æternus, omnipotens immutabilis. Opificia autem nec creare possunt, creata cum sint; nec æterna esse, initium quippe existendi habent : nec omnia posse et immutabilia esse, sub imperio enim sunt, naturæque sunt mutabilis, ut Scripturæ dicunt. Ergo si hæc Filii sunt, non ex virtute, ut diximus, sed ex substantia sua illa habet, ut Synodus ait : nec ex alia substantia ipse est, sed ex substantia Patris, cujus hæc sunt propria : quod autem substantiæ

[1] Psal. LXXXII, 2. — [2] Psal. LXXXV, 8. — [3] Joan. X, 35. — [4] Joan. X, 31 — [5] Joan. V, 19. — [6] Joan. XVI, 15.

Patris proprium est, ejusque proles, quid aliud fuerit, aut quomodo appellandum sit, nisi consubstantiale? Nam quæ quis in Patre videt, eadem in Filio conspicit; in Filio, inquam, non ex participatione, sed secundum substantiam. Et hoc est : « Ego et Pater unum sumus [1], » et, « Qui vidit me, vidit et Patrem [2]. » Verum hinc quoque e re fuerit eorum amentiam commonstrare : Si ex virtute quam sequitur velle et non velle, necnon morum profectus, similis est Patri Filius, ut vos dicitis; hæc autem sunt qualitatis propria : ergo Deum dicitis ex qualitate et ex substantia compositum. Ecquis vos ultra ferat talia dicentes? non enim compositus est Deus, qui omnia ut essent composuit : neque talis, qualia sunt quæ ab ipso per Verbum sunt facta, absit. Simplex enim est substantia, in qua nulla qualitas, neque, ut ait Jacobus, » transmutatio aut vicissitudinis obumbratio [3]. » Cum igitur demonstratum sit, eum non ex virtute procedere, quippe nec in Deo nec in Filio est qualitas; ergo substantiæ proprius fuerit : hocque sane fateamini necesse est, nisi plane in vobis intelligentia perierit. Jam quod proprium est, et idem ac substantia divina, et ex ipsa naturale germen, quid aliud fuerit, nisi consequenter genitori consubstantiale : illa quippe nota est filii erga patrem. Et hoc qui negat, is minime credit Verbum esse natura ac vere filium.

IX. Cum rem ita intelligerent Patres, scripserunt, Filium esse Patri consubstantialem; et anathemate damnaverunt eos qui dicerent, Filium ex alia esse substantia : neque verba ejusmodi commenti sunt, sed ea ipsi a priscis Patribus edidicerant, uti diximus. His igitur ita commonstratis, superflua est quæ ab illis affertur Ariminensis Synodus, superflua et alia ab ipsis Synodus de fide appel-

[1] Joan. x, 30. — [2] Joan. xiv, 9. — [3] Jacob. i, 17.

lata. Sufficit enim Nicæna quæ cum priscis Episcopis consentit, in qua Patres ipsorum subscripsere, quos revereri illos oportuit, ne omnia potius quam Christiani habeantur. Quod si post hæc tanta, post priscorum Episcoporum testimonium, post subscriptionem Patrum suorum, quasi eorum ignari, sese simulant consubstantialis vocem reformidare; dicant sentiantque simplicius, ac sincerius, Filium, natura esse filium : anathemate autem damnent, uti Synodus præcepit, eos qui dicunt eum, creaturam, aut rem factam : aut, ex non extantibus, vel, aliquando non erat Filius Dei : et mutabilis, ac variabilis est, et ex alia substantia : et sic ab ariana hæresi refugiant : et confidimus eos, si hæc sinceriter anathemate damnent, statim confessuros, Filium ex substantia Patris et Patri consubstantialem esse. Ideo enim Patres cum dixissent Filium esse Patri consubstantialem, statim addiderunt : Eos autem qui dixerint, creaturam, aut rem factam, aut ex non extantibus, aut, aliquando non erat, anathemate damnat catholicas Ecclesia; ut iis verbis notum facerent, vocem consubstantialis hæc significare. Atque vis hujus vocis, consubstantiale, eo intelligitur quod Filius non sit res creata vel facta et quod, qui dicit consubstantiale, nequaquam credat Verbum esse creaturam : et qui superius dicta anathemate damnat, una sentit Filium esse Patri consubstantialem : cumque dicit consubstantialem, germanum ac verum dicit Dei Filium. Et qui dicit germanum, probe intelligere illud : « Ego et Pater unum sumus [1], *et,* Qui » vidit me, vidit et Patrem [2]. »

X. Cæterum par erat hæc pluribus scribere : verum quia vobis jam horum gnaris scribimus, ideo paucis dictavimus. Optantes ut apud omnes vinculum pacis ser-

[1] Joan. x, 30. — [2] Joan. xiv, 9.

vetur, et omnes qui catholicæ sunt Ecclesiæ, idem dicant, idemque sentiant. Et hæc non quasi docentes, sed quasi admonentes dicimus. Non enim nos soli scribimus, sed omnes Ægypti et Lybiarum nonaginta circiter Episcopi. Omnium enim una hæc est sententia, et cum aliquem abesse contigerit, alii pro aliis subscribimus. Sic nos igitur affecti, cum contigisset nos in unum convenire, litteras quoque dilecto nostro Damaso magnæ Romæ Episcopo misimus, de Auxentio qui Mediolanensem invasit Ecclesiam, cujus illi gesta enarravimus, eum nempe non modo esse arianæ hæreseos sectatorem, sed etiam multis sceleribus obnoxium, quæ cum Gregorio impietatis suæ socio perpetravit : nosque mirari cur nondum depositus et ab Ecclesia ejectus sit Gratiasque retulimus ejus pietati, necnon iis qui in magnam urbem Romam convenerant, quod Ursacio et Valente aliisque qui cum illis sentirent ejectis, catholicæ Ecclesiæ concordiam servassent. Quam cum apud vos quoque servari peroptemus; hortamur vos, ne feratis, ut supra diximus, eos qui fidei occasione, multitudinem Synodorum objiciunt, Ariminensem, Sirmiensem, eam quæ in Isauria, aliam quæ in Thracia, eas quæ Constantinopoli, item quæ Antiochiæ celebratæ sunt, quæ plurimæ sunt et tumultuosæ. Sed apud vos Nicæna solum fides obtineat, quam Patres, promulgarunt, ubi omnes aderant Patres, immo quidam ex illis qui eam nunc oppugnant, uti supra diximus, ipsique subscripserunt; ut de nobis etiam Apostolus dicat : « Laudo autem vos, quod per omnia memores mei estis : » et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis[1]. »

XI. Hæc enim Nicæna Synodus, vere cippus est inscriptus contra universas hæreses. Hæc ipsa, eos qui in Spiritum sanctum blasphemant, ipsumque dicunt esse

[1] I Cor, XI, 2.

creaturam, confutat. Cum enim Patres de fide in Filium pertractassent, statim addiderunt, credimus et in Spiritum sanctum; ut perfectam et plenam de Sancta Trinitate fidem confessi, Christianæ fidei tesseram et catholicæ Ecclesiæ doctrinam in hoc ipso exhiberent. Propalam quippe vobis omnibusque est : et nemini Christianorum hoc dubium fuerit : nos in creaturam minime credere; sed in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus unigenitum. Et in unum Spiritum sanctum : unum Deum in Sancta et perfecta Trinitate cognitum. In cujus nomine baptizati, et in qua Divinitati conjuncti, credimus nos regnum cœlorum hæreditate accepturos : in Christo Jesu Domino nostro, per quem Patri gloria et imperium in sæcula, amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

AD EPICTETUM EPISCOPUM CORINTHI CONTRA HÆRETICOS EPISTOLA.

Domino meo dilecto Fratri et optatissimo Comministro Epicteto, Athanasius in Domino salutem [1].

I. Arbitrabar equidem omnium, qui unquam fuere hæreticorum, vanam loquacitatem, a Nicæna Synodo compressam fuisse. Nam quæ illic a Patribus ex divinis Scripturis promulgata fides est, tum ad impietatem omnem evertendam, tum ad piam in Christo fidem asserendam sufficit. Quamobrem cum hoc tempore variæ Synodi per Galliam, Hispanias et magnæ Romæ celebratæ sint, quotquot eo convenere, eos qui etiam nunc latenter hæresin sapiunt arianam, Auxentium nempe Mediolanensem, Ursacium, Valentem et Gaïum ex Pannonia, communi calculo, quasi uno eodemque concitante Spiritu, anathemate damnarunt. Litteras autem ubique miserunt (quod varia isti Synodorum nomina comminiscerentur) nulla ut deinceps in Ecclesia Catholica nominaretur Sy-

[1] Scripta anno circiter 371.

nodus præter unam Nicænam, quæ omnis hæresis trophæum est, atque in primis arianæ, cujus potissimum causa tunc coacta fuit. His tot tantisque gestis rebus, quid est quod nonnulli disceptare ac quæstiones movere ausint? Qui si ex Arianis quidem sint, nihil mirum eos quæ contra se scripta sunt criminari : quemadmodum et Ethnici, dum illud audiunt : « Simulacra gentium argentum et au- » rum, opera manuum hominum[1], » doctrinam de divina Cruce stultitiam arbitrantur. Sin autem ii qui ejusmodi quæstionibus rem de integro tractare peroptant, ex eorum numero sunt qui recte sentire, et iis quæ a Patribus promulgata sunt favere videntur, nihil aliud præstant, quam quod, ut scriptum est, proximo quidem suo eversionem lutosam propinant, verbis autem decertant non ad aliquam utilitatem, sed ad simpliciorum perniciem[2].

II. Hæc ita scribo postquam legi commentarios a tua pietate mihi oblatos, qui utinam scripti nunquam fuissent, ut ne minima quidem horum memoria transmitteretur ad posteros. Quis enim talia unquam audivit? quis docuit, didicitve? « De Sion » quidem « exibit lex Dei, » et Verbum Domini de Jerusalem[3] : » hæc autem unde prodierunt? Quisnam infernus illud eructavit, corpus ex Maria genitum, esse Verbi divinitati consubstantiale? aut Verbum in carnem, ossa et capillos, et in totum corpus mutatum fuisse, et a natura descivisse sua? Quis autem in Ecclesia, aut a Christianis unquam audivit, Dominum fictione non natura gestasse corpus? Aut quis eo processit impietatis, ut diceret sentiretque, ipsam Deitatem Patri consubstantialem, circumcisam, et imperfectam ex perfecta factam fuisse : et quod Cruci affixum erat, non fuisse corpus, sed ipsam sapientiæ substantiam rerum opi-

[1] Psal. CXIII, 4. — [2] Habac. II, 15. — [3] Isai. II, 3.

ficem ? Quis hæc audiens, Non ex Maria sed ex sua ipsius substantia Verbum sibi passibile corpus efformavit, hæc loquentem Christianum dixerit ? Quis nefariam illam commentus est impietatem, aut cui hoc in mentem venerit dixeritque : Qui ait ex Maria esse Dominicum corpus, is non amplius Trinitatem, sed quaternitatem in Deitate sentit ? Quasi vero qui ita censent dicant, carnem quam ex Maria Salvator induit, ex substantia esse Trinitatis. Jam vero undenam æqualem supradictis impietatem nonnulli evomuere, non minoris, aientes, ætatis esse corpus, quam Verbi Divinitas, sed omnino coæternum illi fuisse, quia ex sapientiæ substantia constat ? Quo pacto viri qui dicuntur Christiani vel ambigere ausi sunt, sitne Dominus qui ex Maria natus est, substantia et natura sua Filius Dei ; secundum carnem veto ex semine David et ex carne Sanctæ Mariæ ortus ? Quinam vero ea temeritate fuerunt, ut dicerent, Christum qui carne passus et crucifixus est, non esse Dominum et Salvatorem ac Deum Filiumque Patris ? Aut quomodo Christiani volunt nuncupari, qui dicunt in Sanctum hominem, perinde atque in unum ex Prophetis, venisse Verbum, nec ipsum hominem factum fuisse, ex Maria corpus assumendo, sed alium esse Christum, et alium Dei Verbum quod ante Mariam et ante sæcula Filius erat Patris ? Aut qua, quæso, ratione Christiani fuerint, qui dicunt alium esse Filium et alium Dei Verbum ?

III. Hæc in Commentariis erant, diversis quidem verbis, sed quibus una eademque sententia visque impietatem spectans inerat. Propter illa mutuo disceptabant concertabantque, qui de confessione Patrum Nicæna gloriantur. Ego vero tuam miratus sum pietatem, quæ res ferat ejusmodi, et quod non illis quidem talia dictitantibus silentium indixerit, nec piam fidem illis proposuerit : ut

vel obtemperantes acquiescerent; vel si repugnarent, pro hæreticis haberentur. Etenim quæ jam memorata sunt, neque dictu neque auditu sunt Christianis tolerabilia, sed ab apostolica doctrina penitus abhorrent. Quocirca eorum dicta, ut jam memorata sunt, ipsis verbis in Epistola conscribenda curavi; ut quisquis audierit, eorum turpitudinem et impietatem animadvertat. Et tametsi oportebat illorum qui hæc commenti sunt stultitiam pluribus arguere et confutare; attamen satius fuisset Epistolam huc desinere, et nihil ultra scribere : quæ enim ita manifeste prava commonstrantur, exagitare et curiosius indagare non expedit, ne a contentiosis hominibus ambigua existimentur : sed sufficit his duntaxat verbis ad illa respondere : Hæc Catholicæ Ecclesiæ non sunt; neque ea est Patrum sententia. Cœterum ne ex perpetuo silentio impudentiæ occasionem malarum illi rerum artifices arripiant, e re fuerit ex divinis Scripturis pauca memorare; fortasse vel hoc modo pudore affecti, turpissimas opiniones excogitandi finem facient.

IV. Heus vos, quî eo animum appulistis ut corpus diceretis esse Verbi divinitati consubstantiale ? (hinc enim ordiri operæ pretium fuerit, ut cum ejus sententiæ fœditas palam fuerit, neque cætera majoris esse pretii conspicuum sit) in divinis certe Scripturis nihil comparet hujusmodi, nam ipsæ Deum in humano fuisse corpore affirmant: sed etiam Patres qui Nicææ convenerunt, non corpus, sed ipsum Filium dixerunt esse Patri consubstantialem, et hunc quidem ex substantia Patris, corpus vero ex Maria esse ex Scripturis item declararunt. Quamobrem aut Nicænam repudiate Synodum, et utpote hæretici hæc aliena inducite : aut si vultis Patrum illorum Filii esse, ne diversam ab eorum scriptis sententiam consectemini. Hac quoque ratione illud quantæ sit absurditatis advertite : si Ver-

bum corpori, quod ex terra naturam tenet suam, est consubstantiale, et aliunde Verbum itidem, juxta Patrum confessionem, est Patri consubstantiale; ipse Pater corpori ex terra facto consubstantialis erit. Ecquid ultra Arianos insectemini, quod dicant Filium esse creaturam, cum ipsi Patrem rebus creatis esse consubstantialem affirmetis, et in aliam impietatem transeuntes dicatis, in carnem, ossa, capillos, nervos et in totum corpus conversum esse Verbum, et a propria mutatum esse natura? Restat enim ut aperte dicatis ipsum ex terra factum fuisse: ex terra enim ossium totiusque corporis natura originem ducit. Quænam igitur hæc tanta dementia ut vobiscum ipsi pugnetis? dum enim dicitis Verbum corpori esse consubstantiale, alterum cum altero conferri significatis: cum vero in carnem mutatum esse affirmatis, ipsi Verbo mutationem affingitis. Ecquis vos ultra ferat hæc vel proferre ausos? Hæresim quippe omnem impietate superastis. Si enim Verbum est corpori consubstantiale, superflua fuerit Mariæ mentio et ministerium, cum corpus ante Mariam ab æterno esse possit, ut est ipsum Verbum; si tamen, ut vos dicitis, consubstantiale est corpori. Quænam item necessitas Verbi adventus, ut vel illud quod sibi consubstantiale erat, indueret, vel mutatum a propria natura, corpus efficeretur? Non enim seipsum Deitas assumit, ut quod sibi consubstantiale est induat. Sed neque peccavit Verbum quod aliorum peccata redemit, ut mutatum in corpus, seipsum pro seipso in sacrificium offerret, ac se ipsum redimeret.

V. Sed non ita se res habet, absit: nam, « semen Abrahæ » apprehendit, » ut ait Apostolus, « unde debuit per om- » nia fratribus similari[1], » et corpus assumere nobis simile. Propterea igitur adest vere Maria, ut ab ea illud as-

[1] Hebr. II, 16.

sumat, et tanquam proprium pro nobis illud offerat. Illamque Hesaïas quidem indicavit dicens : « Ecce virgo[1], » Gabriël vero ad eam mittitur, nec simpliciter ad virginem, « sed ad virginem desponsatam viro[2] : » Ut ex sponsi mentione indicaret Mariam vere hominem esse. Partumque memorat Scriptura, et ait : « Pannis eum involvit[3] ; » ac beata prædicabantur ubera quibus ipse lactatus est, et quasi partu vulvam adaperiente oblatum est sacrificium[4] : hæc autem omnia parientis Virginis erant indicia. Et Gabriël quidem caute ac prudenter annuntiabat illi dicendo, non simpliciter, quod « in te » nascetur, ne extrinsecus corpus ipsi inductum putaretur ; sed, « ex te, » ut quod gignebatur ortum ex illa duxisse crederetur[5], liquido hoc ipsum natura demonstrante, nempe, impossibile esse Virginem citra partum lac habere : impossibile item esse lacte nutriri et pannis involvi corpus, quod nondum naturali partu sit editum[6]. Illud ipsum corpus octavo die circumcisum est, idem a Symeone in ulnas suceptum, idipsum puer evasit, crevit, duodecimque annorum factum est, et ad trigesimum usque pervenit annum[7]. Non enim, ut nonnulli suspicati sunt, ipsa Verbi substantia mutata, circumcisa est, cum sit invariabilis et immutabilis : ipso quidem Salvatore dicente : « Videte, videte, quia ego sum et » non mutor[8] : » Paulo autem scribente : « Jesus Christus » heri et hodie ipse et in sæcula[9] ; » sed in corpore circumciso, gestato, edente, bibente, laborante, cruci affixo et patiente, erat impassibile et incorporeum Dei Verbum. Illud ipsum corpus in sepulchro positum erat, cum Verbum abiit, (licet a corpore minime segregaretur) ut prædicaret « his qui in carcere erant spiritibus[10], » ut ait Petrus.

[1] Isai. VII, 14. — [2] Luc. I, 27. — [3] Luc. II, 7 ; Luc. XI, 27. — [4] Luc. II, 23. — [5] Luc. I, 35. — [6] Luc. III. — [7] Luc. 4. — [8] Malach. III, 6. — [9] Hebr. XIII, 8. — [10] I Petr. III, 19.

VI. Quod potissimum eorum stultitiam arguit qui dicunt, Verbum in ossa et carnem mutatum fuisse : si enim hoc esset, monumento sane opus non fuisset : ipsum enim corpus per seipsum abiisset, quo spiritibus in inferno detentis prædicaret. Jam vero ipsum Verbum prædicandi gratia profectum est : corpus vero, Joseph sindone involutum in Golgotha deposuit [1] : omnibusque propalam factum est, corpus non fuisse Verbum, sed Verbi corpus fuisse [2]. Hoc ipsum, cum a mortuis resurrexisset, Thomas contrectavit, fixurasque clavorum in illo conspexit, quos Verbum ipsum sustinuerat, dum illos corpori suo vidit affigi, neque id prohibuit cum prohibere posset, sed quæ corporis erant propria sibi ipsi incorporeo existenti, propria efficit. Quocirca cum a ministro corpus cæderetur, quasi ipsummet pateretur, aiebat, « Quid me cædis [3] ? » Et cum Verbum natura sua intactile esset, dicebat tamen : « Dorsum meum » dedi ad flagella, maxillas autem meas ad alapas : fa» ciemque meam non averti a probro sputorum [4]. » Nam quæ humanum Verbi corpus patiebatur, hæc ipsa Verbum quod corpori conjunctum erat ad se referebat, ut nos Verbi Deitatis participes fieri possemus. Ac illud perquam mirabile fuit, idem fuisse patiens et non patiens; patiens quidem quatenus proprium ipsius corpus patiebatur, et quatenus in ipso patiente erat; non patiens autem, quia Verbum cum natura sua Deus sit, impassibile est. Et ipsum quidem incorporeum in passibili corpori erat, corpus vero in seipso habuit Verbum impassibile, quod ipsius corporis infirmitates absumeret. Cæterum hoc ideo agebat, et ita se res habebat, ut nostra Verbum suscipiens, offerensque in Sacrificium, penitus absumeret, ac deinceps suis nos induens, Apostolo

1 Marc. xv, 46. — 2 Joan. xx, 25. — 3 Joan. xviii, 23. — 4 Isai. l, 6.

hæc dicendi occasionem daret : « Oportet corruptibile » hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere » immortalitatem [1]. »

VII. Hæc autem non fictione facta sunt, quemadmodum nonnulli existimarunt, absit; sed Salvatore vere homine facto, hinc totius hominis salus consecuta est. Nam si fictione duntaxat Verbum in corpore fuit, ut illi autumant, et si quod dicitur fictione esse, phantasia est; sequitur ut, secundum impiissimum Manichæum, specie tantum tenus salus et resurrectio hominum fieri dicatur. Verum nequaquam fictitia res est salus nostra, neque solius corporis; sed vere totius hominis, animæ scilicet et corporis, salus in ipso Verbo facta est. Humanum itaque natura erat quod ex Maria prodiit, secundum divinas Scripturas, verumque erat Domini corpus : verum, inquam, fuit, cum idem atque nostrum extiterit. Soror etenim nostra est Maria, omnes quippe ex Adamo orti sumus. Nec quisquam hac de re dubitabit, si quidem eorum meminerit quæ Lucas scripsit. Nam postquam a mortuis surrexisset, cum quidam existimarent, se non in corpore ex Maria genito Dominum aspicere, sed illius loco spiritum videre, dixit ille : « Videte manus » meas et pedes meos, et fixuras clavorum, quia ego » ipse sum. Palpate me et videte, quia Spiritus carnem » et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc » dixisset, ostendit eis manus et pedes [2]. » Ex quibus jure coarguantur qui dicere ausi sunt, Dominum in carnem et ossa mutatum fuisse. Non enim dixit, ut me videtis carnem et ossa esse; sed, habere : ne ipsummet Verbum in res illas transformatum fuisse censeretur, sed illas et ante mortem et post resurrectionem habere crederetur.

[1] 1 Cor. xv, 33. — [2] Luc. xxiv, 39.

VIII. His igitur ita commonstratis, supervacaneum est alia attingere, aut hæc ultra agitare : cum et corpus in quo Verbum erat, non consubstantiale Deitati, sed ex Maria vere genitum sit : et cum ipsum Verbum in carnem et ossa conversum non fuerit, sed in carne extiterit. Nam quod a Joanne dicitur : «Verbum caro factum » est [1], » eadem est significatione, ut ex simili loquendi modo deprehendere licet : apud Paulum quippe scriptum est : « Christus factus est pro nobis maledictum [2]. » Et sicut non ipse factus est maledictum : sed quia maledictum pro nobis suscepit, idcirco dictum est ipsum factum fuisse maledictum; sic et Verbum caro factum est, non quod in carnem mutatum fuerit, sed quod carnem viventem pro nobis assumpserit, et homo factum sit. Nam dicere, « Verbum caro factum est [3], » idem est ac dicere, « Verbum homo factum est, » prout in Joele dicitur, « Effundam de Spiritu meo super omnem car» nem [4] : » non enim bruta animantia ista promissio spectabat, sed homines duntaxat, quorum gratia Dominus homo factus est. Cum igitur dictum illud ea sit significatione, merito sese coarguent quicumque existimant, ante Mariam fuisse carnem ex ea assumptam, et ante ipsam Mariam, Verbum humanam habuisse animam, in qua ante suum adventum semper extiterit. Silebunt etiam qui dicunt, carnem non esse mortis capacem, sed immortalis esse naturæ. Si enim mortuus non est, quomodo Paulus Corinthis tradidit quod et accepit. « Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris » secundum Scripturas [5] » Aut quî tandem resurrexerit, si mortuus non est? Multum autem erubescent, qui vel semel cogitaverint posse pro Trinitate fieri quaternita-

[1] Joan. I, 14. — [2] Gal. III, 13. — [3] Joan. I, 14. — [4] Joel. II, 28. — [5] I Cor. XV, 3.

tem, si corpus ex Maria esse dicatur. Nam si, aiunt, corpus Verbo consubstantiale dicamus, Trinitas manet Trinitas, nihil in ipsam extraneum inducente Verbo : sin corpus humanum ex Maria genitum dicamus; necesse est ut cum corpus sit extraneum secundum substantiam, et in ipso sit Verbum, quaternitas pro Trinitate, propter corporis accessionem efficiatur.

IX. Hæc cum ita loquuntur non cogitant quo pacto secum ipsi pugnent. Etenim licet ex Maria corpus esse negarint, sed ipsi Verbo consubstantiale dixerint : nihilominus (licet ipsi dissimulent ne ita sentire existimentur) eo ipso juxta eorum mentem, quaternitatem illos dicere demonstrabitur. Quemadmodum enim Filius, juxta Patrum doctrinam, quamvis sit Patri consubstantialis, non est ipse Pater, sed Filius Patri dicitur consubstantialis; sic corpus Verbo consubstantiale, non est ipsum Verbum, sed aliud a Verbo distinctum; cumque aliud sit, Trinitas ex ipsorum sententia quaternitas erit. Neque enim vera, ac vere perfecta et indivisibilis Trinitas accessionem admittit; sed illa duntaxat, quam ipsi commenti sunt. Et quî, amabo, Christiani sunt qui alium Deum, præter eum qui revera est, comminiscuntur? Iterum in altero illorum sophismate ingentem stultitiam deprehendere licet : si quod Scripturæ dicant, corpus Salvatoris ex Maria et humanum esse, ideo pro Trinitate quaternitatem dici existimant, quasi accessio quædam ex corpore facta sit; multum hallucinantur, dum rem factam factoris exæquant, et arbitrantur posse Deitatem accessionem admittere : ignorantque non propter augmentum Deitatis Verbum carnem factum esse, sed ut caro resurgeret : neque ut præstantius redderetur Verbum, ex Maria prodiisse, sed ut humanum genus redimeret. Cur ergo existimant, corpus a Verbo re-

demptum et vivificatum, Verbo vivificanti ad Deitatem incrementum aliquod addere? Nam potius humano corpori, ex Verbi communione et conjunctione, ingens facta est accessio : ex mortali enim factum est immortale, et cum animale esset factum est spirituale, cumque ex terra factum esset, cœlestes portas penetravit. Porro Trinitas, etiam Verbo ex Maria corpus sumente, Trinitas semper est, neque accessionem admittens, neque diminutionem; sed perfecta semper est, et in Trinitate una Deitas agnoscitur, et sic unus Deus Verbi Pater in Ecclesia prædicatur.

X. Eadem autem ratione ii quoque jam silebunt qui aliquando dixere, eum qui ex Maria prodiit, nec Christum, nec Dominum vel Deum esse. Si enim Deus in corpore non erat, quomodo statim atque ex Maria prodiit, vocatus est « Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus[1]? » Cur item Paulus, si Verbum in carne non erat, Romanis scripsit : « Ex quibus est Christus » secundum carnem, qui est super omnia Deus benedic» tus in sæcula, amen[2]. » Quapropter qui prius negabant, eum qui crucifixus est esse Deum, se errasse fateantur, ac divinis omnibus Scripturis fidem habeant, Thomæ potissimum, qui cum in illo clavorum vestigia conspexisset, exclamavit, « Dominus meus et Deus » meus[3]. » Filius enim, Deus et Dominus gloriæ cum esset, erat tamen in corpore ignominiose clavis affixo, et contumeliis affecto. Corpus autem in ligno quidem vulneribus confossum patiebatur, et ab ejus latere sanguis et aqua manabat. Cum autem Dei Templum esset, Deitate repletum erat. Quocirca sol quidem cum creatorem suum in corpore contumeliis affecto tolerantem videret, radios contraxit, terramque tenebris offudit.

[1] Matth. I, 23. — [2] Rom. IX, 5. — [3] Joan. XX, 28.

Ipsum vero corpus natura prædítum mortali, supra suam naturam propter Verbum quod in ipso erat, resurrexit : et amisit quidem naturalem suam corruptibilitatem : induto autem quod supra hominem erat Verbo, incorruptibile factum est.

XI. Quod vero nonnulli comminiscuntur et dicunt : quemadmodum in singulos Prophetas Verbum advenit, ita quoque in quemdam hominem Mariæ Filium venisse, inutile est agitare; cum eorum insania manifestam sui confutationem præ se ferat. Si namque Verbum ita advenit cur hic homo ex Virgine, et non ex viro et muliere ipse quoque prodiit? sic enim quisque Sanctorum genitus est. Aut cur, si Verbum ita venerit, cujusque mors non dicitur pro nobis tolerata, sed illius tantum? Quare item cum ad singulos Prophetas Verbum advenerit, dicitur tamen ad solum Mariæ Filium semel in consummatione sæculoram advenisse? Aut cur Verbo ita veniente, ut venerat in Sanctos illos qui prius extiterant, alii quidem omnes mortui cum sint, nondum resurrexerunt, solus vero Mariæ Filius post triduum resurrexit? Aut quare cum simili modo ad alios Verbum venerit, solus Mariæ Filius dicitur Emmanuel, quasi corpus ejus Deitate repletum et ex illa genitum sit? Nam illud, Emmanuel, significat, Nobiscum Deus. Vel quare si ita venerit, quolibet Sanctorum comedente et bibente, laborante et moriente, non dicitur ipsum Verbum comedere et bibere, laborare et mori, sed de solo Mariæ Filio ita dicitur? Quæcumque enim corpus istud passum est, hæc quasi ipso patiente Verbo dicta sunt. Et cum de aliis omnibus dictum sit duntaxat, quod geniti et nati sint, de solo Mariæ Filio dictum est : « Et Verbum caro factum est[1]. »

[1] Joan. 1, 14.

XII. Ex quibus ostenditur ad reliquos quidem Sanctos Verbum factum esse ut prophetarent; ex Maria autem Verbum carne assumpta hominem prodiise, qui natura quidem et substantia Verbum Dei erat, secundum carnem autem ex semine David et ex carne Mariæ homo factus est, ut ait Paulus. Hunc Pater in Jordane et in monte manifestavit dicens : « Hic est Filius meus dilec-» tus in quo mihi conplacui [1]. » Hunc Ariani quidem abnegarunt, nos vero agnoscentes adoramus, nec Filium a Verbo dividimus, sed agnoscimus ipsum Verbum esse Filium per quem omnia facta sunt, et per quem nos redempti sumus. Quapropter mirati sumus quod in rebus ita manifestis apud vos contentio oborta sit. Sed gratia sit Domino, quia quantum ex commentariorum lectione contristati sumus, tantum sumus rerum istarum exitu lætati. Cum concordia enim discesserunt, piæ et orthodoxæ fidei confessione inter se conciliata pace. Ea certe res me multum prius deliberantem, ad hæc pauca scribenda compulit : verebar enim ne forte ex taciturnitate, pro gaudio tristitia illis oboriretur, qui ex concordia nobis causam lætitiæ suppeditarunt. Rogo igitur tuam pietatem primum, secundo auditores, ut hæc cum bona conscientia recipiatis : et si quid a pietate deficiunt, illud corrigatis mihique indicetis. Quod si, utpote ab homine imperito, non pro dignitate rei, nec satis accurate ista conscripta sint, veniam detis omnes nostræ in dicendo imbecillitati. Saluta omnes qui tecum sunt, Fratres. Te omnes qui nobiscum sunt salutant. Salvus in Domino vivas, dilecte et vere optatissime.

[1] Matth. III, 17.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA

Ad Adelphium Episcopum et Confessorem,

CONTRA ARIANOS[1].

I. Perlectis his quæ a tua religione scripta sunt, tuam quidem in Christum pietatem vere approbavimus, laudesque Deo in primis persolvimus, qui tibi hujusmodi est largitus gratiam, ut et recte sentires, nec Diaboli fraudes, quantum scire licet, ignorares : non potuimus vero non admirari perversum hæreticorum animum, qui adeo in profundum impietatis demersi sunt, ut nullum jam sensum conservent, sed corruptam omni ex parte habeant mentem. Certe hujusmodi facinus Diabolum auctorem habet, estque ad improborum imitationem Judæorum. Nam ut illi undique convicti, rationes adversus seipsos excogitabant, eo tantum ut Dominum negarent, et quæ prædicta sunt, in seipsos attraherent : sic et isti

[1] Scripta anno circiter 371,

cum se undique notari, suamque hæresim omnibus execrandam esse vident, sese scelerum auctores non verentur facere; ut contra veritatem pugnare non desistentes, vere Christi hostes permaneant. Unde enim illi, id exortum malum est? Qui omnino novam hanc calumniam contra Salvatorem proferre ausi sunt[1]? Sed, ut planum est, mala res est impius, ac revera reprobus circa fidem. Primum enim negata unigeniti Filii Dei divinitate, ejus saltem corporeum adventum cognoscere simulaverunt: nunc autem paulatim delapsi, hanc quoque repudiarunt sententiam, atque omni ex parte athei facti sunt, ut ipsum neque agnoscant Deum, neque hominem factum esse credant. Nam si crederent, ea sane locuti non fuissent, quæ tua pietas adversus ipsos scripsit.

II. Tu igitur, dilecte et vere optatissime, rem ecclesiasticæ traditioni et Christi religioni valde consentaneam peregisti, cum hujusmodi homines refutasti, invitasti, objurgasti. Quando vero, Diabolo ipsorum patre impellente, « nescierunt, neque intellexerunt[2], » uti scriptum est, sed « in tenebris ambulant; » discant a tua pietate pravam eam illorum sententiam, Valentini, Marcionis et Manichæi esse, quorum alii pro veritate meram speciem induxere, alii individua dividentes, illud Scripturæ negavere, « Verbum caro factum est, et » habitavit in nobis[3]. » Quare igitur cum eadem quæ illi sentiant, eorumdem nominum hæredes non fiunt? Siquidem æquum est illos ipsorum vocari nomine, quorum perversam sequuntur sententiam, ut jam deinceps Valentiniani, Marcionistæ et Manichæi vocitentur. Forte enim ob illorum nominum infamiam erubescentes, animadvertere poterunt in quantum impietatis profundum ceciderint. Par sane fuisset nihil amplius illis respondere,

1 2 Tim. III, 8. — 2 Psal. LXXXI, 5. — 3 Joan. I, 14.

uti Apostolus his verbis monet [1]: « Hæreticum hominem » post unam et secundam correptionem devita, sciens » quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit cum » sit eo ipso condemnatus [2] : » maxime cum etiam Propheta de iisdem dicat : « Stultus stulta loquetur, et cor » ejus vana cogitabit [3]. » Verum quum illi, ducis sui exemplo velut leones circumeant, quærentes quem e simplicioribus devorent, idcirco necessarium nobis fuit tuæ pietati rescribere, ut fratres tua iterum instructi admonitione, eorum futilitatem magis magisque deprehendant.

III. Itaque rem creatam non adoramus : absit. Ethnicorum enim et Arianorum est hujusmodi error. Sed rerum creatarum Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus. Et si enim ipsa caro seorsum spectata, pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus : sed ut superius diximus, hæc, « Verbum » caro factum est [4], » non ignorantes, idem Verbum in carne existens, Deum agnoscimus. Quis ergo adeo demens sit, ut Domino dicat : Recede a corpore ut te adorem ? Vel quis eo devenit impietatis, ut cum insanis Judæis eidem propter corpus dicat : « Quare tu, homo cum » sis, facis teipsum Deum [5]? » Atqui talis non fuit leprosus ille ; Deum enim in corpore existentem adoravit, eumque Deum esse his agnovit verbis, « Domine, si vis, » potes me mundare [6]. » Nec vero ille Dei Verbum arbitratus est propter carnem rem creatam esse, nec quia Verbum rerum omnium creatarum opifex est, carnem qua indutum erat vilipendit ; sed universi creatorem

[1] Tit. III, 10. — [2] Isai. XXXII, 6. — [3] I Petr. V, 8. — [4] Joan. I, 14. — [5] Joan. X, 33. — [6] Matth. VIII, 2.

tanquam in creato templo adoravit, effectusque mundus ipse est [1]. Sic etiam mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, credidit, tactisque tantummodo ejus vestis fimbriis, sanata est : mare similiter agitatum fluctibus audivit Verbum carnem factum, ac sedata tempestas est : cæcus item natus sputo carnis sanatus a Verbo est. Quod autem majus est et admirabilius, (fortassis enim id impiissimis illis scandalum fuit) etiam in ipsa cruce pendente Domino, (nam ejus erat corpus, in eoque erat Verbum) sol obscuratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt ut et Templi velum, et multa sanctorum corpora, qui dormierant, surrexerunt [2].

IV. Hæc quidem ita contigere, nemoque, uti nunc audent Ariani, secum dubitavit, utrum incarnato Verbo credendum et parendum esset; sed illi hominem intuentes, eumdem opificem esse suum intelligebant : humanamque audientes vocem, nequaquam propter humanam naturam Verbum rem creatam aiebant esse, sed magis etiam contremiscebant, eumque nihilo secius suspiciebant ac si e Templo sancto loqueretur. Cur igitur non verentur impii homines ne, « sicut non probaverunt Deum habere in notitia, » tradantur « in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt [3] ? » Nec enim rem creatam adorat res creata, neque rursus ob carnem Dominum suum refugit adorare [4] : sed vidit in corpore creatorem suum, atque in nomine Jesu omne genu flexum est et flectetur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitebitur, tametsi Arianis non placet, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Neque enim dedecus Verbo caro attulit : absit; sed ipsa potius ab illo gloriam accepit. Nec item,

[1] Matth. IX, 20; Ibid. VIII, 26; Joan. IX, 6. — [2] Luc. XXIII, 45. — Matth. XXVII, 51. — [3] Rom. I, 28. — [4] Philip. II, 10.

quia formam servi accepit Filius, qui in forma Dei est, diminutus divinitate est [1] : sed contra, universæ carnis rerumque omnium creatarum liberator ipse fuit. Et vero si Deus Filium suum misit ex muliere genitum, nihil sane dedecoris, sed potius gloriam et gratiam magnam nobis res illa comparavit. Siquidem factus homo est, ut nos in seipso Deos efficeret : factus est ex muliere, et genitus est ex Virgine, ut errantem nostri ortum transferret in seipsum, atque jam nos genus sanctum et divinæ consortes naturæ efficeremur, quemadmodum scripsit Beatus Petrus : Unde « quod impossibile erat legi, in quo » infirmabatur per carnem, Deus misso Filio suo in si- » militudinem carnis peccati, et de peccato damnavit » peccatum in carne [2]. »

V. An non igitur illi, qui assumptam a Verbo carnem, quo omnes homines liberaret ex mortuis exsuscitaret, a peccatisque redimeret, vilipendunt, vel ejus causa Filium Dei tanquam rem factam creatamve calumniantur, ingrati omnique odio digni videri debent? Tantum enim non ita clamant ad Deum : Ne mittas Filium tuum unigenitum in carnem : noli ipsum carnem ex Virgine accipere, ne nos a morte et peccato liberet. Nolumus hunc nasci in corpore, ne mortem pro nobis suscipiat : nolumus Verbum carnem fieri, ne nostri ad te progressus mediator in ea fiat, cœlestesque domos incolamus. Claudantur cœlorum januæ, ne tuum Verbum per carnis suæ velamen nobis iter ad cœlos renovet. En quas illi voces Diabolica cum audacia proferunt, qua eadem instigante, prava sibi ipsi excogitavere commenta. Nam qui Verbum carnem factum adorare recusant, hi ingratos in ejus benignitatem se se exhibent, qua humanam assumpsit naturam. Qui autem Verbum a carne dirimunt, hi profecto

[1] Philip. II, 6, 7. — [2] 2 Petr. I, 4; Rom. VIII, 3.

nullam peccati redemptionem nullamve mortis solutionem autumant fieri. Ubinam vero carnem, quam Salvator accepit, seorsum positam reperient impii, ut et dicere audeant : Nos non adoramus Dominum cum carne, sed corpus separamus, et soli Domino servimus? Sane beatus Stephanus Dominum a dextris stantem vidit [1] : Angeli quoque Discipulis aiebant, « Sic veniet quemad» modum vidistis eum euntem in cœlum [2]. » Quin et ipse Dominus Patrem alloquens dixit, « Volo ut ubi sum » ego, et illi semper sint mecum [3]. » Si igitur caro a Verbo nequit dividi, an non necesse est illos aut errore deposito jam Patrem in nomine Domini nostri Jesu Christi adorare, aut, si Verbum carnem factum adorare illique servire noluerint, ac omnibus rejici, nec amplius censeri Christianos, sed vel inter Ethnicos vel inter Judæos annumerari?

VI. Hæc ergo, ut supra diximus, insania et temeritas illorum est. Nostra autem fides recta est, atque ex doctrina Apostolica deducta, et Patrum traditione, nec non cum novi tum veteris Testamenti auctoritate confirmata. Hæc enim sunt Prophetarum verba, « Emitte Verbum » tuum et veritatem tuam [4] : » et, « Ecce Virgo conci» piet et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emma» nuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus [5]. » Quid porro illud est quam Deum in carne factum esse? Idem quoque Apostolica docet traditio, tum Beato Petro dicente, « Christo igitur pro nobis carne passo [6] : » tum Paulo scribente, « Expectantes beatam spem et adventum » gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui » dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni » peccato, et mundaret sibi populum peculiarem, et

[1] Act. VII, 55. — [2] Ibid. I, 11. — [3] Joan. XVII, 24. — [4] Psal. XLII, 5. — [5] Isai. VII, 14; Matth. I, 23. — [6] I Petr. IV, 1.

» sectatorem bonorum operum [1]. » Quomodo ergo seipsum pro nobis dedisset, nisi carnem gestasset? hanc enim offerens, semetipsum pro nobis dedit, ut mortem in illa subeundo, Diabolum mortis imperium habentem profligaret [2]. Hinc gratias semper agimus in nomine Jesu Christi, neque gratiam nobis per ipsum præstitam repudiamus. Corporea enim Salvatoris præsentia mortis fuit pretium, et rerum omnium creatarum salum. Quocirca, carissime et optatissime, hi quidem qui diligunt Dominum, ex dictis commonefiant : qui vero imitantur Judam, et Dominum deserunt, ut Caïpham sequantur, ex iisdem dedoceantur, si modo velint, tandemque erubescant. Noverint igitur nos, cum Dominum in carne adoramus, non rem creatam adorare, sed creatorem creato indutum corpore, quemadmodum supra explicavimus.

VII. Vellem vero ut tua pietas hoc ab illis sciscitaretur. Nempe cum Israëlitæ Jerosolymam jubebantur ascendere, ut adorarent in templo Domini, ubi videlicet arca erat, supra quam Cherubim gloriæ obtegebant propitiatorium, benene agebant, an male? Si male agebant : cur hi qui legem istam negligerent, mulctabantur? Scriptum enim est, « Qui contempserit nec ascenderit, peri» bit de populo. » Sin autem recte agebant, eaque in re accepti erant Deo, annon sexcenties mori digni sunt scelerati turpissimique omnium hæreticorum Ariani, qui veteris populi erga Templum reverentiam laudant, et Dominum in carne tanquam in templo existentem adorare renuunt? Atqui vetus Templum et lapidibus et auro, velut umbra, constructum erat : postquam autem advenit veritas, jam evanuit figura, nec lapis super lapidem, secundum dominicam vocem, in eo mansit, qui non fue-

1 Tit. II, 13, — 2 Hebr. II, 14.

rit eversus [1]. Nec vero illi Templum ex lapidibus ædificatum contuentes, ipsum etiam Dominum, qui in eo loquebatur, rem creatam putabant esse : neque Templum despicientes, procul inde adoraturi recedebant; sed in illud ingressi; Deo oracula e Templo edenti rite serviebant. Quæ cum ita sint, an non adorari dignum est sanctissimum vereque venerandum Domini corpus, quod quidem ab Archangelo Gabriele annunciatum, a Spiritu sancto formatum, ac Verbi factum est indumentum [2]? Hujus corporis Verbum manu extenta mulierem febri laborantem sanavit, et voce humana emissa Lazarum revocavit ad vitam [3] : idemque manibus rursus in cruce extensis, principem potestatis aëris, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, prostravit, puramque ad cœlos nobis viam paravit [4].

VIII. Quapropter qui contemnit templum, Dominum qui in templo est contemnit : et qui Verbum dividit a corpore, gratiam nobis in ipso datam rejicit. Nec vero impiissimi Ariani, eo quod creatum corpus est, Verbum quoque creatum esse debent existimare : nec item, quia creatum non est Verbum; de ejus corpore detrahere sibi licere putent. Siquidem permira est mentis illorum perversitas, qua et omnia conturbant permiscentque, et causas excogitant, quo solum creatorem inter res creatas possint collocare. Verum audiant quæ sumus dicturi : Si Verbum res creata esset, creatum non assumpsisset corpus, ut illi vitam impertiret. Ecquid enim auxilii res creata rei creatæ ferre possit, cum ipsa salute indigeat? Sed quia Verbum, cum creator sit, rerum creatarum fuit opifex : ideo in fine sæculorum rem creatam induit, ut eam, tanquam creator, resarciret et repararet. Nec enim res creata rem creatam posset salvam facere, quemad-

[1] Matth. xxiv, 2. — [2] Luc. iv, 38. — [3] Joan. xi, 1. — [4] Ephes. ii, 2.

modum nec res creatæ a re creata potuissent creari, nisi Verbum creator fuisset. Desinant igitur deinceps Scripturas divinas false interpretari, neque sint scandalo simplicioribus fratrum : sed, si quidem velint, sententiam mutent et ipsi, nec jam rebus creatis potius quam Deo omnium creatori serviant[1].Sin vero in sua perseverare impietate malunt, se solos ea infici satis habeant, dentibusque non secus ac ipsorum Pater Diabolus strideant, quando quidem fides Catholicæ Ecclesiæ Dei Verbum rerum omnium creatorem et opificem esse agnoscit, scimusque quod « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum[2] : » ipsum item propter nostram salutem factum adoramus hominem, non quidem ut æquale in æquali factum corpore, sed ut Dominum qui servi accepit formam, necnon ut opificem et creatorem qui in re creata fieri voluit, ut omnia in ipsa liberans, mundum offerret Patri, cunctaque pacificaret sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt[3]. Sic enim et paternam ejus agnoscimus divinitatem, et præsentiam corpoream adoramus, disrumpantur licet Ariani. Saluta omnes qui Dominum nostrum Jesum Christum diligunt. Valere te et memorem nostri apud Dominum esse precamur, carissime vereque optatissime. Hæc etiam, si opus fuerit, Hieracæ presbytero recitari cupimus.

[1] Rom. I, 25. — [2] Joan. I. — [3] Coloss. I, 20.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

AD MAXIMUM PHILOSOPHUM.

Dilecto ac vere optatissimo Filio, Maximo Philosopho, Athanasius in Domino salutem [1].

I. Perlectis iis quæ a te modo scripta sunt, tuam quidem collaudavi pietatem; sed vehementer admiratus hominum temeritatem, qui non intelligunt, neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant, silere omnino statueram [2]. Siquidem de rebus tam evidentibus luceque ipsa clarioribus respondere, nihil aliud est quam impudentiæ ansam hujusmodi improbis hominibus præbere. Id vero vel ab ipso didicimus Salvatore [3]. Nam postquam Pilatus manus lavisset, ac Judæorum calumniam admisisset, nihil ei amplius respondit Dominus, sed potius ejus uxorem oraculo monuit [4], ut ne ex verbis sed ex potentia is, qui judicabatur, Deus esse crederetur [5]. Idem autem ipse qui nihil ad Caïphæ ineptias responderat, promissione sua omnes ad sui cognitionem traduxit. Hinc igitur diu

[1] Scripta anno circiter 371. — [2] 1 Tim. 1, 7. — [3] Matth. xxvii, 24. — [4] Ibid. 19. — [5] Matth. xxvi, 63.

ipse distuli, vixque tandem, eorum commotus impudentia et loquacitate, tuo pro veritate cessi ardori. Nihil tamen plus dictavi iis quæ a te scripta sunt, ut quibus repugnavit adversarius, iisdem jam persuasus prohibeat linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum [1]. Utinam vero non amplius cum prætereuntibus tunc Judæis suspenso in cruce exprobrent, Si Filius Dei est, seipsum salvum faciet [2]. Quod si nec sic illos suæ audaciæ pudeat, tu præcepti apostolici memor, « Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, » sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, » cum sit proprio judicio condemnatus [3]. » Nam si Gentiles sunt aut ex Judaïzantium numero qui talia audent, illi quidem, ut Judæi, scandalum, vel, ut Gentiles, stultitiam esse arbitrentur Christi crucem [4]. At si se Christianos simulant esse, discant crucifixum Christum, Dominum gloriæ, Deique virtutem et sapientiam esse [5].

II. Quod si dubitent utrum sit Deus, Thomam revereantur, qui crucifixum manibus contrectavit, eumque Dominum et Deum esse affirmavit [6]. Immo ipsum timeant Dominum, qui lotis Discipulorum pedibus ait : « Vos vocatis me, Dominus et magister, et bene dicitis : sunt » etenim [7]. » Atqui quo in corpore pedes lavit, in eodem peccata nostra in lignum sustulit [8]. Tunc autem palam rerum omnium agnitus est Dominus, cum scilicet sol radios contraxit suos, terra tremuit, scissæ petræ sunt, ipsique carnifices agnoverunt crucifixum vere Filium Dei esse. Nec enim hominis cujuspiam sed Dei erat corpus quod cernebatur, in quo cum esset et cum crucifigeretur, mortuos excitabat. Quocirca nec ferenda illorum audacia

[1] Psal. xxxiii, 14. — [2] Matth. xxvii, 40. — [3] Tit. iii, 10. — [4] 1 Cor. i, 23. — [5] Ibid. ii, 8; Ibid. i, 24. — [6] Joan. xx, 28. — [7] Joan. xiii, 13. — [8] 1 Petr. ii, 24.

est, qua Dei Verbum dicunt ad Sanctum aliquem hominem factum esse, (id enim singulis Prophetis aliisque Sanctis viris contigit) ne in singulis eorum natus, in singulis eorum moreretur. Verum non ita est : absit. Sed semel in fine sæculorum, eliminandi peccati causa, Verbum ipsum factum caro est, et ex Maria virgine prodiit homo nobis similis, qui et idem ad Judæos ait, « Quid » me quæritis interficere, hominem qui veritatem vobis » locutus sum [1] ? » Nec item corporis alius cujusdam hominis participes facti, sed ipsius Verbi corpus accipientes, dii efficimur.

III. Certe illud etiam per mihi mirum visum est quod vel cogitare ausi sint eum naturæ communi ordine hominem factum fuisse. Nam si ita se haberet, supervacanea profecto esset Mariæ commemoratio. Siquidem virginem absque viri consortio parientem ignorat omnino natura. Quapropter Patre comprobante, ille cum verus Deus et natura Verbum atque Patris sapientia esset, homo propter nostram salutem corpore assumpto factus est, ut habens quod pro nobis offerret, salvos nos omnes faceret, qui timore mortis per totam vitam obnoxii eramus servituti [2]. Non enim aliquis alius homo semetipsum pro nobis dedit, cum omnis homo mortis esset reus, juxta illud quod in Adamo ad omnes dictum est, « Terra es, et in terram » reverteris [3]. » Nulla etiam res alia creata præstare id poterat, cum omnis sit mutabilis. Sed ipsum Verbum corpus proprium obtulit pro nobis, ne videlicet in hominem fides et spes nostra esset, sed ut in ipsum Deum Verbum fidem haberemus. Profecto ipso homine facto, videmus « gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum » gratiæ et veritatis [4]. » Quæ enim per corpus toleravit, hæc eadem, ut Deus, magnifice exornavit. Hinc carne

[1] Joan. VIII, 40. — [2] Hebr. II, 15 — [3] Gen. III, 19. — [4] Joan. I, 14.

quidem esuriebat, at esurientes pascebat tanquam Deus. Unde si cui corporea ejus acta offendiculo sunt, ex his quæ ut Deus agit, credere nihil cunctetur[1]. Namque interrogat quidem ut homo, ubi jaceat Lazarus, sed ipsum ut Deus ad vitam revocat. Nemo igitur irridens objiciat puerum eum fuisse ætateque crevisse, manducasse, bibisse et passum esse, ne si ea quæ corporis propria sunt negaverit, penitus etiam neget ejus propter nos adventum. Ac quemadmodum non consueto naturæ ordine homo factus est, ita convenit ipsum, corpore assumpto, ejus proprietates in se exhibere, ut ne ficta Manichæi incarnatio vim obtineret. Rursus vero par eum erat ita se se corpore ostendere, ut quæ divinitatis propria sunt non occultaret, ne Samosatensi esset errandi causa, qui nempe hominem eum esse atque alium a Verbo dixit.

IV. Hæc igitur intelligens infidelis, discat illum infantem quidem jacuisse in præsepio, sed magos, a quibus adoratus est, sibi subdidisse : discat puerum eum descendisse in Ægyptum, sed idololatriæ simulacra deturbasse : discat carne quidem crucifixum ipsum esse, at mortuos multo jam tempore corruptos exsuscitasse. Denique palam factum est ipsum non propter se sed propter nos omnia sustinuisse, ut nos ejus passionibus impassibilitatem et incorruptionem induentes, vitam viveremus æternam[2].

V. Hæc autem breviter, ex tuis, ut dixi, mutuatus, dictavi, quibus nihil aliud duxi addendum, nisi quod solius crucis meminerim, ut quæ incuriosis scandalo fuerunt, his ipsis, mutata sententia, adduci possint ut crucifixum adorent. Tu autem infideles rite perdoce : forte enim futurum est ut relicta inscitia ad veritatis cognitionem perveniant recteque credant. Tametsi vero satis sunt quæ tu ipse scripsisti, haud ab re tamen fuerit hæc ad-

[1] Joan. XI, 34. — [2] I Cor. XV, 53.

monitionis causa, propter litigiosos illos homines addidixisse; ut scilicet non quasi ob ea quæ ausi sunt, convicti erubescant, sed ut, tanquam commonefacti, veritatis non obliviscantur. Vim enim habeant quæ Patres Nicææ sunt confessi : recta quippe illa sunt idoneaque ad omnem evertendam hæresim, et maxime arianam, quæ in Dei Verbum injuriosa est, proindeque in Sanctum ejus Spiritum impia. Saluta omnes qui recte sentiunt : te salutant omnes qui nobiscum sunt.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

De Incarnatione Domini nostri Jesu Christi [1],

CONTRA APOLLINARIUM [2].

LIBER PRIMUS.

I. Hic pii viri mos est indefessus, dilecte mi, ut silentio veneretur τὸ πᾶν (id est universum) et cum gratiarum actione Deum benefactorem alta voce concelebret : juxta Scripturæ sententiam qua dicit : « Sedebit solitarius et » tacebit, et requiescet, et quæ propria sibi sunt faciet. » Illud autem, « solitarius, » et illud : « propria [3] ; » id est proprium vitæ institutum considerate et cum judicio disponere, et Dei mandatum curare. Sed quia ingentem apud eos defatigationem conspicatus, qui hæc ipsa dicere non dubitant, de nostra me fide percontatus es : et quæ sit culpa rogasti, eorum, qui se probe sentire rati nihil

[1] Scripta anno circiter 372. — [2] Vid. D. Guillon, t. v, p. 236-237. — [3] Thren. III, 28.

verentur tamen, pro suprema animi sui intemperantia, impia proferre verba; quibus seducti qui instabiles sunt in fide, se errare non intelligunt : nam si stabiles in fide essent, dictis hujusmodi nunquam obtemperassent. Dum autem mens eorum otio torperet, ejusmodi traditionibus suscipiendis idonei fuere : ex quibus ingens arrogantia, et multa malitia exoritur. Præ odio autem cæcutientes, Prophetarum testimonia, Apostolorum documenta, Patrum præcepta, ipsasque manifestas Domini voces in pravum sensum detorquent. Quos pro viribus confutare operæ pretium fuerit, ut ita quidam saltem eorum, vel recipiscentes rem animadvertant, vel alios decipere non valeant, dum apertissimam Christi comprehensionem pollicentur : « Non intelligentes neque quæ loquuntur, » neque de quibus affirmant[1]. »

II. Nam Patres quidem dixere, consubstantialem esse Patri Filium, ac Deum verum ex Deo vero, et perfectum ex perfecto. Qui deinde descendit propter nostram salutem, incarnatus et homo factus est, ac postmodum passus est et resurrexit. Sed ne quis audita passione et resurrectione, Deum Verbum mutatum esse cogitaret; immutabilem, et invariabilem esse Filium damnatione adhibita definiunt. Isti vero aut mutationem Verbi comminiscuntur : aut Passionis dispensationem meram esse phantasiam suspicantur : atque interdum increatam cœlestemque Christi carnem, aliquando Deitati aiunt esse consubstantialem. Deinde, inquiunt, vice interioris, qui in nobis est, hominis, mentem cœlestem inesse Christo. Nam figura illa dicunt qua induebatur, instar organi usus est : neque enim possibile erat, perfectum hominem illum fieri. Ubi enim perfectus homo, ibi et peccatum : itemque duo perfecta unum fieri non possunt. Alioqui in Christo erit

1 1 Tim. 1, 7.

ea, quæ in nobis est, pugna peccati : opusque erit ei illa apud nos fieri solita purgatione : si Christus homo factus quod in nobis cogitat et carnem movet in seipso suscepisse exhibeatur. Sed assumpsit, inquiunt, corpus absque mente, ut ipse mens in illo esset, expers omnino peccati, cum ratione divinitatis, tum ratione carnis, quæ absque mente sit. Neque enim peccat caro ejus, qui carnem movet, id est, qui cogitat, si is prius peccati actum non mente conceperit; et si per corpus ad peccati consummationem operatus non fuerit. Unde carnis quidem novitatem Christus commonstravit pro ratione similitudinis : novitatem autem ejus qui in nobis cogitat, per imitationem, et similitudinem, et abstinentiam a peccato, unusquisque in seipso exhibet. Et sic Christus sine peccato intelligitur.

III. Hæc sunt illorum sophismata, et ad res detorquendas consilia : neque unus est illorum sermo : multa enim incredulitatis diverticula, humanis ratiocinationibus excogitata. Proponamus igitur illis divini placiti voluntatem (nam « juravit, inquit, Dominus, et non pœ» nitebit eum[1] ») ac verissimæ œconomiæ consummationem et absolutissimi beneficii gratiam : mutuoque sciscitemur, ut eorum exploremus mentem : num propheticis prædictionibus consonent : num apostolica documenta sequantur : num in Patrum præceptis incedant : num manifestas Die voces non despiciant; ut ex propheticis testimoniis, ex apostolicis documentis, et ex operibus a Domino designatis veritatis confessio, et erroris confutatio subsequatur. Respondete igitur auctores novi secundum vos Evangelii, cum aliud nusquam sit Evangelium; Undenam vobis prædicatum est, carnem increatam esse dicendam; ita ut aut Deitatem Verbi in carnem di-

[1] Psal. civ, 4.

lapsam et mutatam fuisse comminiscamini; aut œconomiam passionis, mortis et resurrectionis, meram phantasiam existimetis. Sola enim sancta Trinitas Deitatis, est increata et æterna, immutabilis et invariabilis. Cum autem Christus secundum carnem ex hominibus duxerit, ortum scilicet ex fratribus nostris, ut scriptum est, ac passibilis sit, et primogenitus ex resurrectione mortuorum, lege idipsum prænuntiante, quomodo, quod increatum est, passibile dicitis? aut quomodo quod passibile est increatum vocatis? Etenim cum increatam Verbi substantiam passibilem dicitis, in Divinitatem blasphematis. Et dum passibilem carnem quæ ossibus, sanguini, animæ, et universo nostro corpori adaptata est, quæque palpabilis et visibilis est, increatam dicitis; duplici lapsu conciditis : aut enim, exhibitionem, et tolerantiam passionis phantasiam existimatis, juxta Manichæorum impietatem : aut talem esse statuitis increatæ Deitatis substantiam. Ecquid adhuc reprehenditis eos qui in humana forma secundum carnem Deum comminiscuntur?

IV. Sed dicitis increatum factum esse, quod unitum sit cum increato. Hinc autem vestrum errorem sese falsi arguere, ostendetur. Nam carnis cum Verbi Divinitate conjunctio ex utero facta est, inde enim ipsi Verbum, cum e cœlo advenisset originem dedit, quippe quæ non erat antequam Verbum adveniret, aut ante Deiparam Mariam, cujus solius origo ex Adamo [1], et genus ex Abraham et Davide ortum narratur, et una sponsi sui Joseph, qui erant duo in carne una, sicut scriptum est [2], non mutua inter se copulatione, sed quod ex uno eodemque originem ducerent; nam quod illibati remanserint, testatum est [3]. Nascitur ergo Christus in Bethleem Judææ, Josephque Patrem suum vocat, qui eamdem quam Maria ex

[1] Matth. I, 1. — [2] Gen. II, 24. — [3] Matth. II.

Davide originem ducebat[1]. In pannis repositus, a Simeone in Templo gestatus[2], et ad circumcisionem carnis secundum legem adductus est, argumentumque accepit ætatis atque staturæ. Si itaque increatus illa unione factus est, quomodo non statim perfectus apparuit, sed pro voluntate Verbi, corpus augmentum accipiebat? Increato autem incrementum ascribere impium est. Nam quod increatum est, natura sua increatum dicitur, nec accessionem, vel diminutionem admittit. Quod autem cum increato quidpiam commune habet, aut ipsi unitur, proprium quidem increato, non tamen ipsum increatum esse dicitur; ne unionis beneficium in oblivionem veniat, et beneficii debitum aboleatur, neve humanum genus, quod adhuc in infirmitate degit, in desperationem cadat, si discat, (quod vos dicitis) nullam esse sibi cum Deo cognationem : neve gratia evanescat. Quis enim increatum si audiat Domini corpus, seque factum, creatumque agnoscat, non intelligat, falsas quidem esse Scripturas, sibique nullam esse cum Christo communionem? Si increatus increatum corpus assumpsit, periit ergo prima formatio, periit archetypus Adam, quo nos usque in hodiernum diem per carnis successionem oriundi sumus. Quomodo igitur Christus nos sui participes constituit? quid est quod Apostolus ait : « Qui enim sanctificat, et » qui sanctificantur ex uno omnes[3]? »

V. Ne quis vero de Divinitate Filii sic cogitare audeat : quod eodem ille modo ex Deo sit, quo nos sumus, ut impiissimi Ariani dicere audent : aut certe illum ex Deo esse secundum carnis speciem, et secundum formam servi hoc est protoplasti Adam, quam accepit qui in forma Dei Deus existit. Profecto inter res creatas, illud dicitur increatum, quod nunquam existit, quia nunquam factum

[1] Luc. III. — [2] Luc. IV. — [3] Hebr. II, 11.

est. Ne igitur dum in Verbo carnem nunquam fuisse existimatis, specioso vocabulo rem ipsam negare in animum inducatis, ut nihil in increato confiteamini. Nam sola Deitatis subsistentia, increata intelligitur; ita ut impium sit vel increatam passibilem, vel passibilem increatam appellare. Conditam enim hominis naturam, non unione Verbo propriam, sed ei coæternam esse Deique naturæ exæquatam per naturæ identitatem, impium est cogitare. Carnis enim et sanguinis ossiumque specimen exhibuit Dominus; necnon animi dolentis, perturbati, anxii. Hæc nemo dixerit naturam Deitatis esse : propria autem Dei secundum naturam facta sunt, cum Verbo placuit humanam subire generationem, suumque ipsius opus in peccato, corruptione, et morte dissolutum, in seipso in novitatis imaginem instaurare. Quapropter peccati quidem condemnationem in terra, maledictionis abolitionem in ligno, a corruptione immunitatem in sepulcro : mortisque solutionem in inferno peregit : omnemque locum permeavit, ut totius hominis salutem perficeret, cum formam nostræ imaginis in seipso exhibuit. Nam quid erat opus Deo ut ex fœmina nasci dignaretur? quid factori sæculorum opus, ut statura et annorum numero cresceret? aut rursus quid opus illi cruce, sepulcro, aut inferno, quibus nos obnoxii facti sumus, nisi nos quæreret, ut per formam, quæ nostræ similis est, nos vivificaret, atque ad similitudinem imitationemque perfectæ imaginis provocaret? Imitatio autem perfectionis, quomodo esse potuerit, nisi prius extiterit absoluta perfectio? juxta illud Apostoli : « Expoliantes vos veterem hominem, et » induentes novum, qui secundum Deum creatus est in » sanctitate, et justitia veritatis[1].

VI. A quo ergo edocti increatum illum dicitis? Si igi-

[1] Coloss. III, 9; Ephes. IV, 24.

tur natura ex mutatione sit increata; ergo et invisibilis fiet, et immortalis; non postquam ex morte resurrexerit, sed mortis prorsus incapax erit. Qua ergo ratione mortuus est Dominus, si increatus increato modo advenerit in terram? aut quomodo visibilis, et palpabilis factus est, sicut scriptum est: « Quod vidimus, et manus nostræ con- » trectaverunt[1]? » Cur itaque ea dicitis, quæ nec scripta sint, nec fas sit cogitare? Omnibus enim hæreticis sententiam suppeditabitis impiissimam, quam tenuit olim is qui Rhetorius vocabatur; cujus impietatem referre horret animus. Aut igitur Divinas negate Scripturas: aut si eas admittitis ne præter ea quæ scripta sunt, alia proferre ex cogitetis insanabilis fallaciæ verba. Sed rursum dicitis: Nos creaturam non adoramus. O stulti! cur non cogitatis, corpus Domini quod factum est, adorationem non exigere, quæ rei creatæ debeatur? Nam increati Verbi corpus, factum est: ac ipsi cujus corpus factum est adorationem affertis vestram. Debita ergo et divina adoratione colitur: Deus enim est Verbum cujus corpus est proprium: quippe cum accesserunt mulieres ad Dominum, illas his prohibet verbis: « Noli me tangere, nondum » enim ascendi a Patrem meum[2], » indicans opus esse Ascensione, et unam fore Ascensionem. Attamen accedentes illæ tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt. Pedes tenuerunt, Deum adoraverunt. Pedes quidem, carnis et ossium contactum præferebant: sed cum Dei essent, Deum illæ adoraverunt. Et alibi quoque aiebat Dominus: « Pal- » pate me et cognoscite: quia spiritus carnem et ossa » non habet[3]: sicut me videtis habere, » quanquam ipse Spiritus sit: « Spiritus enim est Deus[4]. » Et cum dicit ea se habere, simulque ostendit ipsa; cur ait « Spi- » ritus carnem et ossa non habet; ut me, » inquit, quem

[1] I Joan. I, 1. — [2] Joan. XX, 17. — [3] Luc. XXIV, 39. — [4] Joan. IV, 24.

non illa esse, sed illa habere videtis? an ut doceret, Spiritum natura inenarrabilem esse, ipsum autem contactum ad corpus nostro simile pertinere, quod sibi ex Virgine non quadam operandi ratione, sed naturali generatione comparaverat; ut et secundum naturam esset corpus, ac rursus secundum naturam indivisibile esset a Verbi Deitate. Sic enim et mors ejus contigit : corpore quidem secundum naturam suscipiente, Verbo autem per voluntatem eam admittente, et per potestatem suam proprium corpus ad mortem tradente; quo et naturaliter pro nobis pateretur, et divinitus pro nobis resurgeret. Totumque generationis mortisque negotium, nostram perquisitionem, recuperationemque spectat.

VII. Hæc cum ita se habeant, et in confesso sint in Ecclesia Dei Catholica; cur vos rursum dicitis, corpus e cœlo esse? cur Christus illud effecit? Respondete : Anne ut ex cœlo in terram corpus deferret, et invisibile, redderet visibile : contumeliæ incapacem, contumeliæ capacem : impassibile et immortale, mortale et passibile faceret? Ecquidnam in illis beneficii, o inepti, si ea in Christo facta dicatis, quæ in Protoplasto Adam facta sunt? Nisi Adæ lapsum in incomparabilem reparationem Christus, in similitudine carnis peccati apparens, peccatumque in carne condemnans, restituisset; ita ut carne indutus in terra versaretur, et carnem peccati incapacem exhiberet : quam cum ex prima formatione Adam peccati expertem habuisset, ex prævaricatione illam peccati capacem fecit, ac in corruptionem et mortem delapsus est. Hanc Christus suscitat natura impeccabilem; ut ostendat creatorem non esse causam peccati, et ad primariam illam formationem propriæ naturæ eam restituit; ut ipse esset impeccabilitatis specimen. Frustra igitur erronei illi comminiscuntur, atque dicunt, ex

cœlo Christi corpus esse. Atqui quod Adam ex cœlo in terram detulit, illud Christus e terra in cœlum evexit : et quod Adam, cum prius peccati expers, et nulli damnationi obnoxius esset, in corruptionem et damnationem mortis dejecit, idipsum Christus incorruptibile esse, immo a morte liberare ostendit, ita ut potestatem habeat in terra, peccata dimittendi ; ex sepulcro, incorruptionem exhibendi ; in Ascensu ex inferno, mortem solvendi, et resurrectionem omnibus annuntiandi. Quia Deus hominem creavit in incorruptionem, et imaginem æternitatis suæ illum fecit. « Invidia autem Diaboli, » mors intravit in mundum[1]; » quem mortis imperio oppressum in corruptionem, non neglexit ipse factus homo : non versus in hominis formam : neque despiciens hominis substantiam, quasi per umbram et speciem tantum sese ostendit : sed qui natura Deus est, homo nascitur, ut hæc ambo sint unus, in omnibus perfectus, qui naturalem et verissimam nativitatem exhibet. Ideo dictum est : « Et dedit illi nomen quod est super omne » nomen[2], ut regnaret in cœlis, et potestatem haberet reddendi judicii.

VIII. Nam Verbum, quod omnia creavit, filius hominis apparuit, non alienus, sed secundus factus Adam : ut ex ipso nomine agnoscamus veritatem. Ipsumque priorem esse Protoplastum Apostolus ostendit, ubi primum animale memorat, dehinc spirituale. Cum autem animale et spirituale dicit, non alterum et alterum corpus ostendit, sed idem ipsum corpus : primum quidem in potentia et natura animæ, et propterea animale : secundo autem in potentia, et natura Spiritus, idcirco spirituale. Spiritus enim est Deus Verbum, ita enim et quod de nobis dicitur, intelligendum est, cum ait

[1] Sap. II, 24. — [2] Philip. II, 9.

Scriptura : « Spiritualis judicat omnia : animalis autem » non percipit ea quæ sunt Spiritus[1]. » Quanquam unum sit corpus amborum, quod quatenus Spiritus est particeps, spirituale intelligi ostendit, quatenus autem in potentia duntaxat animæ immanet, animale illud declarat. Cur autem, si ita res habet ut vos dicitis, non homo tantum dicitur Christus, quasi novus quidam homo qui de cœlis advenerit; sed et filius hominis factus est? Si igitur in terra factus est filius hominis, licet non ex semine viri, sed ex Spiritu sancto natus sit, Protoplasti, qui unus est, Adam, filius intelligetur. Neque enim, præter Adamum, qui ex terra est, alius quispiam descriptus est homo, qui in cœli fuerit, ut et ex cœlis corpus habeat Christus, et filius hominis sit, ex alio ab Adamo. Quapropter Matthæus quidem, filium Abraham et David illum describit, secundum carnem; Lucas vero eum Adæ, et Dei Filium enarrat. Si itaque Evangeliorum discipuli estis, ne loquamini adversus Deum iniquitatem, Sed Scripturas resque gestas sectamini. Quod si præter ea quæ scripta sunt, alia loqui in animo sit, cur adversum nos decertatis, qui nulla audire, vel eloqui sustinemus præter ea quæ scripta sunt? cum Dominus dicat : « Si manseritis in sermone meo, vere liberi eri» tis[2]. »

IX. Quo pacto igitur aut Fideles aut Christiani habeamini, qui neque secundum verba Scripturæ inceditis, neque rebus gestis fidem habetis; sed auditis ea quæ supra naturam sunt definire? « Numquid parum vobis est » molestos esse hominibus, et cur molesti estis Domino[3]?» Nam si, qui Prophetis non crediderunt, condemnati sunt, quanto magis qui non crediderint ipsi Domino? Etenim quæ ipse voluit, etquæ ipse arbitratu suo egit ad abroga-

[1] 1 Cor. II, 14. — [2] Joan. VIII, 33-36. — [3] Hesd. VII, 13.

tionem peccati et mortis, cur alio et diverso modo enarrare aut cogitare audetis? Si confitemur eum, et ipse confitebitur nos : si negamus, et ipse nos negabit : si fidem illi non habemus, ille fidelis manet, seipsum enim negare nequit. Quænam igitur hujusmodi vestra immensa stultitia, ut loquamini quæ scripta non sunt, et illa sentiatis quæ aliena sunt a pietate? Etenim carnem Divinitati consubstantialem dicere audetis, non advertentes in duplicem vos incidisse impietatem. Idcirco enim in hanc sententiam animum appulistis, ut vel carnem negetis, vel in Deitatem blasphemetis, dicentes : Certe nos eum qui ex Maria natus est, consubstantialem Patri dicimus. Porro hæc vestra, quam præclaram existimatis, loquendi ratio, aut superflua, aut stulta comprobabitur. Etenim qui se fidelibus, non confiteatur, Deum Verbum, qui advenit, et ex sancta Virgine Maria homo prodiit, Patrique consubstantialis est; ex semine Abrahæ cujus filius recensetur hominem esse factum : aut Verbum, Deo consubstantiale, secundum carnem filium David factum esse? Ideo Prophetæ, Apostoli, et Evangelistæ, Christum ex semine David secundum carnem ortum duxisse narrant. Quomodo igitur, cum hæc dicatis, non erubescitis, carnem quæ ex semine David orta narratur, consubstantialem Patri asseverare? Vel rursum, ut aiebamus, hæc stulte dicitis, non intelligentes, quod est consubstantiale, eamdem quidem naturam habere; propriam tamen perfectionem in seipso exhibere. Sicut enim Filius qui consubstantialis Patri declaratur, perfectus in perfecto agnoscitur; sic et Spiritus sanctus : consubstantialis enim est Trinitas. Dabitis ergo consubstantiali carni, perfectionem præter Filii perfectionem : et secundum vos quaternitas pro Trinitate

prædicabitur. Ecquodnam illud tantum impietatis commentum?

X. Sed dicitis : Caro facta est Verbo consubstantialis. Qua ratione facta est consubstantialis? Respondete. Verbum facta est, sed et Spiritus facta est. Sane si ea quæ natura sua Divinitas non est, per mutationem Divinitas efficiatur, cur igitur Arianos arguitis, qui hanc de Verbo sententiam in medium afferunt? Licet Scriptura dicat : « Verbum caro factum est[1]. » Non dictum est, Caro Verbum facta est, sed Verbum caro factum est : quia Verbi facta est caro, et non hominis cujusdam, id est, Deus homo factus est : et dicitur, caro factus est, ne carnis nomen prætermitteretis. Si itaque vobis non sufficit naturalis illa sine confusione Verbi cum propria carne unio : et quod Deus homo factus sit; certe jam neque audire, neque credere vultis, nec satis vobis est, cum id quod omnem commendationem superat, corpus scilicet Dei, audiatis, ubi dicitur : « Qui » transformabit corpus humilitatis nostræ, ut sit con- » figuratum corpori gloriæ suæ[2] : » quæ est futuri sæculi significatio. Et præterea dicitur, corpus gloriæ illius. Ipse quoque Dominus ait : « Cum venerit filius ho- » minis : » Filium Dei, filium hominis factum dicit : judicem quoque vivorum et mortuorum, ac Regem Dominum, et Deum verum. Sed corporis nomen e medio tollere vultis, atque id assequi, ut ne ultra dicatur Christum esse hominem. Quo potestis animo divinas Scripturas adhuc legere? Cum Matthæus quidem scribat : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abra- » ham[3] : » Joannes vero : « In principio erat Verbum, » et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum[4]. » Verbum autem, et Deum et filium David, si divisim

[1] Joan. I. — [2] Philip. III, 21. — [3] Matth. I. — [4] Joan. I.

considerare volueritis, duo ex mente vestra dicta fuerint; sin a divinis edocti Scripturis, credideritis Verbum cum Deus esset filium hominis factum esse; agnoscetis quoniam unus est Christus et Deus, qui et ipse homo est; ut duplex prædicatio ejus adventus facile persuadere posset ejus passionem, et impassibilitatem. Ut cum dicit Apostolus : « Homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum » redemptionem pro nobis, qui est super omnia Deus » benedictus in sæcula, Amen [1]. » Et ad Thimotheum scribens ait : « Memor esto Dominum Jesum Christum ex » semine David resurrexisse a mortuis [2]. » Et ipse iterum inquit : « Mortem ejus annunciamus donec veniat. »

XI. Si igitur ex confessione consubstantialis, carnis nomen de medio tollitis, et sententiam quæ dicit Christum esse hominem; aut non amplius mortem ejus annunciatis donec veniat, atque in hoc Scripturas abrogatis : aut licet mortem Consubstantialis Patri et Spiritui sancto annuncietis, si non confiteamini eum carne passum esse, ipsam Patris et Spiritus sancti Deitatem capacem mortis esse dicetis : ac omnium hæreticorum impiissimi evasistis. Mors quippe carnis, consubstantialis Verbi mors fuit. Neque enim Pater carnem gestavit, neque Spiritus sanctus, ut impie somniarunt Valentiniani : sed, « Verbum » caro factum est. » Ideo nos dum confitemur Deum et hominem Christum esse; nequaquam divisionis causa hæc dicimus, absit; sed quo Scripturis obtemperemus : ut passione ejus vere acta et annunciata donec veniat, in carne quidem Verbi, passionem et mortem confiteamur; ipsum tamen Verbum immutabile et invariabile credamus : quod idem ipsum passum est, et non passum, quodque divina quidem natura impassibile, immutabile et invariabile est : carne tamen passum est, ut

[1] 1 Tim. II, 5. — [2] 2 Tim. II, 8.

dixit Petrus, et mortem gustare voluit : quia factus est « mediator Dei et hominum, homo Christus, qui dedit » semetipsum redemptionem pro nobis [1]. « Et rursum : « Quia factus est mediator Dei et hominum. Mediator » vero unius non est : Deus autem unus est [1]. »

XII. Quapropter errant qui dicunt, alium esse qui passus est Filius, et alium qui passus non est. Non enim alius est quam ipsum Verbum, quod passionem et mortem susceperit. Sed illud ipsum, incorporeum, et impassibile Verbum, cum generationem carnis subire dignatum esset, omnia implevit, ut haberet quod pro nobis offerret. Et dicitur, melius Angelis factum, non quod Verbum factor Angelorum, melius factum sit, quasi aliquando minus illis fuerit : sed forma servi, quam ipsum Verbum propriam sibi naturali generatione reddidit, melior ex Protoplasti generatione exorta est, nosque illi affines reddidit, ut dictum est, cives Sanctorum, et familiares Deo effectos, caro secundum naturam propria Deo facta est; nec tamen consubstantialis est Verbi Deitati, quasi illi coæterna esset. Sed propria illi secundum naturam facta, et indivisibilis propter unionem : ex semine David, Abrahæ, et Adæ, ex quo et nos progeniti sumus. Quod si Verbo consubstantialis est caro, et coæterna; jam hinc dicetis omnes creaturas omnium creatoris Deo coæternas esse. At quî, quæso, adhuc Christiani eritis qui talibus vos laqueis implicatis? Nam quod consubstantiale, impassibile, et mortis incapax est, unionem cum consubstantiali non admittit secundum hypostasin; sed secundum naturam : porro secundum hypostasin, propriam perfectionem exhibet. Itaque per religiosum, ut æstimatis, vestrum commentum, aut carnem ex Virgine et Deipara assumptam negatis, aut in

[1] 1 Tim. II, 5. — [2] Galat. III, 20.

deitatem blasphematis. Si autem eo modo Filium, necnon Spiritum sanctum Patri consubstantialem confiteamini, quo carnem quæ passa est : ecquid ergo nos adhuc accusatis, ut qui quaternitatem pro Trinitate dicamus, cum ipsi quaternitatem pro Trinitate vel inviti confiteamini, dum dicitis, consubstantialem Trinitati carnem esse? Itaque vana est fides vestra : paria enim sentitis cum impiis Arianis, male accipientes illud : « Verbum caro factum est. » Porro Verbum caro factum est, non ut Verbum non amplius Verbum esset, sed Verbum, ut in carne esset, caro factum est, ut et Verbum semper Verbum esset, et Verbum carnem haberet, in qua passionem et mortem sub humana forma susciperet, ac usque ad sepulcrum et infernum descenderet : in qua et resurrectionem ex mortuis perfecit, carnisque et sanguinis atque animæ indicia præbuit Deus Verbum, per propriam et inseparabilem, ut scriptum est, carnem, ex semine David. Quid enim aliud dixit Marcion quam quæ vos profertis? Nonne corpus quod ex cœlo apparuit in similitudine humana, et non in veritate? Quid item aliud locutus est Manichæus? Nonne divina specie corpus, sola similitudine corpus, ab humana carne alienum, cujus naturam et non operationem, peccatum esse impie affirmat. Hujusmodi est illorum impietas.

XIII. Quamobrem nefas est pium hominem hujusmodi verborum commentis uti : sed dicendum est Verbum quod ante sæcula consubstantiale est Patri, in extremis temporibus ex sancta et deipara Virgine, Adæ plasma et opificium novum restituisse, cum illud sibi per unionem proprium effecit : atque ita visus est homo Christus, qui ante sæcula Deus erat. Et nos membra Christi sumus, ut scriptum est, ex carne et ex ossibus ejus. Quorsum igitur, hæc vestrarum inventionum contentio; ut per hu-

manam sapientiam, ea quæ humanam intelligentiam superant, definiatis, dum dicitis, vice interioris nostri hominis, mentem cœlestem in Christo fuisse? O nefariam sententiam, et infirma, indecoraque verba! hominum sane qui non prius animadvertere, Christum non singulariter dici, sed in illo ipso nomine quod unicum est, rem utramque significari, Divinitatem nempe et humanitatem. Ideoque homo dicitur Christus, Deus quoque dicitur Christus, ac Deus et homo est Christus, et unus est Christus. Vanum itaque est vestrum sophisma, quo aliud in Christo præter ipsum Christum conspicere nitimini. Illi quidem qui abusive dicuntur Christi, forte, juxta sententiam vestram spectari possent : qui vero per naturam solus verus est Christus, non ab humana ratione describetur, quod vos temere tentatis, homines sane arrogantia plenissimi. Neque enim Propheta, neque Apostolus, neque Evangelistarum quispiam, illa protulit, quæ vos impudenti plane animo loqui audetis. Si enim alter est Christus a cœlesti mente in eo sita, perfectaque est mens illa, duo ergo, secundum vos, erunt : et sic in eam reciditis sententiam, quam videmini maledictis insectare. Cœlestem vero mentem Prophetæ quoque habuere, qui cœlestia et futura, quasi præsentia fuissent, eloquebantur. Quid igitur hæc omnino dicere in animum induxistis, quasi vero in confesso non esset, interiorem nostrum hominem in Christo esse? Cur hoc de anima quoque loquimini, nempe corpus et animam esse exteriorem hominem, ut de sanguine et carne quis dixerit? Sed sicut corpus et sanguis contactum et vulnera non effugiunt cum sint visibilia; ostendite nobis animam quoque illa non effugere et visibilem esse. Aut si ostendere non potestis, manifestum est, neque videri animam, neque ab homine sicut corpus occidi posse, ut dixit Dominus. Credite igitur,

interiorem nostrum hominem esse animam : quod sane et prima formatio comprobat, et sequens dissolutio propalam facit : atque non solum in nobis, sed et in ipsa Christi morte idipsum commonstratur, quando corpus quidem usque ad sepulcrum tantum pervenit, anima vero ad infernum usque transmeavit, locisque multo spatio distantibus, sepulcrum quidem corporalem adventum excepit, ac ibi corpus adfuit; infernus vero incorporeum admisit.

XIV. Qua ratione igitur, cum Dominus illic incorporaliter adesset, homo tamen a morte existimatus est? ut animabus in vinculis detentis, propriæ animæ formam, incapacem vinculorum mortis, quasi capacem exhibens, præsentibus præsentem, vincula animarum in inferno detentarum disrumperet, resurrectionisque terminum designaret : ut conditor, et factor hominis, et qui hominem damnationi subjecerat, ipse præsens per seipsum, hominem plane in sua ipsius forma liberaret. Nequaquam enim tanta mortis vis fuit, ut subjiceret sibi humanam Verbi animam, ac eam in vinculis detineret : neque rursum corruptio tyrannicam in corpus ejus vim sibi arrogavit, ut putrefaceret ipsum, quasi res nulla providentia gererentur. Ita enim ea de re cogitare, impium fuerit; sed qui de hominis inobsequentia quæstionem habuit, judicium dedit, quo duplicem pœnæ sententiam protulit; terreno corpori dicens : « Terra es, et in terram rever» teris[1] : » atque ita, Domino sententiam ferente, corruptio corpus excipit; animæ autem, « Morte morieris[2] : » et sic in duas dividitur partes homo, damnaturque ad duo secedere loca. Quocirca opus fuit judicante, ut ipse per sese suum solveret decretum, dum in forma damnati, indemnata, et peccati experte visus est; ut et recon-

[1] Gen. III, 19. — [2] Gen. II, 19.

ciliatio Dei cum homine fieret, et libertas totius hominis per hominem oriretur in novitate imaginis Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Quod si mihi alium damnationis locum, præter hos duos indicare valetis, merito dixeritis in tres partes dividi hominem : et ex duobus quidem locis revocationem factam esse; in tertio vero tertiam partem manere vinculis colligatam. Si vero nullum alium locum ostendere potestis, præter sepulcrum et infernum, ex quibus homo perfecte ereptus sit (Christo per suam perfectam et verissimam formam nostræ similem, nos liberante) cur adhuc talia profertis, quasi Deus humano generi nondum reconciliatus sit? Quomodo igitur Salvator advenit? an quod non posset totum solvere hominem? an quod mentem quæ semel peccaverit sit execratus? an quasi timeret, ne et ipse peccati particeps esse, si, cum Deus sit, perfectus homo fieret? Sed impietatis pleni sunt, qui hæc ita cogitant. Quam enim peccato definitionem tribuitis, qui hæc loquimini, peccatum aientes ex natura esse, ut dixit impiissimus Manichæus?

XV. Hæc dum ita sentitis Creatoris naturæ criminatores estis. Cum ab initio Deus Adam efformavit, num innatum ipsi peccatum effecit? Quid igitur præcepto opus fuit? cur illum damnavit quod peccasset? quo pacto Adam ante inobedientiam non cognoverit bonum et malum? Quem scilicet Deus creavit in incorruptionem, et ad imaginem suæ æternitatis, eumdem natura peccati experte, et voluntate libera donavit : « Invidia autem Diaboli » mors intravit in mundum[1], » cum is transgressionis artifex auctorque fuit. Et sic ex transgressione præcepti Dei, factus est homo capax inducti ab inimico seminis. Ac deinceps peccatum in hominis natura ad omnem concupiscentiam movebat : non quod Diabolus eam in illo

[1] Sap. II, 24.

naturam efformasset, absit. Neque enim Diabolus naturæ creator fuerit, ut Manichæorum fert impietas; sed ex prævaricatione, naturæ perversionem effecit : sicque regnavit mors in omnibus hominibus. « In hoc, inquit, » venit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli[1]. » Quænam opera Diaboli dissolvit Filius Dei? quam fecit Deus naturam sine peccato, eam ipsam ad transgressionem mandati Dei, pervertit Diabolus, et ad inventionem peccati mortis eamdem sibi ipsi restauravit Deus Verbum, incapacem diabolicæ perversionis, et inventionis peccati. Ideoque aiebat Dominus : « Venit Princeps mundi » hujus, et in me non invenit quidquam[2]. » Quod si Princeps mundi hujus, nihil operum suorum in Christo invenit; multo magis Christus, nihil ex suis opificiis reliquit Principi mundi hujus. Aut etiam ea de causa nihil invenit in ipso, perfectam novitatem exhibente Christo; ut perfectam salutem totius hominis, animæ nempe et corporis, operaretur : quo perfecta quoque foret resurrectio. Frustra igitur Ariani argutiis utuntur, dum Salvatorem, carnem solam assumpsisse statuunt, ac passionis sensum, ad impassibilem Deitatem impie referunt. Frustra quoque vos, alio commento usi, paria cum illis sentitis, dicentes, ipsum qua circumdabatur forma, id est organica usum fuisse : vice autem interioris nostri hominis, cœlestem mentem in Christo fuisse. Quo pacto igitur dolebat, anxius erat, precabatur? Scriptum est enim : « Et conturbatus est spiritus Jesus[3]. » Hæc autem neque carnis mente carentis, neque immutabilis Deitatis fuerint : sed animæ intelligentia præditæ, dolentis, conturbatæ, anxiæ, et quæ cum intelligentia passionem senserit.

XVI. Quod si hæc sententia non placet, cum tria in promptu sint ea de re judicia, phantasiæ, blasphemiæ,

[1] 1 Joan. III, 8. — [2] Joan. XIV, 30. — [3] Joan. XI, 33.

et veritatis, quodnam elegeritis? Nam si suspicemini illa de sola et mera specie dicta fuisse, ea quæ gesta sunt phantasia quoque existimari debent : sin autem in veritate dicta sint, alienaque omnino facta est anima Domini a proprio cogitandi modo, cum vice mentis Deum Verbum habeat; immutabilem versum fuisse in dolorem, anxietatem, et perturbationem, impium est cogitare. Et si Evangelia dicant : « Turbatus est Jesus Spiritu[1] : » id tamen declarat Dominus de anima intelligendum esse, dum ait : « Anima mea turbata est. » Quod si suæ Dominus animæ cogitationem manifestat, id agit ut animæ nostræ sese attemperet : quo sic et ejus intelligamus passionem, et eum impassibilem confiteamur. Sicut enim sanguine carnis suæ nos redemit : sic cogitatione mentis suæ, quam pro nobis reportavit victoriam his declarat verbis : « Ego vici mundum, » Et alibi : « Qui dedit nobis » victoriam[2]. » Sed sicut sanguis ille, pro vulgari a piis hominibus nunquam habitus fuerit, quod tamen infideles autumant; sed pro salutari sanguine; sic mens illa, non humana infirmitate induitur, sed Dei naturam exhibet. Sicque dicendus fuerit Christus, perfectus Deus, et perfectus homo : non quod divina perfectio in humanam perfectionem mutata sit, quod impium est dicere : nec etiam, quod duæ perfectiones a se invicem divisæ dicantur, quod a pietate alienum est : neque per incrementum virtutis, et accessione justitiæ, absit; sed ratione existentia indeficientis. Ut utraque unus sint, omnino perfectus, idem Deus et homo. Nam idcirco Dominus dicebat : « Nunc anima mea turbata est. » Illud autem, *nunc*, id est, cum ipse voluit. At certe, quod erat, significabat; rem enim non existentem, quasi præsentem nunquam nominasset : nec quasi de rebus quæ sola

[1] Joan. xi, 33. — [2] 1 Cor. xv, 57.

specie existerent, sermo habebatur : hæc enim omnia naturaliter et revera gesta sunt.

XVII. Cum igitur natura et non fictione Dominus homo factus sit ; neque secundum naturam, neque secundum operationem, peccatum in creatorem referre possumus. Nam in nostra quidem natura, et inventionis pugna etiam nunc committitur, et inducti seminis, propter nostram imbecillitatem, fit accessio : Verbi autem incarnatio secundum naturam Dei facta, incapax fuit rerum quæ in nobis ex vetustate adhuc gerebantur : quapropter docemur exuere veterem, et induere novum. Et res mira sane, quod Deus homo factus sit, et absque peccato : quodque omnia nova facta sint, ut hinc potestas ejus explorata esset. Et quidem quæcumque ipse sua voluntate in natura ordinavit; ea quantum voluit, in se suscepit, nativitatem ex muliere, augmentum et staturæ, annorum numerum, laborem, esuriem, et sitim, somnum, dolorem, mortem, et resurrectionem. Ideoque ubi corruptum fuerat hominis corpus, eo Jesus corpus suum immittit : et ubi anima humana in morte detinebatur; ibi Christus animam humanam sibi propriam ostendit : ut tanquam homo adesset, qui in morte detineri non poterat, mortisque imperium solvere, utpote Deus : ut ubi seminata erat corruptio, illic oriretur incorruptio : et ubi regnaverat mors in forma animæ humanæ, ibi immortalis ille præsens, immortalitatem exhiberet : sicque nos suæ incorruptionis et immortalitatis participes constitueret, in spe resurrectionis ex mortuis; ut et corruptibile hoc indueret incorruptionem, et mortale hoc indueret immortalitatem, quemadmodum scriptum est[1] : ut sicut per unum hominem, peccatum intravit in mundum, et per peccatum, mors; sic et per unum hominem Jesum

[1] 5 Rom. XII, 21.

Christum gratia regnaret per justitiam in vitam æternam, ut scriptum est. Cur ergo dicitis pro interiore nostro homine, mentem cœlestem in Christo esse? num quia bifariam diviso exteriore et interiore homine, et in sepulcro, et in inferno apparuit? at non poterat alterum pro altero in redemptionem dari : sed corpus pro corpore, et animam pro anima dedit, ac perfectam subsistentiam pro toto homine. Hæc est Christi commutatio, quam in cruce probis affecere vitæ inimici Judæi, prætereuntes et moventes capita sua. Neque enim nudæ Deitatis accessum infernus sustinuisset : hoc et Prophetæ et Apostoli testantur.

XVIII. Quod autem dictum est, in Crucis œconomia animadvertere licet : quo pacto scilicet Dominus emissione sanguinis carnis veram existentiam commonstrarit : et aquæ additione, incontaminatam puritatem, ac verum esse corpus Dei ostenderit : clamando autem et inclinando caput, spiritumque reddendo; quod intra proprium corpus erat, id est, animam, significarit, de qua et dixerat : « Pono eam pro ovibus meis[3] : » ita ut expirationem nemo dixerit Deitatis transmigrationem; sed animæ dissessum. Nam si per transmigrationem Deitatis, mors et corporis extinctio contigisset; propria morte obiisset, et non nostra. Et quî, amabo, non obtecta Deitate in infernum descendisset? Ubinam igitur illa anima, quam promiserat Dominus se pro ovibus suis positurum, de qua et Prophetæ præfati sunt? Si vero animæ discessus fuit; ideo dictum est, eum nostram mortem suscepisse, hoc est, nostram dissolutionem sustinuisse, ut et nostram nascendi rationem.

XIX. Vanum igitur est vestrum sophisma : nam quî, quæso, mors advenisset, nisi et interiorem et exteriorem

[1] Joan. x, 15.

hominem Verbum in se constituisset, id est corpus et animam? Quî pro toto homine redemptionis pretium dederit? aut quomodo mortis imperium, plene abrogatum fuerit; si illud quod per intelligentiam peccarat, animam nempe, Christus in sese impeccabilem non constituisset? Ergo mors etiam nunc in interiore homine dominatur, in quonam enim alio unquam regnaverat, nisi in anima, quæ intelligendo peccaverat? ut dictum est : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur : » pro qua propriam animam Christus in pretium redemptionis posuit. Quemnam autem ab initio condemnavit Deus? opus opificis, an actionem opificii? Si opus opificis condemnavit, seipsum condemnavit Deus : eritque hominibus similis. Quod si impium sit hoc de Deo cogitare, et siipse actionem opificii damnavit, aufert igitur actionem, et innovat opificium : nam ejus opus sumus, creati ad bene operandum.

XX. Sed rursum dicitis, nos Deum dicimus eum qui ex Maria natus est; cur itaque dicitis, veluti Marcion, Deum advenisse, ac Deum intactili modo accessisse, quod naturam habeat carnis humanæ non capacem? Aut cur Deum illum dicitis sicuti Paulus Samosatensis? ea enim est illius impietatis ratio, ut Deum confiteantur eum qui ex Maria natus est, qui ante sæcula quidem præfinitus sit : qui tamen ex Maria initium existendi habuerit. Verbum autem efficax e cœlo, et sapientiam in illo confitetur (ac plusquam vos, illi per suam impietatem attribuit) ut vos dicitis mentem cœlestem in corpore animato. Verum nec corpus animatum eo ipso homo perfectus est : neque mens cœlestis Deus est. Nam corpus animatum dicitur, in quantum nomen animæ per modum subsistentis in illo exprimitur. Corpus autem hominis, corpus dicitur et non anima : et anima hominis, anima dici-

tur et non corpus : alterum id est spiritus ad corpus. « Quis » autem, » ait Scriptura, « novit mentem Domini[1] ? » Mens Domini, nondum Dominus; sed Domini voluntas, consilium, aut efficacia ad aliquid. Quo igitur animo hæc profertis verba, verbisque commentitiis Verbum Dei adulteratis? Atqui Dei Ecclesia, neque ita accepit, neque ita tradidit; sed, ut scriptum est, Deum Verbum qui erat apud Deum ante sæcula in consummatione sæculorum advenisse : ac ex Maria Virgine, et ex Spiritu sancto genitum esse, filium hominis, ut scriptum est, » Donec peperit Filium suum primogenitum[2] : » ut fieret primogenitus in multis fratribus, cum tamen Deus verus esset : ut et quatenus homo pro nobis pateretur, et quatenus Deus, ex morte et passione nos redimeret. Incassum igitur imaginamini, vos posse ejus qui intelligit et carnem agit, novitatem in nobis ipsis efficere, existimantes per imitationem id fieri posse : nec advertitis imitationem, præmissi operis esse imitationem, alioquin non diceretur imitatio. Dum autem in Christo solius carnis novitatem confitemini, errantes blasphematis. Si enim possibile fuisset hominibus, ejus qui carnem agit novitatem absque Christi ope sibi ipsis efficere : et si quod agitur, agentem sequitur; quid opus erat Christi adventu?

XXI. Vani quoque sunt, qui dicunt Verbum advenisse, ut in unum ex Prophetis. Quis enim Prophetarum, Deus cum esset, homo factus est? Cur autem « lex nihil » ad perfectum adduxit[3] ? » cur mors regnavit etiam in illos qui non peccaverant ad similitudinem Protoplastorum? quare Dominus dixit : « Si ergo vos Filius libe» raverit, vere liberi eritis[4] ? » Nonne secundum eam, quæ in ipso est, novitatem et perfectionem, per quam

[1] Rom. XI, 34. — [2] Matth. I, 25. — [3] Hebr. VII, 19. — [4] Joan. VIII, 36.

nos qui credimus, renovamur, secundum imitationem et participationem perfectæ novitatis Christi? Sed nihil non commenti estis, ut unam negandi sententiam adornetis. Et quidem animam definientes, eam modo insipientem nominatis, modo peccatum in homine subsistens : eamdem aliquando, ut peccati auctorem eliminatis. Et carnem nunc quidem increatam, nunc cœlestem, modo consubstantialem Verbo, ut perfectam vobis negationem firmetis. Ut autem Arius lapsus a fide in ineffabilem et verissimam Filii ex Patre generationem; passionem, et sectionem, et effluxum commentus est; ut per impia verba eos qui minime firmi erant, in foveam iniquitatis præcipitaret : nam « os scelerati fovea profunda [1] : » sic rursum Sabellius, qui finxit Filium sine hypostasi esse, et Spiritum sanctum sine existentia, alioqui divisionem Deitatis, ac principiorum, eorumque enumerationem induci criminatus, judaïca sententia firmatur. Sic quoque Manichæus incarnationi, et humanitati a Domino assumptæ fidem negans, impius omnino evasit, aiens : Hominem duobus subjacere opificibus, malo et bono. Ita quoque vos, vel, ut sycophantæ, duos filios nos admittere dicitis : vel nos hominis cultores vocatis, nosque peccati insimulatis : idque non ex pietate agitis; sed ut errori vestro per improba commenta, felicem progressum paretis : et ut impiis vestris verbis infirmos avertatis a fide. Sed tamen Dei fundamentum immotum permanet, hujusmodi sigillo obsignatum.

XXII. Hæc ad te scripsi, dilecte (tametsi nihil amplius scribere opus erat; sufficit namque evangelica traditio), tum quia de nostra fide interrogasti; tum eorum causa qui commentis suis nugantur, neque cogitant eum, qui ex proprio loquitur animo, mendacia loqui. Neque

[1] Prov. XXII, 14.

enim vel pulchritudinem, vel gloriam corporis Christi, humanus intellectus exprimere potest; sed quæ gesta sunt, prout scripta habentur, confiteri valet : necnon verum Deum qui est, adorare, in gloriam et confessionem mansuetudinis ejus, et in spem salutis nostræ. In Christo Jesu Domino nostro. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

De salutari Adventu Jesu Christi,

ET ADVERSUS APOLLINARIUM.

LIBER II.

I. Qui Dominum nostrum Jesum Christum non ex Deo et homine unum confitentur, ut scriptum est in Evangelio : « Qui fuit Adam, qui fuit Dei [1], » dicant, quid de eo qui in forma Dei erat, et qui formam servi accepit, existiment; aut quomodo illud : « Et Verbum » caro factum est, et habitavit in nobis [2], » intelligant. Qui enim dixit : «Verbum caro factum est [3], » idem ait: ipsum pro nobis animam profuisse suam : Num, ita ut Verbum mutationem passum, et in carnem transformatum, vel animæ simile factum sit : an quod imaginariam speciem humanæ formæ præ se ferret, ut alii hæretici errantes dicunt? Sed hoc non concedet Apostolus, qui liquido dixit, Quisnam cum esset, quid acceperit.

[1] Luc. III, 38. — [2] Joan. I, 14. — [3] Joan. X, 15.

Sicut enim forma Dei, plenitudo divinitatis Verbi intelligitur; sic forma servi, humanæ substantiæ intelligens natura, cum organica compositione, agnoscitur : ut illa quidem dictione, « erat [1], » Verbum intelligeretur; illa autem, « factum est [2], » caro cum anima agnosceretur : quæ forma servi dicitur, ac intellectualis quædam substantia esse intelligitur. Hincque fit ut homo mortuus, informis dicatur, et anima quæ indissolubilem naturam habet, e corpore recedente, totus solvatur. Unde Paulus quidem de intellectuali natura testimonium perhibet; Joannes vero de organica corporis ostensione, ut ambo totum incarnationis mysterium prædicent. Manifestum enim est, Deum Verbum, qui ante adventum in carne existebat, non tunc hominem; sed Deum fuisse apud Deum, invisibilem, et impassibilem.

II. Nequaquam igitur hæc vox, Christus, carne seclusa profertur : quandoquidem nomen illud, passio et mors consequuntur, cum Paulus scribat : « Si passibilis » Christus, si primus ex resurrectione mortuorum [3], » et alibi ipse dicat : « Pascha nostrum immolatus est » Christus [4] : *et*, Homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis [5]. » Non quod Deus non sit, sed quod et homo Christus sit. Quare, « Memor » esto, *ait*, Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex » semine David secundum carnem [6]. » Idcirco Scriptura de utroque nomine mentionem facit, quo ejus subsistentiam declaret; ipsum nempe invisibiliter quidem, ut Deum, intellectu tantum, percipi et revera esse : ut hominem autem visibiliter attrectari, et revera existere : non divisione personarum, aut cogitationum; sed naturali generatione, et indissolubili unione : ut ejus

[1] Joan. I, 1. — [2] Ibid. 15. — [3] Act. XXVI, 23. — [4] 1 Cor. V, 7. — [5] 1 Tim. II, 6. — [6] 2 Tim. II, 8.

passione in confesso vere habita, ipse passibilis, et impassibilis revera esse concedatur. Quomodo igitur Verbum, Deus cum esset, factum est Christus, priusquam homo fieret? Nam si hoc nomen, Christus, Divinitati a carne separatæ proprium sit; ergo Patri, Spirituique sancto attribuendum est : passio quoque communis erit, ut quidam errantes arbitrantur. An et ipsum impassibile et incorporeum Deum Verbum, etiam ante incarnationem, et humanam naturam assumptam, passionis et mortis capacem esse dicetis? At quî, quæso, Filius, qui Patri consubstantialis, et ab eo secundum divinam naturam indivisus est, passibilis dicatur, cum sit immutabilis et invariabilis, nisi sumpta in seipso ex Virginis utero, tota humanæ structuræ specie, homo factus sit; ut et mutabilis homo esset in passione, et una immutabilis esset, quatenus Deus.

III. Quapropter unctio facta est, non quod Deus unctione indigeret, nec quod absque Deo unctio fieret, sed Deo unctionem applicante, ipsamque in corpore unctionis capace, recipiente. Manifestum igitur est, Verbum non absque humana carne Christum factum fuisse, nec sese dividendo in carnis speciem, et animæ similitudinem : sed manens quod erat, formam servi accepisse, non destitutam existentia, quippe quæ per passionem, resurrectionem, et universam œconomiam sese proderet, ut scriptum et comprobatum est. Dicite igitur, cur Deum in Nazaret factum esse existimatis; quod omnes solent hæretici proferre? Ut Paulus Samosatensis Deum ex Virgine confitetur : Deum ex Nazaret visum, ac qui inde cum existendi, tum regnandi initium duxerit : Verbumque esse ex cœlo efficax, in quo sapientiam esse confitetur : quod præfinitione quidem ante sæcula sit, existentia vero ex Nazaret sit editum;

ut Deus, inquit, unus ille sit, qui super omnia Deus est Pater. Talis est hujus impietas. Marcion autem et Manichæus dicunt, Deum in Virginem advenisse, ac intactili modo prodiisse, nec capacem fuisse communicandi cum natura humana, in peccatum lapsa, ac Principi nequitiæ subjecta. Si enim, aiunt, hanc assumpsit, et Principi nequitiæ Christus subditus erit, et peccati expers non erit; sed propriam carnem exhibuisse, inquiunt, ex sese, ea qua libuit similitudine, ex cœlo scilicet exhibita et in cœlum regressa: demum quæ tota sit divinitas. Valentinus contra, carnem Deitatis partem esse commentus, passionem Trinitati communem fuisse contendit. Arius vero carnem solam, ad occultationem divinitatis confitetur; vice autem interioris nostri hominis, id est, animæ, Verbum, ait, in carne extitisse; passionem et ab inferis resurrectionem divinitati adscribere ausus. Sabellius autem Pauli Samosatensis, ejusque sequacium sententiam probat: veritus enim Arii divisionem, in errorem qui [personas] de medio tollit delapsus est. Vos autem cuinam adhæretis vel cuinam opitulari vultis? Num, quod proverbio fertur, Cujuslibet tribus estis? Nam dum unioni fidem negatis, dum plenitudini repugnatis; cum omnibus supra memoratis hæreticis consentitis: metuque divisionis, ut causificamini, ad [personas] auferendas animum appulistis. Verum ut qui dividunt, insaniunt, et qui detrahunt, errant; sic qui de medio tollunt, in perniciem eunt: cum et vera incarnatio facta, et veritas visa, gratia quoque testimonio comprobata fuerit?

IV. Cur itaque argutiis sophismatibusque contenditis? qua de causa simulatione utimini? et quare palam non dicitis, eum, non assumpta servi forma, hominem factum fuisse, sed quasi hominem apparuisse? ea quippe

est interrogationis vestræ significatio, qua fraudulenter, ipse et ipse, iterato dicitis. Ideoque veræ incarnationi adversari studetis, nosque calumniis oppugnatis, dicitisque : Homines illi dicunt Christum esse hominem qui Deus factus sit. Ecquid sibi vult illud : « In principio erat » Verbum[1] ? » et, Formam servi accipiens, factus est homo? quam, aut hominem, aiunt, cum Deo existentem, aut hominem Deo complicatum, aut hominem pro mundo mortuum, et qui pars mundi sit : aut hominem peccati non expertem : aut hominem Angelis imperantem : aut hominem qui a creaturis adoretur : aut hominem qui Dominus sit, dicente Apostolo : « Paulus servus » Jesu Christi[2] : » aut hominem crucifixum, qui Dominus sit gloriæ : aut hominem qui hæc audiat : « Sede a » dextris meis[3] : » aut hominem qui venturus sit, ut mundum judicet. Hæc est « lutosa » vestra « subver- » sio[4], » qua homines potatis, et inebriatis. Interrogate ergo Judæos, ut cum hæc ipsa verba contra Christum, et contra Christi fideles ab illis prolata audieritis, erubescatis. Discite quoque ab aliis hæreticis, qui eadem quæ vos loquuntur et sentiunt. In medium adducantur itaque, hæreticorum dogmata, vestra sententia, fidei nostræ ratio, Evangelii definitio, Apostolorum prædicatio, Prophetarum testimonium, et peractæ œconomiæ verus modus veraque ratio.

V. Respondete igitur, qua ratione dicitis, Deum ex Nazaret factum fuisse, Deitatique initium existendi juxta Paulum Samosatensem adscribitis; aut carnis generationem negatis, juxta Marcionem et alios hæreticos ; nec in statutis evangelicis inceditis, sed vultis ex propria loqui sententia ? Ideo enim dicitis, Deum ex Virgine natum esse, ac non Deum et hominem, juxta evangelicam de-

[1] Joan. I, 1. — [2] Rom. I, 1. — [3] Psal. CIX, 1. — [4] Habac. II, 15.

finitionem : ne si carnis generationem confiteamini, ipsam naturalem admittere cogamini, qua sane in re vere diceretis; sed Deum genitum affirmatis, qui propriam carnem, specie tantum exhibuerit. Non enim Deus initium nascendi ex Nazaret sortitus est : sed qui existit ante sæcula Verbum Deus, ex Nazaret homo visus est : natus ex Maria Virgine, et Spiritu sancto, in Bethlehem Judææ, ex semine David, Abrahæ et Adæ, uti scriptum est : omniaque assumpsit ex Virgine, quæcumque ab initio Deus ad constitutionem hominis efformavit et condidit, excepto peccato. Ut Apostolus quoque ait : « Pro similitudine per omnia, præter peccatum[1] : » nec divinitatis mutationem, sed humanitatis innovationem arbitrio suo effecit; quo gentes Christo « concorporales et comparticipes[2] » fierent, quemadmodum scribit Apostolus : utque homo revera Deus, et Deus revera homo foret : essetque ille vere homo, et vere Deus : non quod homo apud Deum esset, ut vos calumniantes, Christianorumque mysterio obtrectantes dicitis ; sed quod Deo unigenito placuerit, plenitudine suæ divinitatis archetypi hominis naturam, novumque opificium, ex utero Virginis in seipso per naturalem generationem, et indissolubilem unionem restaurare; ut et pro hominibus salutare negotium perficeret, inque passione, morte et resurrectione, hominum redemptionem absolveret.

VI. Sed objicitis : Si omnia accepit, sane et humanas cogitationes habuit : impossibile autem est, humanis cogitationibus non inesse peccatum : quomodo igitur Christus absque peccato erit ? Immo respondete vos ipsi : Si vitiosarum cogitationum Deus creator fuerit, adjungendum Deo est proprium opificium : venit enim ut proprium opus sibi adjungeret. Sed eo pacto, injusto sane

[1] Hebr. IV, 15. — [2] Ephes. III, 6.

judicio peccator damnatur. Nam si vitiosas cogitationes creavit Deus, quid est quod peccantem condemnet? aut quî potest a Deo hujusmodi judicium proficisci? Quod si Adam, antequam Dei mandatum transgrederetur, ejusmodi cogitationibus obnoxius fuit, quî fieri potuit ut bonum et malum non cognosceret? Certe natura quidem rationalis, cogitatione vero liber, mali experientiam non habebat, soliusque boni notitia præditus, quasi « unius » moris » erat[1]. Postquam autem Dei mandatum transgressus est, in vitiosas lapsus est cogitationes : non quod Deus illas cogitationes quæ nos in captivitatem redigunt condiderit, sed quod Diabolus fraude illas in rationali hominum natura, in prævaricatione constituta, et a Deo expulsa, quasi alienum semen induxerit; ita ut Diabolus legem peccati in natura hominis constituerit, unaque mortem quæ per opus peccati in illa dominatum exerceat. Quocirca venit Filius Dei, ut solvat opera Diaboli. Sed instatis, Jam solvit, cum non peccaverit. At nequaquam est illud peccatum solvere. Neque enim ab initio peccatum in illo operatus est Diabolus; ut veniente Verbo in mundum, et non peccante, solveretur peccatum; sed in rationali et intellectuali natura hominis per inductum semen Diabolus peccatum est operatus. Quapropter impossibile fuit naturæ rationali, quæ sua sponte peccaverat, ac mortis damnationi subjecta erat, sese in libertatem revocare, ut ait Apostolus, « Nam quod impossi» bile erat legi, in quo infirmabatur per carnem[2]. » Quapropter venit ipse Dei Filius, ut eam in natura sua, per novam originem, et mirabilem generationem restauraret. Non quo eam, quæ ab initio facta erat, constitutionem divideret; sed quo « super seminatam » abrogationem abrogaret; ut testatur Propheta, dicens[3] :

[1] Psal. LXVII, 7. — [2] Rom. VIII, 3. — [3] Matth. XIII, 25.

« Priusquam cognoscat parvulus bonum vel malum, re- » probat malitiam ad eligendum bonum[1]. » Quod si in natura quæ peccaverat, impeccabilitas non apparuisset, cur peccatum in carne damnatum esset, cum neque caro peccati actum habeat, neque in divinitatem peccatum cadat ? Quare Apostolus dicit : « Ubi abundavit pecca- » tum, ibi superabundavit et gratia[2]? » non locum indicans, sed naturam significans. « Ut sicut, *inquit*, per » unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, » et per peccatum mors; ita per unum hominem Jesum » Christum, gratia regnet per justitiam in vitam æter- » nam[3]. » Ut per quam naturam peccatum processit, per eamdem justitiæ specimen daretur : et sic humana natura a peccato liberata, Diaboli opera solverentur, Deoque gloria daretur.

VII. At rursum dicitis : Si homo est Christus, pars erit mundi : pars autem mundi mundum salvum facere nequit. O fallaciæ commentum ! o insana blasphemia ! Dicant ex quanam Scriptura deprompta sit ista definitio, aut potius hoc Diaboli sophisma ? Quandoquidem Propheta dicit : « Frater non redimit, redimet homo[4] : » Et alibi : « Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissi- » mus[5]. » Quî fieri potest igitur ut Verbum homo factum mundum non redimat ? Cum manifestum sit, in qua natura commissum est peccatum ; in ea quoque extitisse gratiæ exuberantiam ? Quænam autem gratiæ exuberantia ? quod Verbum factum sit homo, manens tamen Deus ; ut et homo factum Deus crederetur : quemadmodum et Christus, homo cum sit, Deus tamen est : quia cum Deus esset, factus est homo, et in hominis forma credentibus salutem impertit. Si enim Dominum Jesum

[1] Isai. VII, 16. — [2] Rom. V, 20. — [3] Rom. V, 12 et 20. — [4] Psal. XLVIII, 8. — [5] Psal. LXXXVI, 5.

ore tuo confessus fueris, et in corde tuo credideris, quod Deus illum ex mortuis excitarit, salvus eris. Nex autem in Deum non cadit, qui nec resurrectione opus habet, sed ipse a mortuis excitat. Unde necesse fuit, ut aliquid Deus haberet, quod pro nobis offerret, sive in morte, sive in vita : quapropter Verbum quod homo factum sit, eo magis salutem operatur.

VIII. Sed iterum objicitis : Ecqua ratione potest natura, quæ in consuetudine peccati edita est, et quæ peccati successionem excepit, absque peccato esse ? quod impossibile cum sit, erit igitur Christus, ut unus ex hominibus. Hæc et Marcion sensit : hanc et Manichæus induxit sententiam, qui carnem hominis, ipsamque generationem sub malitiæ principe constituit, ipsique Dominatoris titulum adscripsit : cum a quo quis victus est, ejusdem et servus reddatur. Horum sententiam vos quoque renovatis, dum diversa ratione, spiritualem hominis naturam, quæ anima esse intelligitur, una illi subjicitis, quam non posse peccatum vitare statuitis, quantumcumque tandem animam carnalem esse scribatis. Unde autem hæc didiceritis ignoro, cum neque in sacris Scripturis, neque in vulgata hominum sententia id admittatur, Domino dicente : « Ne timeatis ab iis qui oc-
» cidunt corpus, animam autem non possunt occidere [1]. »
Atqui si carnalis est anima, ut vestra fert opinio, cur non una cum corpore moritur, et perit? et cur Petrus animas in inferno detentas spiritus vocans, ait : « Abiit, ut iis
» qui in carcere inclusi erant spiritibus, resurrectionem
» annunciaret [2] ? » Sed vos omnia præter naturam dicitis et appellatis, ne juxta naturalem sensum œconomiam enarrantes, vera proferatis, nempe Verbum vere hominem factum esse. Dixistis enim, ipsa Domini voce testa-

[1] Matth. x, 28. — [2] 1 Petr. iii, 19.

tum illud esse : « Sensus et cogitatio hominis, in malum » prona est ab adolescentia sua[1] : » non intelligentes, cum dixit, « ab adolescentia[2], » illud quod ab inimico insitum et lethale est indicasse. Ideoque juravit Dominus David veritatem, de fructu ventris ejus se Christum secundum carnem excitaturum : non qui ex Divinitatis mutatione homo specie tenus videndus esset : (alioquin quid opus fuisset ut juraret Dominus David;) sed qui formam servi assumpturus esset, ex Virgine nasci, ac ætatis staturæque augmentum nostro more accipere dignaretur, ut ait Apostolus : « Quia ergo pueri communicaverunt » carni et sanguini; et ipse similiter participavit eisdem[3]; » similiter » quidem, quia non ex semine, sed ex Spiritu; « eisdem » vero, quia non aliis participavit, sed ex semine David et Abrahæ et Adæ prodiit, ut scriptum est.

IX. Cur itaque sacras Scripturas, apertamque veritatem prætermittentes, dicitis, Si non ex se ipse vir apparuit, sed humanam assumendo substantiam, homo factus est; ergo viro conjunctus est, eritque Dominus gloriæ qui crucifixus est, homo? Si igitur audieritis Petrum dicentem : « Hunc, Christum, et Dominum fecit Deus, Jesum, » quem vos crucifixistis[4], » quidnam actum intelligetis? Si Verbi Deitatem, ecquid adhuc Arianos reprehenditis, cum eadem quæ illi sentiatis? Si vero eam quæ in Verbo est servi formam, cur adhuc vobiscum pugnatis ? Verum nequaquam ita creditis, nam iterum instatis : Si natura quæ peccavit, in Deo existens, peccatum non fecerit, vi ergo detinetur, quod autem vi detinetur, in statu est violento. At dicite , Si, non peccare, ex necessitate fit; peccare secundum naturam erit : et si ita se res habet concedatis oportet naturæ creatorem, peccati esse opificem. Quod si blasphemum illud est, et si necesse est ex acci-

[1] Gen. VIII, 21. — [2] Psal. CXXXI, 11. — [3] Hebr. II, 14. — [4] Act. II, 36.

denti peccatum esse; liquidum est, non peccare, secundum naturam fuisse : atque adeo forma servi, quæ in Verbi Deitate apparuit, non vi adacta; sed suapte natura et virtute, se peccati expertem exhibet, postquam necessitatis conditionem, et peccati legem dissolvit, et captivitatis Tyrannum in captivitatem adduxit, ut ait Propheta : « Ascendisti in altum, cœpisti captivitatem[1]. » Nam cum formam servi inimico Verbum objecerit, per eum qui olim victus fuerat, victoriam consecutus est. Quocirca per omne tentationis genus pertransivit Jesus, quia omnia sumpsit, in quæ tentationis experimentum cadere possit, quibus victoriam pro hominibus reportavit, dicitque : « Confidite, ego vici mundum[2]. » Neque enim contra Deitatem, quam in illo non norat, bellum suscepit Diabolus, nequaquam enim id ausus esset : ideoque aiebat : « Si Filius Dei es[3]; » sed contra hominem, quem olim in errorem deducere valuit, ex quo in omnes homines malitiæ suæ efficaciam propagavit. Cum autem Adæ anima in mortis condemnatione detineretur, ac perpetuo ad Dominum suum clamaret : item cum ii qui Deo placuerant, et qui in lege naturali justitiam assecuti fuerant, una cum Adamo detinerentur, ac simul cum illo lugerent clamarentque, Dominus, quem condiderat hominem miseratus, voluit per mysterium quod manifestavit, novam salutem humano generi conciliare, inimicumque qui per invidiam hominem deceperat profligare : exaltationem autem hominis, unione illa et communicatione cum Altissimo (natura et rei veritate) majorem quam quæ intelligi possit exhibere dignatus est.

X. Propterea venit Verbum quod Deus erat, et primi hominis creator, ut homo fieret, quo homo quidem revivisceret, iniquus autem hostis profligaretur : quod na-

[1] Psal. LXVII, 19. — [2] Joan. XVI, 35. — [3] Matth. IV, 3.

tum ex muliere, ex prima efformatione formam hominis in seipso restituit, carnem vero suam absque carnalibus cupiditatibus, et absque humanis cogitationibus, in imagine novitatis exhibuit. Voluntas enim solius Divinitatis erat : (3) siquidem natura tota Verbi aderat, sub specimine humanæ formæ, necnon visibilis, secundi Adam carnis : non in divisione personarum, sed in existentia divinitatis et humanitatis. Quapropter Diabolus ad Jesum ut ad hominem accedebat : sed cum in eo antiqui superinducti seminis vestigia non reperiret, neque ullum in præsenti tentatione progressum, superatus cum pudore cessit, debilitatusque ait : « Quis est iste qui venit de » Edom [1], » hoc est, ex terra hominum, « incedens violenter cum fortitudine? » Idcirco aiebat Dominus : « Venit Princeps mundi hujus, et in me nihil invenit [2]. » Quanquam et animam et corpus, totumque primum Adamum, didicimus secundum Adamum habuisse. Nam si illud, *nihil*, de substantia hominis diceretur, quomodo visibile corpus invenit ejus qui dixerat, *nihil?* Sed nihil invenit in illo Diabolus, ex iis quæ in primo homine operatus ipse fuerat : atque ita destructum est in Christo peccatum, quamobrem Scriptura testatur : « Qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus [3].

XI. Cur itaque dicitis : Impossibile est hominem a captivitate liberum esse, qui semel in captivitatem actus sit? ut impotentiam quidem Deo, potentiam vero Diabolo attribuatis, dum dicitis peccatum ab ipso inductum, nunquam in hominum natura destrui posse, (ut et cæteri aiunt hæretici) ac ea de causa venisse divinitatem, quæ captiva nunquam fuerat, in similitudine carnis et animæ; ut ipsa captivitate libera semper maneret, et sic justitia pura appareret. Quandonam igitur divinitatis justitia

[1] Isai. LXIII, 1. — [2] Joan. XIV, 30. — [3] 1 Petr. II, 22.

pura non fuit? Et quodnam in istis erga homines beneficium, nisi cum eadem existentia, et in naturæ novitate apparuisset Dominus, ut ait Apostolus : « Quam innova- » vit nobis viam novam, et viventem[1] : » dicens : « Ego » sum via, veritas, et vita[2]. » Sed dicitis, similitudine et imitatione salutem consequi eos qui credunt; non renovatione, ac ipsis primitiis. Quo pacto ergo primogenitus in multis fratribus et primitiæ dormientium Christus esse potuit, « qui est caput corporis Ecclesiæ[3]? » Neque enim fides evidenter apparens, fides dici potuerit : verum fides est quæ quod impossibile est, in potentia, quod infirmum, in virtute, quod passibile in impassibilitate, quod corruptibile in incorruptione, quod mortale in immortalitate esse credit. « Mysterium hoc magnum est[4], » ut ait Apostolus, « ego autem dico in Christo, et in Ec- » clesia. » Non enim venit divinitas, ut sese justificaret, neque enim peccavit. « Sed egenus factus est, cum dives » esset, ut nos illius inopia divites essemus[5]. » Quomodo autem egenus factus est Deus? Quia egenam naturam in seipso assumpsit; eamque, dum ipsa in justitia degeret, pro hominibus, suppliciis objecit, quæ hominibus superior, ex hominibus apparuerat, Deique tota facta fuerat. Si enim primogenitus factus non esset in multis fratribus, quomodonam primogenitus ex mortuis visus esset? Cur itaque dicitis, Deus qui per carnem passus est, et resurrexit? O absurditatem et blasphemiam! Tales sunt Arianorum ausus. Illi enim ejusmodi blasphemiam impudenter proferunt, qui Dei Filium simulate Deum nuncupare didicerunt : docente licet Scriptura, per Deum in carne ejus passionem contigisse, neque tamen Deum in carne passum esse.

[1] Hebr. x, 20, — [2] Joan. xiv, 6. — [3] Coloss. i, 18. — [4] Ephes. v, 32. — [5] 2 Cor. viii, 9.

XII. Qui igitur consubstantialitatis confessionem vos profiteri prius declarastis, quomodo indivisum nomen ad passionem trahitis? eademque opera, indivisibilem naturam, ineffabilem Deitatem, immutabilem et invariabilem consubstantialitatem, ad passionem deducitis et resurrexisse confitemini? Si enim Verbum, cum carnem ex seipso transmutasset, ad passionem usque perrexit, cum nihil passibile, aut resurrectionis capax in se assumpsisset; ipsum certe Verbum fuerit quod passum est, et ex mortuis resurrexit: eritque juxta Valentinum passio Trinitati communis, quandoquidem Verbum, secundum divinam naturam a Patre non est distinctum. Quod si hæc ita intelligere in animum inducitis quænam illa, quæso, Prophetarum promissio, aut Evangelistarum generis descriptio, et Apostolorum testificatio? cur Maria mater istic adhibita? quorsum illud ætatis staturæque augmentum? aut comestionis specimen? aut illa in omnibus commiserationis exhibitio, vel nominis impositio? aut quorsum illud : Filius Dei filius hominis factus est? vel illud : « Homo Christus Jesus, qui dedit seipsum re» demptionem pro nobis[1]? » illudve : « Oportet filium » hominis multum pati, et interfici, et tertia die ex » mortuis resurgere[2]? » Quod si Christum quatenus homo est, passibilem; quatenus vero Deus est, impassibilem non creditis : sed ad angustias redacti cogitatis : Si confiteamini Christum Deum et hominem esse; non unum, sed duos vos dicere : necesse igitur est vos, aut passionis, mortis et resurrectionis œconomiam, meram speciem affirmare, juxta Marcionem et alios hæreticos; aut divinitatem, passibilem, secundum Arium ejusque sequaces nominare.

XIII. Si enim divinas Scripturas legendo animadver-

[1] 1 Tim. II, 5 — [2] Luc. XXIV, 26 et alibi.

tistis in Lege et Prophetis, in Evangeliis quoque et Apostolorum libris, ubique Dominus primum homo prædicatur, ac deinde passio enarratur : ut ne blasphemiæ verba contra divinitatem unquam proferantur. Quapropter neque generationem deitatis Verbi enarrarunt; sed Patrem confitentur, et Filium prædicant : ex Maria autem, Dominum filium David, et Joseph secundum carnem ortum referunt, qui servi formam assumpsit, ut humanitas ejus ex hominibus esse crederetur, et ex Patre suo Deo Verbum Deus agnosceretur, qui pro hominibus cruciatus toleraret, per formam passibilem quam ex hominibus acceperat : in patiente corpore impassibilitatem ostenderet : in moriente immortalitatem : et in sepulto incorruptibilitatem : in tentato victoriam : et in veterascente novitatem. Quia vetus noster homo cum illo crucifixus est : in hoc enim sita est gratia. Deitas autem nec absque corpore patiente passionem unquam admittit, nec absque anima dolente et perturbata, perturbationem et dolorem exhibet : neque absque mente anxia et orante, anxia est aut orat. Enimvero licet quæ dicta sunt non naturæ defectu contigerint : attamen ad existentiæ indicium, hæc ita gerebantur. Cur ergo scripsistis, Deum esse qui in carne passus est et resurrexit? si enim Deus sit qui per carnem passus sit ac resurrexerit, passibilem ergo dicitis et Patrem et Paracletum, cum unum sit nomen, et una divina natura.

XIV. Ex hac autem sententia, mentem vestram agnoscere licet, quæ sane non est timentium Deum, neque divinis Scripturis obtemperantium : Moyse quidem de Deo scribente : « Deus noster ignis consumens est[1] : » de carnali autem ejus adventu : Prophetam ait ex fratribus vestris a Domino excitandum[2] : et vitam in ligno suspen-

[1] Deut. IV, 24. — [2] Deut. XVIII, 18.

sam, quasi corpus Domini ad vitam nobis datum sit[1]. Et Hesaïas de Deo quidem clamat dicens : « Deus magnus, » æternus, qui construxit summitates terræ, non esu- » riet, neque fatigabitur[2], » etc. De passione autem : » Homo qui in plagis est, et sciens tolerare infirmi- » tatem[3]. » Quid sibi vult illud : « Sciens tolerare in- » firmitatem ? » id est, ex eo qui passus est, passibilitas commonstratur. Propterea enim ait : « Scribe » stylo hominis[4], » in novo codice, et non carnis forma carentis. Et Apostolis dicit : « Homo Christus Jesus qui » dedit semetipsum pro nobis[5]. » Ideoque ei qui ex semine David ortum duxit resurrectionem adjicit : « secun- » dum carnem » loquendo : de divinitate autem ejus : « Vivum est enim ait Verbum Dei, et efficax, et pene- » trabilius omni gladio ancipiti[6]. » Quin et Dominus passionem in filio hominis statuit, quod secundum carnem agi indicat : de divinitate autem sua dicit : « Ego et Pa- » ter unum sumus[7], » et, « Nemo novit Filium quis sit, » nisi solus Pater[8]. » Nusquam autem sanguinem Dei absque carne tradiderunt Scripturæ, vel Deum per carnem passum esse et resurrexisse. Arianorum sunt hujusmodi ausus, quandoquidem neque verum Deum Filium Dei esse confitentur. Sacræ vero Scripturæ in carne Dei et carnis Dei hominis facti, sanguinem et passionem esse prædicant, necnon resurrectionem corporis Dei, nempe resurrectionem ex mortuis factam. Vos vero oppositum dicitis, quasi sapientiores Apostolis, in mysteriis doctiores Prophetis, præstantiores Evangelistis, ipsoque Domino auctoritate graviores : ementitaque illa verborum specie, abnegatis quidem veritatem, contra deitatis vero œconomiam loquimini, quæ in Cruce ipsa liquido apparet :

[1] Deut. xxviii, 66. — [2] Isai. xl, 28. — [3] Isai. liii, 3. — [4] Isai. viii, 1. — [5] 1 Tim. ii, 5. — [6] Hebr. iv, 12. — [7] Joan. x, 30. — [8] Matth. xi, 27.

cum in effusione quidem sanguinis carnem adesse confirmetur : cumque vox edita, et anima indicata, non deitatis separationem manifestet; sed corporis mortem significet : cum deitas neque corpus in sepulcro desereret, neque ab anima in inferis separaretur. Illud enim est quod dictum est per Prophetas : « Non derelinques ani» mam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre » corruptionem [1]. » Ideo et Dominus aiebat : « Nemo » tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso [2]; » id est, præsens illud declaro.

XV. Idcirco in anima quidem Christi mortis imperium destructum, resurrectio facta ex inferno, et animabus prædicatum est; in corpore autem Christi, corruptio abolita est, et incorruptio ex ipso sepulcro emicuit. Itaque, nec homo a Deo segregabatur, nec Deus homini se eum deserturum annunciabat, neque obitus, spiritusque discessio, transitus erat Dei a corpore sed animæ a corpore separatio : nostra enim ibi mors descripta fuit. Quod si Deus a corpore separatus est, eoque modo mors contigit, quomodo corpus ab incorruptibili Deo segregatum, incorruptibile apparuit? quomodo etiam Verbum, descensum suum ad inferos peregit? aut quo pacto ab inferis resurrectionem exhibuit? Numquid ipse vice animæ nostræ resurrexit, ut nostræ resurrectionis imaginem concinnaret? At quî fieri potest, ut talia de Deo cogitemus? Vestra igitur definitio a sacris Scripturis aliena est : vestraque sententia cum peracta in Christo œconomia non consentit. Et illud : « Sede a dextris meis [3], » non hominis dignitas facta est; ut hominis dignitas Dei dignitas crederetur, dictum est : « Sede a dextris meis [4], *et* » Glorifica me, Pater, æterna gloria [5]. » Nec hoc dicit,

[1] Psal. xv, 10. — [2] Joan. x, 18. — [3] Psal. cix, 1. — [4] Ibid. — [5] Joan. xvii, 5.

quod gloria privatus sit; sed quod in inglorio corpore degeret; ut palam faceret non separatam a divina gloria esse servi formam, sed eamdem gloriam præ se ferre. Quapropter ait : « Et glorificavi, et rursum glorificabo[1]. » Sicque unam eamdemque, et ante corpus assumptum, et in corpore gloriam fuisse ostendit ut ait Apostolus : « Tanto melior Angelis effectus, quanto excellentius præ » nomen illis hæreditavit. Cui enim dixit aliquando An- » gelorum, Sede a dextris meis[2]. » Nec sane Angelorum opifex Verbum, melius factum est, quasi inferius ante fuisset : sed in se ortam servi formam, Angelis, seu potius, omni creatura præstantiorem exhibuit : quandoquidem cum imago esset Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ factum est, ut scriptum est in Evangeliis : « Donec peperit Filium suum primogenitum[3]. » Ideo in ipso creata sunt omnia, in ipso passio locum habuit, ipseque est qui a passione et morte liberat. Omnia per ipsum facta sunt, et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est Primogenitus ex mortuis, « ut sit in omnibus, » inquit, « ipse primatum tenens[4]. »

XVI. Cur itaque rationalium naturarum Creatorem Verbum, dicitis carnem sibi ipsi commiscuisse, et rationalem hominem factum esse? et quomodo immutabile et invariabile manens, homo factum est, si rationalem servi formam non concinnaverit, ut et Verbum immutabile esset manens quod erat, et rationalis homo in terra videretur, licet tamen Deus esset. Nam cœlestis homo erat Dominus, non quod carnem ex cœlo sumptam exhibuerit, sed quod eam quam ex terra sumpsit, cœlestem constituerit. Idcirco qualis est cœlestis ille, tales et cœlestes illi qui per sanctitatis ejus participationem cœlestes facti sunt. Quocirca ipsi quæ corporea sunt propria fuere; sed rursum

[1] Joan. XII, 28. — [2] Hebr. I, 4. — [3] Matth. I, 25. — [4] Coloss. I, 18.

objicitis : quomodo Dominum gloriæ crucifixerunt, quin tamen secundum vos Verbum crucifixerint? Absit ut hoc dicamus : sed Verbum ignominia affecerunt, dum corpus Verbi cruci affixere. Nam Deus quidem est qui ignominia affectus est : passio autem, et mors, ac resurrectio, tum carnis tum animæ Dei fuit. Propterea Judæis Dominus ait : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus » excitabo illud [1], » ut ait Propheta : « Pro quibus tra» dita est in mortem anima ejus [2], » sed non ipsum Verbum. Joannes autem ait : « Ille animam suam pro nobis » posuit [3]. » Quomodo igitur potuerunt Judæi templum Dei solvere; et indissolubilem carnis cum Verbo conjunctionem dirimere, si, ut vos dicitis, corporis mors tali modo contigit? Neque enim occisum est corpus, si a nullo separatum est. Si enim dissolutio facta non est, neque mors contigit : si mors non fuit, neque resurrectio fuit. Concedite igitur dissolutionem, et separationem a corpore factam esse, ut scriptum est in Evangeliis : « Ex» piravit [4] : *et*, inclinato capite tradidit spirtum [5], » ut sciamus qualem spiritum existimatis a corpore excessisse, sicque mortem obvenisse. Dixistis enim, Cum carnem non subsistentem sibi commiscuisset Verbum, vere rationalem et perfectum hominem exhibuisse. Si igitur Verbum excessit a corpore, atque ita mors obvenit, adversus Deum Judæi invaluerunt, cum indissolubilem commixtionem solverint. Nec igitur mors nostra illic locum habuit; si ex Dei separatione corporis extinctio obtigerit. Quomodo autem corpus ab incorruptibili Deo separatum in incorruptibilitate remanere potuit? Eo autem modo vulneratio quidem corporis, passio autem Verbi fuerit. Eadem enim de causa et Deum passum esse, ex

[1] Joan. II, 19. — [2] Isai. LIII, 12. — [3] I Joan. III, 16. — [4] Luc. XXIII, 46. — [5] Joan. XIX, 30.

consequenti loquentes, asseveratis, quin et cum Arianis idipsum docentibus consentitis. Verbum autem, ut vestra fert opinio, ex resurrectione excitatum fuerit. Necesse est enim ipsum aliquod resurrectionis ab inferis initium accepisse, ut perfecta foret resurrectio, et mortis solutio, spirituumque qui ibi detenti erant demissio.

XVII. Quod si hæc ipsa Verbum sustinuit, ubinam, quæso, Verbi immutabilitas et invariabilitas? Et quomodo Verbum palam in inferno visum, in morte sua homo reputatum est? Cur Judæis dicebat Dominus: « Ego suscitabo eum[1], » et non: Ego ex inferno resurgo? Si enim Verbum postquam mortuum est, suscitante se a morte opus habuit; non Verbi victoria erit, sed ejus qui ipsum suscitavit. Cur autem per Prophetas illud de anima ejus prænunciatum est? Cur ipse Dominus cum jam præsens, promissum impleret, aiebat: « Animam » meam pono pro ovibus meis[2]? » quam animam spiritum esse sacræ Scripturæ aperte docent: et Dominus ipse qui dixit: corpus quidem ab hominibus occidi, qui animam tamen non possunt occidere, quippe quæ spiritus sit. Hoc ipso Spiritu turbatus est Jesus: hujus Spiritus discessio a corpore in Cruce facta est. Et sic extinctum est corpus, atque ita contigit dissolutio: Deo Verbo immutato remanente, tam in corpore, quam in anima, atque in seipso, qui in sinu Patris existebat, ad specimen immutabilitatis. Et in sua ad nostri similitudinem forma, nostram illic descripsit mortem; ut in illa resurrectionem pro nobis concinnaret: ex inferno quidem animam, ex sepulcro autem corpus reducens, ut in morte per exhibitionem animæ mortem destrueret: in sepulcro per sepulturam corporis corruptionen abole-

[1] Joan. VI, 40. — [2] Joan. X, 15.

ret; sicque ex inferno et ex sepulcro immortalitatem et incorruptibilitatem exhiberet, cum in forma nobis consimili nostram viam emensus esset, nostramque detentionem solvisset. Quod sane admiratione dignum extitit : nam in hoc gratia sita fuit. Vos vero dum carnem solam confitemini, neque peccati damnationem, neque mortis dissolutionem, neque resurrectionis consummationem, neque Verbi immutabilitatem demonstrare valetis; eo quod extra sacras Scripturas evagamini, ea loquentes quæ Ariani cavillantur : cum tamen de anima aperte in sacris Scripturis sermo habeatur, et œconomia consummata sit, exhibitis omnibus consummationis indiciis.

XVIII. Porro hæreticorum alii, eum qui visus est confitentes, ejus divinitati non credunt : alii vero qui Deum confitentur, carnis ejus generationem negant : alii qui carnem cum divinitate confitentur, negant animam ejus extitisse, similesque furiosis Arianis evadunt, qui connectunt tortuosas et obliquas propositiones, ut de illis quæstiones agitando simpliciores in dubitationem injiciant, dum ipsi interim in fide hæsitant. Itidem et ipsi ita loqui didicere : Ecquisnam ille qui natus est ex Maria? Deusne, an homo? ut si quidem dixeris, homo; ejus divinitati fidem non habeat, in hoc consentiens hæreticis, qui eidem fidem non habuere : quod si dixeris, Deus, ejus carnis generationem neget, et cum hæreticis qui illam negant abducatur. Hinc rursum : Quis est qui passus est? Quisnam crucifixus est? Deus ne an homo? ut si quidem dicas, Deus, blasphemum quid proferat ex sententia impiorum Arianorum; sin autem dicas, Homo, ex Judaïca sententia loquatur. Ea de causa sanctæ Scripturæ, Verbum ineffabiliter ex Patre Deum esse, et ipsum extremis temporibus ex Virgine hominem genitum esse

prædicant : ut neque Deus non crederetur, neque carnis generatio negaretur. Ubi autem est carnis nomen, ibidem totius adest compositi compago, accepto peccato. Et ad nomen quidem hominis, passionem applicant, nec ultra progrediuntur, ut ubique scriptum est in sacris Litteris. De divinitate autem Verbi, immutabilitatem et ineffabilitatem confitentur. Ideoque de Verbo quidem ut de Deo loquuntur : ejusdem vero ut hominis generationem enarrant : ut idem ipse naturaliter et vere utrumque sit, Deus quidem quoad æternitatem Deitatis et rerum creationem : homo autem, quoad generationem ex muliere, et incrementum staturæ atque ætatis. Deus quoque pro beneficiis vitam tribuentibus, et potens in miraculis perpetrandis : homo vero, quoad passiones nostrum similis, et quoad nostras infirmitates. Ac Deus item est Verbum, si spectetur quidem immortalitas, incorruptibilitas et immutabilitas : et homo, si consideretur in cruce suspensio et sanguinis effluxus, ac corporis sepultura, necnon descensus ad inferos, atque resurrectio a mortuis. Sic Christus ex mortuis excitatus est, et Deus cum sit, mortuos excitat.

XIX. Vani igitur sunt, qui aut divinitati ejus passionem adscribunt, aut humanitati ejus fidem non habent, aut qui unum duos esse dicunt : sive qui carnis ejus dimensionem facere conantur : et qui quantum et quomodo, præter Scripturarum auctoritatem proferre audent. Hujusmodi enim opinionibus hæreticorum mens prolapsa est : Marcione propter immoderatam blasphemiam a veritate declinante ; Manichæo, ob peccati opinionem seducto : Valentino, a scientia, uti causabatur, seducto : Paulo Samosatensi, cum eo qui Photinus vocatur, ac eorum sequacibus, ob incredulitatem a Deitate deficientibus : Ario, pro furore suo blasphemante. Vos autem similibus usi

cavillationibus, quæ scripta non sunt loquimini, eoque modo imbecillos evertitis. Sufficit enim iis quæ scripta et gesta sunt credere, ut ait Paulus : « Pro similitudine per » omnia, absque peccato[1]. » Petrus autem : « Christo » igitur pro nobis passo in carne, et vos eadem cogita- » tione armamini[2], » et ne ulterius inquirentes, veritatem respuatis.

[1] Hebr. IV, 15. — [2] I Petr. IV, 1.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA

AD JOANNEM ET ANTIOCHUM PRESBYTEROS.

Athanasius Joanni et Antiocho, dilectis filiis, et compresbyteris in Domino, salutem.

Missam etiam nunc a vobis epistolam lætus accepi, maxime quia Hierosolymis scripsistis, et gratiam habeo, quod de fratribus istic congregatis certiorem me fecistis, necnon de iis qui quæstionum movendarum obtentu, simpliciores turbare nituntur. Sed de iis præcipiat Apostolus: Non attendendum contentiosis, nec iis qui nihil aliud quærunt, quam novi quidpiam vel dicere vel audire[1]. Vos autem qui firmum habetis fundamentum, quod est Christus Dominus noster, a Patribusque veritatis confessionem accepistis; aversamini eos qui plus minusve quam illa habeat loqui voluerint: et majore opera fratrum utilitatem curare; ut Deum illi timeant, præcepta

[1] Act. XVII, 21.

custodiant; ut cum ex doctrina Patrum, tum ex observatione præceptorum, grati Domino in die judicii se sistere possint. Valde autem miror audaciam eorum, qui nihil reformidant obtrectare dilecto et vere Dei famulo Basilio Episcopo. Ex hujusmodi enim futili loquacitate deprehendi poterit, eos ne Patrum quidem confessionem diligere. Salutate fratres. Salutant vos qui mecum sunt. Opto vos valere in Domino, dilecti optatissimique filii.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA

AD PALLADIUM PRESBYTERUM.

Dilecto filio Palladio Presbytero, Athanasius Episcopus, in Domino salutem.

Epistolam quoque a te uno scriptam libentissime accepi, potissimum quia solito more rectam spiras fidem. Quid causæ sit autem quod cum dilecto nostro Innocentio degas, non nunc primum, sed jamdiu didici, pietatemque probavi tuam. Cum igitur hoc instituto utaris, rescribe, nobisque significa, quid fratres qui isthic versantur, quid veritatis inimici de nobis cogitent. Quod autem de Cæsariensibus Monachis significasti, idipsum a dilecto nostro Dianio accepi : infensos scilicet ipsos esse atque obsistere dilecto nobis Basilio Episcopo. Tibi certe qui rem indicasti gratiam habeo, illis vero, quæ decuit, scripsi; ut velut filii patri obsequantur, nec repugnent iis quæ approbat ille. Nam si circa veritatem suspectus ille esset,

recte pugnarent; sin confidunt, ut nos confidimus, esse illum Ecclesiæ gloriam, qui etiam pro veritate dimicat, docetque illos qui doctrina indigent; cum hujusmodi sane homine nefas est pugnare; immo probæ suæ conscientiæ causa acceptissimus esse debet. Sane ex iis quæ narravit dilectus Dianius, nulla de causa videntur indignari. Ille namque, ut existimo, infirmis infirmus efficitur, ut infirmos lucretur [1]: dilecti vero nostri conspicientes ejus ad veritatem scopum, atque œconomiam, referant Domino gloriam, qui Cappadociæ Episcopum dedit hujusmodi, qualem sane nulla non regio sibi peroptat. Tu itaque, dilecte, id illis, quæso, renuntia; ut, quemadmodum scripsi, morem illi gerant. Illud enim eos erga patrem suum benevolos efficiet, pacemque Ecclesiarum servabit. Opto te in Domino valere, dilecte fili.

[1] 1 Cor. IX, 22.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA

AD AMUNEM MONACHUM.

Opificia Dei omnia bona puraque sunt; inutile quippe nihil aut impurum Dei Verbum condidit. Nam, « Christi » bonus odor sumus in iis qui salvi fiunt[1], » ut ait Apostolus. Cum autem varia callidaque sint Diaboli tela, qui id curat, ut simpliciores animo in perturbationem conjiciat, fratresque a consuetis exercitiis deterreat, dum impuras inserit obscœnasque cogitationes : Age, paucis maligni fraudes, per Salvatoris nostri gratiam, depellamus, simpliciorumque mentem confirmemus. « Omnia *quidem* » munda mundis[2] : » sed impurorum, tum conscientia, tum cætera omnia immunda sunt. Miror autem Diaboli vafritiem, qui tametsi corruptio luesque est, cogitationes suggerit specie quidem puritate plenas. Quod agit ille insidiarum potius causa, quam experimenti. Quo enim, ut supra dixi, Ascetas a consueta et salutari meditatione

[1] 2 Cor. II, 15. — [2] Rom. XIV, 20.

avertat, atque hac in re superior evadat, hujusmodi quædam insusurrat, quæ nihil vitæ commodi afferunt : sed vanas quæstiones et nugas, a nobis sane repudiandas. Quid enim, quæso, dilecte ac piissime, peccati aut impuri naturali inest excremento? Ecquis vitio vertere velit mucorem e naribus ejectum, vel sputa ore emissa, quibus plurima possemus addere, ventris nimirum excrementa, quæ animali ad vitam necessaria sunt? Ad hæc, si hominem esse manuum Dei opus secundum Scripturas credimus, quomodo ex pura potentia opus contaminatum prodire valuit? Et si, ut in Actibus Apostolorum legitur, genus Dei sumus, nihil sane in nobis impurum habemus [1]. Tunc enim solum inquinamur, cum pessimi odoris opus, peccatum scilicet, operamur. At cum præter voluntatem naturale quodpiam excrementum emittitur, tunc naturæ necessitate, ut supra diximus, hæc cum cæteris toleramus. Sed quia ii, quibus una probe dictis, immo a Deo gestis rebus repugnandi inest cura, dictum illud evangelicum detorquent : Non quæ ingrediuntur, sed quæ egrediuntur coinquinant hominem; hanc eorum insaniam, ne dicam quæstionem, confutemus [2]. Primum enim Scripturas pro sua ignorantia, instabiles sane homines, depravant [3]. Porro divinum oraculum sic habet : cum quidam enim, quemadmodum isti, de cibis ambigerent, ipse Dominus, ut eorum levaret ignorantiam, dolumque cunctis retegeret, ait, « Non ea quæ ingrediuntur hominem coinquinare, sed quæ egrediuntur. » Addit post hæc, et undenam egrediuntur : ex corde. Quod probe nosset illic prophanarum cogitationum, aliorumque scelerum malos inesse thesauros. Brevius autem Apostolus idipsum docuit hisce verbis : « Esca non nos commendat » Deo [4]. » Jam aliquis opportune dixerit : Naturale ex-

[1] Act. xvii, 28. — [2] Matth. xv, 20. — [3] 2 Petr. iii, 19. — [4] 1 Cor. viii, 8.

crementum nulli nos supplicio addicit. Et forte ipsi medici (ut hinc homines illi vel ab extraneis pudore afficiantur) nobiscum defendent, animali datos esse quosdam necessarios meatus, ad humores qui in singulis habentur membris nostris egerendos : qualia sunt capitis excrementa, pili, aquositates quæ ex capite emittuntur : ventris item secessus, illaque spermaticorum meatuum superfluitas. Ecquodnam hac in re peccatum in Deum, Senex religiosissime, cum ipse Dominus qui animal condidit, id curarit effeceritque, ut hæc membra essent ejusmodi meatibus instructa? Cæterum quia prævertenda sunt improborum argumenta : fortasse enim dixerint : Ergo nec verus eorum usus est peccatum, si quidem organa a conditore facta sunt. Ita loquentibus illis hac interrogatione silentium imponamus : quem dicis usum, legitimumne, quem Deus his permisit verbis : « Crescite » et multiplicamini et replete terram[1] : » quem et ipse probavit Apostolus, cum dixit : « Honorabile connubium » et thorus immaculatus[2] ; » an publicum illum qui clanculum et libidinose exercetur? Nam in cæteris quoque, per hanc vitam agi solitis, quædam occurrunt agendi discrimina : quale occidere non licet; at in bello adversarios interficere, et legitimum et laude dignum est. Sic magnis donantur præmiis qui se in bello strenue gerunt, cippique eriguntur quæ præclara eorum celebrent facinora. Itaque idipsum quodam modo, et quodam tempore non licet : quadam autem ratione et opportunitate permittitur conceditorque. Eadem igitur est de coïtu ratio : Beatus qui in juventute libero junctus matrimonio, natura ad liberorum procreationem usus est : quod si ad libidinem, fornicatores et mœchos, quod apud Apostolum memoratur, supplicium excipiet. Nam duplex cum sit via in

[1] Gen. I, 28. — [2] Hebr. XIII, 4.

vita, alia quidem inferior vulgariorque, matrimonii scilicet; alia vero Angelica et suprema omnium, nempe virginitatis; si quis mundanam, nuptias nimirum elegerit, culpa quidem vacat, sed tot tantaque non consequetur dona. Consequetur tamen aliqua, si quidem et ipse fert fructum tricesimum. Si quis vero castam mundoque superiorem amplexus fuerit vitam, tametsi hæc altera asperior, et difficilior via est, at excellentioribus ille muneribus donandus est : perfectum quippe fructum, nempe centesimum produxit. Itaque obscœnæ illorum atque malignæ quæstiones, proprias habent solutiones ex divinis Scripturis jam olim allatas. Confirma ergo, Pater, greges tuos, apostolicisque verbis hortare, evangelicis demulce, ex Psalmis da consilium; « Vivifica me, » dicens, « se» cundum eloquium tuum[1] : » eloquium autem ejus illud est, ut ex puro corde serviamus illi. Hoc cum non ignoret ipse Propheta, sese quasi interpretatur dicens : « Cor » mundum crea in me Deus[2], » ne me obscœnæ cogitationes conturbent. Rursus ipse David : « Et Spiritu prin» cipali confirma me[3]; » ut si quando me cogitationes conturbent, valida ex te virtus me quasi basis fulciat. Hæc igitur et talia consulendo, dic iis qui tarde veritati obtemperant, « Docebo iniquos vias tuas[4]; » in Dominoque confidens, te suasurum illis ut ab hujusmodi vitio abstineant, psalle, « Et impii ad te convertentur[5]. » Utinam qui malo animo hasce movent quæstiones, incassum laborandi finem faciant : qui vero ob animæ simplicitatem in dubitatione versantur, Spiritu principali confirmentur : quotquot autem veritatem firmiter nostis, eam infractam et inconcussam retineatis in Christo Jesu Domino nostro : cui cum Patre gloria et imperium cum Spiritu sancto, in sæcula. Amen.

[1] Psal. CXVIII, 107. — [2] Psal. L, 12. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid.

Ejusdem ex trigesima nona Epistola festali (initio mutila.)

I. At quandoquidem de hæreticis tanquam mortuis mentionem fecimus; de nobis autem, ut qui divinas ad salutem Litteras habeamus : et quia vereor ne, ut ad Corinthios Paulus scripsit, ex simplicioribus pauci, a simplicitate puritateque sua, per quorundam hominum vafritiem avertantur [1] : neve deinceps libros alios legant, qui Apocryphi vocantur, nominum similitudine decepti, qua cum veris libris conveniunt; æquo, quæso, ferte animo si de quibus probe nostis, de iisdem ego scribo, quod ex re utilitateque Ecclesiæ fore existiment. Illa autem memoraturus, ad audacis propositi mei confirmationem, Evangelistæ Lucæ forma utar, dicendo : « Quoniam » quidem aliqui conati sunt [2], » quæ dicuntur Apocrypha in suum ordinem redigere, eaque miscere Scripturæ a Deo inspiratæ, quam certis accepimus testimoniis, quemadmodum Patribus tradidere qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis : visum est et mihi, adhortantibus germanis fratribus, prout didici, ab initio et ordine libros recensere, quos divinos esse, canonice scriptum, traditum et creditum est : et quisque si seductus quidem fuerit, eos coarguat qui se seduxerint; sin purus permanserit, lætus hæc monita accipiat. Sunt itaque veteris Testamenti libri omnes numero viginti duo. Tot enim, ut audivi, elementa apud Hebræos esse traditum est. Singuli autem hoc ordine, hoc nomine sunt : Primum Genesis, deinde Exodus, hinc Leviticus, postea Numeri, exinde Deuteronomium. Hos excipiunt,

[1] 2 Cor. xi, 3. — [2] Luc. i, 1.

Jesus filius Nave, Judices, et postea Ruth. Hinc rursum Regnorum libri quatuor : ex quibus, primus et secundus, pro uno numerantur libro, tertius et quartus pro uno similiter. Post hæc Paralipomenon primus et secundus pro uno pariter libro censentur. Hinc Esdræ primus et secundus, pro uno similiter : postea liber Psalmorum, deinceps Proverbia, tum Ecclesiastes, et Canticum canticorum. Ad hæc Job : ac deinceps Prophetæ, ex quibus duodecim pro uno libro numerantur. Hinc Hesaïas, Hieremias et cum ipso Baruch, Lamentationes, Epistola : postea Hezechiel et Daniel : Hactenus veteris Testamenti libri. Novi autem Testamenti libros referre ne pigeat. Sunt enim hi, Evangelia quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem. Postea acta Apostolorum, et Epistolæ Catholicæ, quæ Apostolorum vocantur, numero septem : nempe, Jacobi una, Petri duæ, Joannis tres, Judæ una. Ad hæc Pauli Apostoli quatuordecim sunt Epistolæ, sic ordine descriptæ : prima, ad Romanos : tum duæ ad Corinthios : dehinc, ad Galatas : postea, ad Ephesios : deinde, ad Philippenses : tum, ad Colossenses : postea, ad Thessalonicenses duæ, et ea quæ ad Hebræos dirigitur : deinde ad Timotheum duæ : ad Titum una : ultimo, ad Philemonem una : ad hæc Joannis Apocalypsis. Hi sunt salutis fontes, ut qui sitit eorum eloquiis impleatur : ut in his solis pietatis doctrina docetur. Nemo iis addat, aut aliquid ab illis detrahat. De his Dominus Sadducæos pudore afficiebat, his verbis : « Erratis nescientes Scripturas[1] : » Judæos vero hortabatur dicens : « Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me[2]. » Sed majoris accurationis causa illud quoque scripto addere necesse duxi ; esse nimirum alios libros præter istos, non in canonem quidem redac-

[1] Matth. XXII, 29. — [2] Joan. v, 39.

tos, sed quos a Patribus decretum est, legendos ab iis esse qui nuper ediscendi pietatis verbi gratia accesserint. Sapientia Salomonis, et sapientia Sirach, Esther, Judith, Tobias, doctrina, ut vocant, Apostolorum, et Pastor. Attamen, dilecti, cum illi in canonem redacti sint, hi legantur, nusquam apocryphorum mentio habetur; sed ii sunt hæreticorum commentum, qui arbitratu suo libros conscribunt, quibus assignant tempora, ut ea quam ipsis adscribunt antiquitatis specie, occasionem capteut simpliciores fallendi (4).

EPISTOLA AD RUFINIANUM.

Domino filio, et optatissimo comministro Rufiniano Athanasius, in Domino salutem.

Tu quidem quæ dilectum filium decent ad Patrem scribis : te itaque litteris accedentem tuis amplexus sum, omnium dilectissime mihi Rufiniane. Cum autem et in sermonis exordio et in medio et in fine, tibi, quasi filio scribere possem, me ipse cohibui, ne ex litteris commendatio et testimonium palam fieret. Tu enim mihi es Epistola, sicut scriptum est, agnita lectaque in corde [1]. Sic igitur credito, et ita affectus esto, etiam credito. Saluto te, et ut rescribas hortor, non parum enim, sed summopere me, ita agendo delectas. Quoniam autem studiose et ecclesiastice, ut pietati convenit tuæ, interrogasti de iis qui vi quidem subducti, lapsi sunt, nec tamen prava fide

[1] 2 Cor. III, 2.

corrupti : et voluisti me rescribere, quæ de illis, cum in Synodis, tum ubique alias decreta sunt; scito Domine mi optatissime, in principio quidem cum vis illa desiisset, coactam Synodum fuisse, præsentibus exterarum partium Episcopis : celebratam item aliam fuisse apud Græciæ comministros, nihiloque secius apud illos qui in Hispania, et in Gallia degunt : atque idipsum hic et ubique placuisse, nimirum ut iis qui lapsi sunt, si impietatis fuerint præfecti, venia concedatur, si quidem resipiscant, nec detur tamen in Clero locus : iis vero qui impietati patrocinati non sunt, sed necessitate ac violentia tracti fuere, decretum est, ut et venia concedatur, et in Clero detur locus; potissimum quia consentaneam attulerunt excusationem, et quod œconomia quadam id factum videatur. Affirmabant quippe se minime in impietatem lapsos fuisse : sed ne impiissimi quidam homines ad Episcopatum evecti, Ecclesias corrumperent, se maluisse cum violentia concurrere, et id oneris ferre, quam populos perdere. Hæc illi verba non abs re loqui nobis visi sunt : quod maxime ipsi in exemplum afferrent, Aaronem, Mosis fratrem in deserto populi prævaricationi concurrisse : hanc tamen excusationem habuisse, ne populus scilicet in Ægyptum reversus in idololatria permaneret : nam id rationi certe consentaneum videbatur; siquidem in deserto manentes, poterant impietatis finem facere, sin autem in Ægyptum ingressi fuissent, in impietate versati auctique fuissent. Quapropter ad Clerum reditus illis concessus est; iis enim qui decepti et vim passi sunt venia facile datur. Hæc tuæ quoque pietati significo, confidens, tuam religionem quæ decreta sunt suscepturam, nec lenitatem eorum qui convenere damnaturam. Hæc legere digneris sacris Ministris et populo qui tibi subest; ut et ipsi his compertis, te circa

illos ita affectum non coarguant. Abs re enim esset me scribere, cum tua pietas possit, et nostrum erga illos affectum nunciare, et omnia quæ desunt implere. Gratia Domino, qui implevit te omni verbo et omni scientia. Qui itaque pœnitentiam agunt, anathemate damnent, expresso nomine, pravam Euzoii et Eudoxii doctrinam. Illi enim arianæ hæreseos Patroni, in Christum blasphemantes creaturam eum esse scripserunt. Confiteantur quoque fidem Nicææ a Patribus declaratam, et nullam aliam Synodum huic anteponant. Saluta fratres qui apud te sunt; qui apud me degunt te in Domino salutant.

EPISTOLA AD LUCIFERUM.

Domino Dilectissimo Fratri Lucifero Episcopo et Confessori, Athanasius in Domino salutem.

Deo favente, corpore valentes misimus etiam nunc carissimum nostrum Eutychetem Diaconem, ut tua quoque religiosa sanctitas, quod est nobis optandum et desiderabile, de tua incolumitate tuorumque omnium certiores nos efficere dignetur. Vobis namque Confessoribus ac servis Dei viventibus, credimus statum Catholicæ Ecclesiæ renovari, et quod hæretici conscindere tentaverunt, hoc Dominum nostrum Jesum Christum per vos ad integrum restituere. Quanquam enim præcursore Antichristi per potentiam hujus mundi omnia egerint

ut extinguerent lucernam veritatis, tamen divinitas per vestram confessionem, clariorem ejus lucem ostendit, ut neminem latere possit eorum fallacia. Antehac vel simulare poterant, nunc Antichristi nominantur. Quis enim non execretur, qui eorum communionem tanquam maculam, ac virus anguis non fugiat? Omnis ubique Ecclesia luget, omnis civitas gemit, senes Episcopi in exilio laborant, et hæretici dissimulant, qui dum negant Christum, publicanos se effecerunt sedentes in Ecclesiis, et exigentes vectigalia. O novum genus hominum et persecutionis, quod adinvenit Diabolus, ut ipsis ministris ad malefaciendum et tanta credulitate uteretur! Sed etsi hæc tanta agunt, et superbias et blasphemias extenderunt, confessio tamen et religio, et sapientia vestra, non modicum, sed maximum solatium, et magna consolatio est fraternitati. Pervenit enim ad nos scripsisse sanctitatem tuam Augusto Constantio, et magis magisque miramur, quia in medio tanquam scorpionum habitans, animi tamen libertate uteris, ut vel monendo, vel docendo, vel emendando, errantes ad lumen veritatis adducas. Rogo igitur, rogant mecum etiam omnes Confessores, ut digneris nobis exemplum destinare; ut non tantum auditu, sed etiam ex litteris possint perspicere omnes animæ tuæ virtutem fideique fiduciam et libertatem. Salutant sanctitatem tuam qui mecum sunt. Saluto omnes qui tecum sunt. Divinitas te incolumen, vegetum, memoremque nostri semper tueatur, Domine dilectissime, ac vere homo Dei.

His acceptis litteris, beatus Lucifer misit libros quos ad Constantium scripserat, quos cum legisset Athanasius, hanc infra epistolam misit.

Domino gloriosissimo, ac merito desideratissimo coepiscopo Lucifero, Athanasius in Domino salutem.

Etsi credo pervenisse etiam ad sanctitatem tuam de persecutione, quam etiam nunc adversus fraternitatem facere conati sunt inimici Christi, quærentes sanguinem nostrum; possunt tamen etiam carissimi nostri referre religioni tuæ. In tantum enim rabiem suam per milites extendere nisi sunt, ut non solum civitatis Clericos effugarent, sed etiam ad Eremitas exirent, et funestas suas manus adversus μονάζοντας immitterent. Inde factum est ut etiam ego me longius abducerem, ne etiam qui nos susceperunt, negotium ab eisdem paterentur. Cui etenim parcent Ariani qui nec animis suis pepercerunt? Quando autem possunt recedere a suis nefandis actibus, dum permanent negando Christum Dominum unicum Filium Dei? Hæc est radix eorum pravitatis : hoc suo arenoso fundamento ædificant perversas suas vias, sicut scriptum invenimus in tertio decimo Psalmo; « Dixit » insipiens in corde suo; non est Deus. » Et mox sequitur : « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in operi» bus suis[1]. » Inde Judæi negantes Filium Dei digni fuerunt audire : Væ gens peccatrix, populus plenus delictis, semen malignum, filii sine lege[2]. Unde sine lege, quippe quia dereliquistis Dominum. Inde beatissimus Paulus cum cœpisset non tantum credere in Filium Dei, verumetiam prædicare deitatem ipsius, scribebat : « In

[1] Psal. XIII, 1, 2. — [2] Isai. I, 3.

» nullo mihi mali conscius sum[1]. » Ita juxta vestram confessionem etiam nos optamus, tenentes apostolicam traditionem, vivere juxta divinæ legis mandata, ut possimus vobiscum inveniri in choro illo, in quo uunc exultant Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli ac Martyres. Licet igitur Ariani insania cum extranea potentia ita se movebat, ut non liceret nec Fratres, quantum illi sæviebant, libere aërem videre; tamen juxta orationes tuas Deo favente, et si cum labore et periculo videre potui fratrem, qui solet tam necessaria quam epistolas tam sanctitatis tuæ quam aliorum destinare. Accepimus itaque epistolas et libros religiosissimæ ac sapientissimæ animæ tuæ, in quibus perspeximus imaginem apostolicam, fiduciam propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cœlestem, martyrii gloriam, triumphos adversus hæresim arianam, traditionem integram Patrum nostrorum, regulam rectam Ecclesiastici ordinis. O vere Lucifer, qui juxta nomen lumen veritatis ferens, posuisti super candelabrum, ut luceat omnibus! Quis enim, exceptis Arianis, non pervidet ex tua doctrina veram quidem fidem, maculam autem Arianorum. Valde et admirabiliter, ut est lumen a tenebris, ita separasti veritatem a calliditate et hypocrisi hæreticorum, defendisti Catholicam Ecclesiam, probasti nihil esse, sed tantum phantasiam, Arianorum verba docuisti calcandos esse frendores diabolicos. Quam bona et jucunda hortamenta tua ad martyrium! quam desideratissimam ostendisti mortem esse pro Christo Filio Dei! quam futuri sæculi et vitæ cœlestis amorem manifestasti! Videris esse verum templum Salvatoris, qui in te habitans hæc ipsa per te loquitur, ipse qui tantam gratiam præbuit sermonibus tuis, quippe qui ante eras apud omnes

[1] Cor, IV, 4.

amabilis, nunc tamen tantus est amor affectionis tuæ in animis omnium collocatus, ut Heliam te temporibus nostris nominent, et non mirum. Si enim qui Deo placere videntur, filii Dei nominantur, quanto magis participes Prophetarum, Confessores, et maxime te appellare dignum est? Crede mihi, Lucifer, non tu solus hæc locutus es, sed Spiritus sanctus tecum. Unde hæc tanta memoria Scripturarum? unde sensus et intellectus earumdem integer? unde talis ordo sermonis compositus est? unde tanta hortamenta in viam cœlestem? unde fiducia contra Diabolum, et probationes adversus hæreticos, nisi Spiritus sanctus collocatus esset in te? Gaude igitur in eo te esse, jam pervidens in quo etiam præcessores tui nunc sunt Martyres, hoc est in choro Angelorum. Gaudemus etiam nos, habentes te exemplum virtutis et patientiæ et libertatis. Nam de his quæ scripsisti de nomine meo, erubesco aliquid proferre, ne videar adulator; sed scio et credo ipsum Dominum, qui sancto et religioso animo tuo revelavit omnem notitiam, redditurum tibi etiam pro hoc labore præmium in regno cœlorum. Quia ergo talis es, precatorem te esse pro nobis per orationes Dominum petimus, ut jam inspicere dignetur, ut est misericors, Ecclesiam Catholicam, et eripiat omnes famulos suos de manibus persecutorum : quo etiam hi omnes qui propter metum temporalem ceciderunt, levare se tandem possint et reverti ad viam justitiæ, a qua seducti vagantur, nescientes in qua fovea sint, miseri. Specialiter autem ego peto, si aliquid minus a me dictum est, ignoscere digneris : a tanto enim fonte, quod potuit imperitia mea vix haurire valuit. De fratribus autem nostris, sin minus potui videre eosdem, iterum ignoscas peto. Est enim ipsa veritas testis, optasse me et desiderasse hoc impetrare, et tantum ha-

buisse dolorem quod non potui : nam nec lacrymæ cessaverunt ab oculis, nec gemitus ab animo , quia nec fratres permittimur videre. Testis est autem Dominus, quia nec parentes quos potui videre, ex quo persequuntur nos. Quid enim non faciunt Ariani? Itinera observant, curam habent de proficiscentibus et exeuntibus de Civitate, naves quærunt, eremias gyrant, domos perturbant, concutiunt fratres, singulis negotia concinnant : sed Deo gratias, dum hæc agunt tanto magis et plus execrantur ab omnibus et cognoscuntur vere, ut dixit sanctitas tua, mancipia esse Antichristi, et ipsi miseri dum in odio habentur, durant in malignitate sua, donec morte avi sui Pharaonis et ipsi damnentur. Salutant religionem tuam qui mecum sunt, dignare salutare qui tecum sunt. Divina Dei gratia incolumem te, memorem nostri, semper beatum conservet, merito homo Dei, famule Christi, particeps Apostolorum, solatium fraternitatis, magister veritatis, et in omnibus desideratissime.

EXEMPLUM EPISTOLÆ ATHANASII DE GRÆCO IN LATINUM TRANSLATÆ.

Athanasius solitariæ vitæ studentibus, et in fide Dei roboratis, ac dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

Domino quidem gratias ago, qui donavit vobis in eum credere, ut cum Sanctis etiam vos habeatis vitam perpetuam. Quia autem sunt quidam, qui quæ sunt Arii sapiunt, circumeuntes Monasteria propter nihil aliud, nisi ut quasi ad vos venientes, et a nobis revertentes, simplices seducant. Quidam autem sunt qui affirmant quidem non se sapere illa quæ sint Arii, pergunt autem et pariter orant cum ipsis; necessario, hortantibus sincerissimis fratribus scribere studui, ut piam fidem quam in nobis Dei gratia operatur, sincere et sine dolo custodientes, non detis occasionem scandali fratribus. Cum enim quis vos in Christo fidelis viderit communicare cum talibus, vel cum eis pariter orare, utique opinantes indiscretum hoc esse, incidunt in cœnam impietatis. Ut ergo nihil tale fiat, sit vobis voluntas, carissimi, eos qui sapiunt quæ sunt impietatis Arii avertere : eos autem qui putantur quidem non sapere quæ sunt Arii, orant autem cum impiis, devitare : et maxime quia quorum sensus execramur, horum etiam communionem convenit fugere. Si quis itaque venit ad vos, si quidem affert secundum beatum Joannem rectam doctrinam, dicite huic,

Ave, et sicuti fratrem hunc talem suscipite[1]. Si quis autem simulat quidem confiteri se rectam fidem, apparet autem communicare illis, hujusmodi hominem hortamini quidem abstinere se a tali consuetudine, et si quidem promiserit, habetote et hunc quasi fratrem; si vero contentioso animo perseveraverit, et hunc quoque vitate. Possibile quidem erat mihi etiam per multa extendere epistolam, apponenti ex Scripturis divinis formam ejusmodi doctrinæ; sed quia prudentes existentes prævenitis eos qui scribunt, et magis abstinentiæ intenti idonei estis et alios docere: propterea breviter, tanquam diligens ad diligentes, dictavi confidens, quia sic degentes puram sinceramque fidem servabitis: et illi jam videntes quod non cum eis pariter oratis percipient utilitatem, timentes ne forte tanquam impii, et qui illorum sapiant, deputentur.

[1] 2 Joan. x.

Incipit Epistola sancti Athanasii Episcopi Alexandrini, filiis suis[1].

Deus quidem vos consoletur, novi autem quia non hoc solum vos contristat; sed contristat et illud, quia Ecclesias quidem alii per violentiam tenuerunt, vos autem interim foris estis a locis; illi enim loca, vos vero habetis apostolicam fidem. Illi in locis existentes, a vera fide sunt foris : vos vero a locis quidem foris estis, fides vero intus. Discutiamus quid sit majus, locus an fides : claret utique quia vera fides. Quis ergo amplius perdidit, vel quis amplius habet, qui locum tenet, an qui fidem? Bonus quidem locus est, quando illic apostolica fides prædicatur : sanctus est, si ibi habitat sanctus. Et post pauca : Vos autem beati, qui fide in Ecclesia estis, in fidei fundamentis habitatis, et sufficientem satisfactionem habetis, fidei summitatem, quæ in vobis permanet inconcussa, ex apostolica enim traditione pervenit ad vos, et frequenter eam execranda invidia voluit commovere, nec valuit : magis autem per ea quæ commoverunt sunt abscissi. Hoc est enim quod scriptum est : « Tu es Filius Dei vivi[2], » Petro per revelationem Patris confesso, et audiente : « Beatus es Simon Barjona, quia » caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus qui » in cœlis est, » et cætera. Nemo igitur unquam vestræ fidei prævalebit, dilectissimi fratres : si enim aliquando Ecclesias reddiderit Deus, credimus enim hoc; verum tamen ne tanta Ecclesiarum redditionem sufficit nobis fides

[1] Scripta anno 356. — [2] Matth. XVI, 17.

Et ne forte sine Scripturis loquens violentia dicam, bonum est vos ad Scripturarum testimonia trahere. Commemoramini enim quia templum quidem erat Hierusalem : templum non erat in eremo, alienigenæ invaserant. Ex quo et templum vero Hierusalem; illi ejecti Babylonia descenderunt, judicio probantis, sive etiam corrigentis Dei; manifestantis vero inimicorum sanguinem vorantium pœnas ignaris. Et locum quidem habebant alienigenæ; loci vero Dominum nesciebant. In tantum vero quia nec responsa dabat, nec loquebatur, sed a veritate desolati fuerunt. Quid igitur eos juvat locus? Ecce enim locum habentes accusantur a diligentibus Deum, quia eum fecerunt speluncam latronum, et domum negotiationis et domum veli locum sanctum fecerunt amentes sibi, quos illic non licebat intrare. Audivimus enim, dilectissmi, discentes ab his qui inde venerunt hæc et deteriora his. Quanto igitur labore videntur Ecclesiam tenere, tanto magis ejecti sunt. Et putantur esse intra veritatem, expulsi sunt autem et capti, et nullum lucrum sola Ecclesia quia rarum, veritas judicatur.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

LIBER DE TRINITATE

ET SPIRITU SANCTO.

I. His qui Filium Dei creatum esse profitentur, nequaquam de Spiritu sancto dabimus responsum. Ut enim Filium, qui de substantia Dei impassibiliter sit genitus, creatum ausi sunt dicere, ita et de Spiritu sancto dicunt utique similia : pœnitentiam vero acturis, sed de Filio interim sentientibus recte, respondebimus de Spiritu sancto. Etenim desperandum est, eos, qui semel de irreligiositate ad religionem converti cœperunt, ad perfectum lucri converti. Ex Scripturis sane divinis, et non ex humanis intelligentiis hoc est. Istiusmodi igitur rationem præstare operam daturi sumus. Dicite nobis, admirabiles, ubi in auctoritate legistis, creatum esse Spiritum sanctum? Joannem, inquiunt, audivimus in Evangelio dicentem : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine » ipso factum est nihil [1]. » Quibus dicimus : Si ergo audieritis et David in CXVIII Psalmo in Spiritu sancto di-

[1] Joan. I, 3.

centem Deo : « Quia universa serviunt tibi [1] : » Servum utique esse dicetis etiam Spiritum sanctum, qui non est servus, sed liber, et liberaverit creaturam, et in adoptionem filiorum eam promoverit ad Deum. Aut non audistis Paulum ad Romanos scribentem : « Non accepistis » spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis » spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba » Pater. Ipse spiritus contestatus est spiritui nostro, quia » sumus Filii Dei [2]. » Et iterum : « Lex enim Spiritus » vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et » mortis [3]. » Si vero non est servus Spiritus sanctus, sicut probaverunt Scripturæ : « Quia omnia serviunt » ei [4], » quod omnia per Filium facta sunt, et sine ipso factum est nihil : unus namque erat eorum, qui audierunt Salvatorem dicentem : « Non enim vos estis qui lo» quimini, sed Spiritus patris vestri, qui habitat in » vobis [5]. » Sicut et Petrus scribens, ait : « Quæ nunc » nuntiata sunt vobis evangelizante in vos Spiritu sancto » misso e cœlis. » Itaque si Spiritus sanctus est, qui dicit : « Omnia per Filium facta sunt, et sine ipso factum » est nihil, » oportuerat quidem ipsum, siquidem creatus esset, dicere : « Omnia per ipsum facta sunt, » et ego per eum factus sum, et sine eo factum est nihil, quomodo consuetudo Sanctorum est. Ita Paulus sane de se, et de omnibus sanctis observantissime scribit : « Nobis » autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Domi» nus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per » ipsum [6]. » Sed quoniam non est universitatis, sed Trinitatis Spiritus sanctus, omnia, quæ post Trinitatem sunt, per Filium Dei creata esse dixit Spiritus sanctus.

II. Testis autem est mihi beatissimus Paulus in Spiritu

[1] Psal. CXVIII, 91. — [2] Rom. VIII, 10. — [3] Ibid. 2. — [4] Joan. I, 3. — [5] Matth. X, 20. — [6] I Cor. VIII, 6.

sancto, hoc, quod omnia per Filium facta sint, prophetans in epistola ad Colossenses scripta : « Quia in ipso » Filio creata sunt omnia, quæ in cœlis, et quæ in terris, » sive visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates : omnia per » ipsum, et in ipso facta sunt, et ipse est ante omnia[1]. » Non dixit, sive Spiritus sanctus. Psalmista vero David in CXLVIII Psalmo in Spiritu iterum sancto imperans universæ creaturæ laudare Dominum, dicit : « Laudate Do- » minum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum » omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. » Laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stellæ et » lumen. Laudate eum cœli cœlorum, et aquæ quæ su- » per cœlos sunt laudent nomen Domini; etc[2]. » Indignum duxit super his connumerare Spiritum sanctum, et dicere : Laudet eum Spiritus sanctus : quia laudandorum, et non laudantium est, quemadmodum paulo post in Scripturis probabimus, et vivificantium, et non vivificantium est, vita cum sit, sicut Paulus in secunda ad Corinthios epistola, ait : « Sed sufficientia nostra ex Deo » est, qui et idoneos nos fecit ministros novi Testa- » menti, non littera, sed Spiritu. Littera enim occidit, » Spiritus autem vivificat[3]. » Ad Romanos vero : « Cor- » pus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus » autem vivit propter justitiam[4]. » Et iterum : « Si au- » tem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum a » mortuis, habitat in vobis, vivificabit autem et morta- » lia corpora vestra per inhabitantem Spiritum suum in » vobis[5]. » Tres quoque sancti martyres, Ananias, Azarias et Misael in fornace ignis positi in terra Chaldæorum, cum admirabiliter Deus calorem ignis ad tempe-

[1] Coloss. I, 16. — [2] Psal. CXLVIII, 1. — [3] 2 Cor. III, 5. — [4] Rom. VIII, 10. — [5] Ibid. 11.

ratum refrigerium convertisset, universam creaturam adhortantes secum laudare Deum, sic incipiunt : « Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula. Benedicite cœli Dominum, » hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula. Benedicite Angeli Dominum, hymnum dicite, et super- » exaltate eum in sæcula. Benedicite omnes virtutes » Domini Dominum, hymnum dicite, et superexaltate » eum in sæcula. Benedicite sol et luna Dominum, hym- » num dicite, et superexaltate eum in sæcula [1]. » Et in consequentibus semetipsos ad hoc incitantes « Benedicite » Anania, Azaria, et Misael Dominum, laudate et supe- » rexaltate eum in sæcula. » Et omnem creaturam benedicere Domino secum hortantes, non dicunt : Benedicat Dominum et Spiritus sanctus. Sed et Esaiæ Seraphim adstantia et laudantia visa sunt : et Ezechieli Cherubim subtus gloriam Dei Israël.

III. Cum evidentissime ergo sancti fideliter non connumerassent his, quæ per Filium facta sunt, Spiritum sanctum, sed ubique Scripturarum divinarum auctoritate cum Patre et Filio eum professi fuissent, quare non timent isti Patri et Filio subtrahere, et universitati audaciter connumerare? Sed Paulus, aiunt, Ecclesiis Dei : « Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino Jesu » Christo [2] : » non dicit autem et Spiritu sancto. Et ad Thessalonicenses scribens dicit : « Ipse autem Deus Pater, » et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram » ad vos [3] : » Non dicens, et Spiritus sanctus, manifeste eum non cum Patre et Filio, sed cum universitate eum pronuntiat : nam et famulus Dei Moses dicit : « Dominus » pluit a Domino de cœlo sulphur et ignem [4] : » non me-

[1] Dan. III, 57. — [2] Rom. I, 7 et passim. — [3] I Thess. III, 11. — [4] Gen. XIX, 24.

morat Spiritum sanctum. A quo et Paulus cum didicisset, et de Onesiphoro ad Timotheum scribit : « Det ei » Dominus invenire misericordiam a Domino in die » illa [1]. » Nec non et in Exodo scriptum est : « Dixit » autem Dominus ad Mosem : Quoadusque non vultis » audire mandata mea, et legitima mea considerare? » Non Dominus Deus dedit vobis istum diem Sabbati. » Propterea ipse dedit vobis panes duum dierum [2]. » Et hic cum Patris et Filii fecisset mentionem, de Spiritu sancto tacuit. Denique et Zacharias Propheta dicit : « Et » dixit Dominus ad Diabolum : Increpet in te Dominus, » Diabole [3]. » Ubi est nunc et apud istum Spiritus sanctus? Quem autem non movebit instructio sacramenti? prout Dominus confitetur : « Hæc est autem vita æterna, » ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti » Jesum Christum [4], » cum de Spiritu nihil dixisset. Paulus autem cum didicisset fidei sacramentum, tradidit scribens ita : « Nobis vero unus Deus Pater, ex quo om- » nia, et nos in illo : et unus Dominus Jesus Christus, » per quem omnia, et nos per ipsum [5]. »

IV. Ergo ubique divinæ Scripturæ memorantes Patrem et Filium, non commemorant etiam Spiritum sanctum. Quibus dicimus : Si ergo Mosem audieritis dicentem, « Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli » servies [6]. » Aut si audieritis Deum et Esaia dicentem : « Ego Deus, et non est præter me salvans [7]. » Ergo neque Deus Salvator, jam quantum ad vos est, Filius Dei in confessione dicitur. Aut si audieritis iterum eum dicentem : « Testes estis vos, si est Deus præter me [8], » non jam Deum esse Filium. Et iterum : « Ego primus et ego » postea, et præter me Deus non est. Tu autem non nosti

[1] 2 Tim. I, 18. — [2] Exod. XVI, 28. — [3] Zach. III, 2. — [4] Joan. XVII, 3. — [5] 1 Cor. VIII, 6. — [6] Deut. VI, 13. — [7] Isai. XLIII, 11. — [8] Isai. XLIV, 8

» me, quia ego Dominus Deus, et non est alius præter » me. Ego Dominus, et non est amplius [1] » Quod si audieritis et per Joël dicentem Deum? « Et cognoscetis, » quia ego in medio Israël sum. Ego Dominus Deus vester, et non est amplius alius præter me. » Et alias tales innumerabiles professiones divinarum Scripturarum cum audieritis, nec Filium utique dabitis Deo connumerari? Et quibus ante consensistis Scripturis dixisse de Patre et Filio, iisdem nunc contraria ita esse dicetis? Aut numquid hæc non sunt Scripturarum verba; sed adversantur sibi, secundum vos, divinæ Scripturæ? Absit. Sed licet singulariter sancti loquantur unius nominis mentione, id est, Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti, in uno tamen nomine Trinitatem in se pronuntiare sciunt, quod novissime probabimus. Ut enim hæ professiones Filium non excludunt ab unitate Patris, immo et Spiritum sanctum connumeratum Patri et Filio continent, quemadmodum in Scripturis sanctis monstravimus, sic nec cum Patrem et Filium nominant Scripturæ, Spiritum tanquam creatum universitati connumerant. Alioquin quemadmodum de Patre et Filio dicitis et ostenditis dicere Scripturas, arbitrantes non connumerari cum Patre et Filio Spiritum sanctum, si audieritis Scripturas mentionem facientes Dei et Spiritus, quid eritis facturi? Dicit sane Aggæus Propheta : « Quapropter ego sum vo- » biscum, dicit Dominus omnipotens, et Spiritus meus » constat in medio vestrum [2]. » Considerate ergo, ubi ponatis Filium : Ecce enim omnipotens et Spiritu significatur. Aut si audieritis Esaiam dicentem : « Væ filii de- » sertores, hæc dicit Dominus : Fecistis consilium, et non » ex me : et pactum, et non per Spiritum meum : adji- » cere peccata super peccata [3]. » Et iterum : « Occur-

[1] Isai. XLV, 4. — [2] Agg. II, 5, 6. — [3] Isai. XXX, 1.

» rerunt sibi cervæ, et viderunt facies suas, numero » transierunt, et una ex eis periit. Alia aliam non quæ- » sivit, quia Dominus mandavit eis, et Spiritus ejus » congregavit eas [1]. » Hæc ergo audientes, ubi Filium quæritis?

V. Aut si audieritis Zachariam Prophetam dicentem : « Patres vestri ubi sunt et Prophetæ? dicit Dominus : » Numquid in æternum vivent? Verumtamen sermones » meos et legitima mea percipite, quæ ego mando in » Spiritu meo servis meis Prophetis, qui apprehenderunt » patres vestros[2] » Aut si audieritis David dicentem Deo : « Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? » Quid cogitabitis de Filio? Sic vero et Apostolus Paulus Corinthiis scribens, ait : « Nescitis, quia templum Dei » estis, et Spiritus Dei habitat in vobis[3]? » Patrem et Spiritum connumerari dabitis : Filium vero in his, quæ per Spiritum sunt, ponitis. Esaïas enim dixit : « Hæc di- » cit Dominus : Fecistis consilium, et non per me : et » pactum, et non per Spiritum meum[4]. » Nequaquam ergo nec in mentem vestram, religiosi viri, hoc subeat unquam : sed quemadmodum dixistis, Paulum scripsisse : « Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro » Jesu Christo[5] : » et nullam mentionem eum fecisse Spiritus putatis : Sic iterum audite eum ad Corinthios scribentem in secunda Epistola : « Gratia Domini nostri Jesu » Christi, et caritas Dei, et communicatio Spiritus sancti » cum omnibus vobis[6]. » Et quemadmodum hic dixit, caritas Dei, sic etiam ad Romanos : « Obsecro autem vos » fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, et per » caritatem Spiritus, concertemini mecum in orationi- » bus pro me ad Deum. » Et cum Paulus asseruisset com-

[1] Isai. XXXIV, 15 et 16. — [2] Zach. I, 5. — [3] 1 Cor. III, 16. — [4] Isai. XXX, 1. — [5] Rom. I, 7. — [6] 2 Cor. XIII, 13.

municationem Spiritus vobiscum, Joannes, ait : « Com-
» municatio vero nostra ut sit cum Patre, et Filio ejus
» Jesu Christo[1]. » Paulus autem Apostolus dicit : « Fi-
» delis autem Deus, per quem vocati sumus in commu-
» nicationem filii sui Jesu Christi Domini nostri[2]. » In prima quoque epistola ad Corinthios necesse est iterum audire Paulum, Trinitatem prædicantem, dicit enim :
» Divisiones autem donorum sunt, idem vero Spiritus :
» et divisiones ministeriorum sunt, idem autem Domi-
» nus : et divisiones operationum sunt, idem vero Deus,
» qui operatur omnia in omnibus[3]. » Cum dixisset autem Deum et omnia in omnibus operari, et professus fuisset dona quæ per Spiritum donantur, adjecit : « Hæc autem
» omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens
» singulis prout vult. » Docens operationem Dei esse Spiritus sancti, numquid destitit Paulus a Trinitate? numquid subtraxit Deo et Filio Spiritum? et sicut ad Thessalonicenses scripsit : « Ipse autem Deus pacis sanctificet
» vos ad perfectum[4]. » Ita et ad Corinthios in prima Epistola : « Sed abluti estis, sed sanctificati estis et justi-
» ficati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in
» Spiritu Dei nostri[5]. » Consideratis ne Spiritum sanctum ubique Scripturarum cum Patre et Filio connumerari?

VI. Audiendus plane Filius in Esaïa Propheta, semetipsum et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum prædicans, sic enim ait : « Audi me Jacob, et Israël, quem ego
» voco : Ego sum primus, et ego in æternum : manus
» mea fundavit terram, dextera mea fundavit cœlum,
» vocabo eos omnes, et stabunt simul, et congregabun-
» tur omnes, et audient. Quis annuntiavit vobis talia?
» Diligens te feci voluntatem tuam in Babylone, ut tol-

[1] Joan. I, 3. — [2] I Cor. I, 9. — [3] I Cor. XII, 4. — [4] I Thess. V, 23. — [5] I Cor. VI, 11.

» lam semen Chaldæorum. Ego locutus sum, ego vocavi, » adduxi illum, et prosperum iter ejus feci. Accedite ad » me, et audite hæc, non a principio in abscondito » locutus sum hæc, quando fiebant, et nunc Dominus » misit me, et Spiritus ejus[1]. » Et iterum : « Ego sum, » qui deleo omnes iniquitates, dic tu iniquitates tuas » prior, ut justificeris. Patres vestri priores, et principes » eorum inique egerunt in me, et contaminaverunt prin- » cipes sancta mea : et dedi perdere Jacob, et Israël, » quem elegi, quia ego dabo aquam in sitim, qui iter fe- » cerunt in sicco : imponam Spiritum mecum super se- » men tuum, et benedictiones meas super filios tuos[2]. » Et ipse vero Esaïas Trinitatem prædicans, ait : « Ecce » nomen Domini per multum tempus venit ardens ira, » cum gloria labiorum ejus, verbum ira plenum, et ira » furoris, sicut ignis, et spiritus meus sicut aquam tra- » hens; veniet usque ad collum[3]. » Audite vero et Zachariam Trinitatem prædicantem, ait enim : « Hæc dicit » Dominus omnipotens : judicium justum judicate, et » misericordiam et miserationes facite unusquisque ad » fratrem suum, et viduæ, et pupillo, et advenæ, et pau- » peri nolite per potentiam nocere, et malitiæ unusquis- » que fratris sui nolite memores esse in cordibus vestris. » Et non obedierunt advertere, sed dederunt dorsum » suum insipienter, et aures suas gravaverunt, ut non » audiant legem meam, et sermones meos, quos misit » Dominus omnipotens in Spiritu suo, in manus anterio- » rum Prophetarum[4]. » Angelus vero Domini inquit ad Zachariam : « Hoc Verbum Domini in manu Zorobabel, » dicens : Non in virtute magna, neque in fortitudine, » sed in Spiritu meo, dicit Dominus omnipotens[5]. »

[1] Isai. XLVIII, 12. — [2] Isai. XLV, 25. — [3] Isai. XXX. 27. — [4] Zach. VII, 9. — [5] Zach. IV, 6.

VII. Michæam quoque audiamus Trinitatem pronuntiantem, et ipse enim ait : « Hæc dicet Dominus ad Pro-
» phetas, qui seducunt populum meum, et mordent den-
» tibus suis, qui prædicant super eum pacem, et non est
» pax data in ore eorum, et suscitaverunt super eum
» bellum. Propterea nox vobis erit ex visu, et tenebræ
» vobis erunt ex divinatione : et occidet sol super Pro-
» phetas, et tenebrosa cadet super eos dies, et confun-
» dentur, quia vident somnia, et irridebuntur divini, et
» detrahunt de his omnes isti, eo quod non sit, qui exau-
» dierit eos nisi ego : in plena virtute et in Spiritu Do-
» mini, cum judicio et potentia annuntiate Jacob iniqui-
» tates suas, et Israël peccata sua[1]. » Audi ergo Sanctos convenienter Trinitatem prædicantes, et nunquam Spiritum sanctum universitati, quæ per Filium facta est, connumerantes, sed cum Patre, et Filio eum profitentes. Quod si Salvatoris istud, ut aiunt, movit eos dicentis : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum ve-
» rum Deum, et quem misisti Jesum Christum[2], » et non perhibentis, ut cognoscant et Spiritum sanctum, satisfiet illis, cum audiant ipsum et de Spiritu dicentem : « Si di-
» ligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem,
» et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum
» in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non po-
» test accipere, quia non videt eum, nec cognoscit eum :
» vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et
» in vobis erit[3]. » Advertant igitur et Apostolos quidem cognoscentes et Spiritum, et Filium, et Patrem : mundum vero miserabilem, « Quia non cognoverunt Patrem,
» neque me. » Et iterum : « Paraclitum Spiritum veri-
» tatis, quem mundus non potest accipere, quia non vi-
» det, nec cognoscit eum[4]. » Significanter vero Dominus

[1] Mich. III, 5. — [2] Joan. XVII, 3. — [3] Joan. XIV, 15. — [4] Joan. XVI, 3.

et alium paraclitum esse dixit Spiritum sanctum : quoniam ipse paraclitus est, sicut Joannes in Epistola sua ait : « Hæc vobis scripsi, ut non peccetis : quod si peccaverimus, Paraclitum habemus ad Patrem Jesum Christum, et ipse propitiatio est pro peccatis nostris[1]. » Ut doceremur Spiritus cum Filio æqualitatem. Quare vero non terret eos Dominus, qui fidei sacramentum Apostolis tradens, dicit : « Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti[2]. » Nec non et illa magna et beata confessio fidei, immo ipsa fides Sanctorum, et testamentum, quod disposuimus ad Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ad sacrum lavacrum regenerationis venientes, confessi sic : Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, et Spiritum sanctum. Et licet Dominus dixerit : « Credite in Deum, et in me » credite[3], » et non dixit : Credite in Spiritum sanctum; tamen Apostoli docuerunt Ecclesias orbis credere in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum.

VIII. Ergo dicant si salus est his, qui credunt in Patrem, et Filium, et non credunt in Spiritum sanctum, sed absit : neque enim in Deum credunt, qui non credunt in Spiritum sanctum, adeo ut Paulus inventis quibusdam Discipulis et interrogatis, si Spiritum sanctum accepissent credentes : Illisque respondentibus, nec si esset Spiritus sanctus, audisse, dixit : « In quo ergo baptizati estis[4] ? » probans, qui non sunt baptizati in nomine Spiritus sancti, nec in Patris, et Filii nomine esse baptizatos. Ita plane et creatorem Spiritum sanctum agnoscimus. Alioquin si creator non esset, et sine ipso ab initio creati sumus, quomodo in regeneratione sine eo nos regeneramur ? Aut si forsitan ad illam antiquitatem, quæ fuerat ante præva-

[1] Joan. II, 1. — [2] Matth. XXVIII, 19. — [3] Joan. XIV, 1. — [4] Act. XIX, 3.

ricationem Adæ, restituit nos regenerationis lavacrum, vel minoris facturæ Adæ regeneratio nostra : quoniam ante quidem dicitis, sine Spiritu sancto creati sumus, quomodo vero hic assumptus est sine causa in regenerationem nostram? Verum hoc dicere irreligiosum est : Anne major et cautior tanquam sine eo creatus sit homo, et exciderit, ideo assumptus Spiritus in regeneratione nostra ad tutelam certiorem? Sed et ipsum valde impium, vel in sensum alicujus subire. Dicant igitur, quomodo Spiritus assumptus est ad regenerationem nostram, qui non creavit nos ab initio : siquidem non creavit; dicetis forte, ut sanctificet accedentes ad lavacrum regenerationis. Est enim Spiritus sanctus, sanctificans sanctos, non tamen creator. Omnia enim ex Deo per Filium creata sunt, secundum Paulum dicentem : « Nobis vero unus » Deus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus noster Je» sus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum[1]. » Hic enim nihil de Spiritu sancto dixit? Quibus dicimus : Sancta per Filium creata est creatura, aut non sancta : et quidem non sanctam dici a Domino creatam, illicitum est; si vero sanctam creavit Filius nunc sanctificans eam in Spiritu, superflua esset quæ datur ei per Spiritum sanctificatio, et valde infirma atque inanis : veluti, cum sole medio cursu diei illuminante orbem qui sub cœlo est, superfluus et infirmus, inanisque lucernæ sit splendor. Sed quoniam non merebatur, inquiunt, creatura per Filium sanctificari, ideo ministerium Spiritus induxit Deus, ut per illum sanctificaretur. Ergo creari quidem per Filium meruit, sanctificari vero non meruit : quid enim majus est, creari, an sanctificari? Pensate itaque in statera mentis vestræ, conspicientes, ut vel sic considerare possitis, quod etiam ipsi vos inviti confitemini Spi-

[1] 1 Cor. VIII, 6.

ritus dignitatem. Ergo creari quidem creatura per Filium merebatur, sanctificari vero per Spiritum, quia minime indigna sua sanctificatione creaverit Filius.

IX. Sed oportebat, inquiunt, per Spiritum sanctificari eam prius, ut sic mereretur accipere Filii et Patris sanctificationem. Quibus dicimus : Ergo non sancta creasse Filium dicitis? Absit : Neque enim sine Filio Spiritus sanctificat, nec Filius sine Spiritu vel Patre, sicuti et vos dixistis, et est verum quod Paulus ad Thessalonicenses scribens, ait : « Ipse autem Deus: et Pater noster, et Do- » minus Jesus Christus sanctificet vos ad perfectum[1]. » Ad Corinthios vero in epistola prima ; « Sed abluti estis, » sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Do- » mini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri[2]. » Videtisne unitatem sanctificationis, quomodo Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sanctificat creaturam? Si igitur sancta creatio creata est, sine Spiritu autem sancto non est sanctificata, et Spiritum sanctum creatorem esse necesse est omnes confiteri. Alioquin si hoc confiteri non vultis, quid utique facturi estis, dicentes non sanctam creatam esse creationem, deinde per Spiritum sanctificatam? Sed timetis irreligiositatis notam, sanctam vero conditionem creaturæ omnimodo confitentes, non tamen sine Spiritu sanctificatam, creatorem omnino confitemini etiam Spiritum, si scitis, Verbum Dei Filium, ipsius esse. Audite in xxxii. Psalmo dicentem : « Verbo Domini cœli » firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum[3]. » Et docentem nos non sine Spiritu sancto, quem a corpore suo ore Verbum in faciem Apostolorum spiravit dicens : « Accipite Spiritum sanctum[4], » creaturam esse creatam : neque enim os habebat cum sit incorporale Verbum vel hujus Pater. Alioquin si ab initio sine Spi-

[1] Thes. v, 23. — [2] 1 Cor. vi, 11. — [3] Psal. xxxii, 6. — [4] Joan. xx, 22.

ritu sancto creati sumus, quomodo per eum resurrectio mortuorum efficitur? Paulus autem ad Romanos dicit : « Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum a mor- » tuis, habitat in vobis, vivificabit et mortalia corpora » vestra per inhabitantem Spiritum suum in vobis[1]. » David quoque canens Deo dicit de creatura : « Aufer spi- » ritum eorum, et deficient, et in pulverem suum con- » vertentur. Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et re- » novabis faciem terræ[2]. » Incongruum est aliter ab initio condi creaturam, in novissimo aliter creari. Itaque etsi non vultis, creator tamen Spiritus sanctus paraclitus, qui a Deo mittitur, prædicatur sanctis : Mittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Sic quæ Pater et Filius fecisse dicuntur et in Scriptura, invenietur et Spiritus sanctus fecisse. Deus enim ait in Hieremia deduxisse hunc Israël in deserto ad populum meum, « Et » non dixistis, ubi est Dominus, qui eduxit nos de terra » Ægypti, qui induxit in deserto[3]? » Dicit autem et Esaïas, qui audiendus est, Spiritum sanctum deduxisse Israël in deserto, sic dicens : « Deduxit eos per abyssum, » sicut æquum per desertum, et non laboraverunt tan- » quam jumenta per campum, descendit Spiritus a Do- » mino, et deduxit eos[4]. » Dicitur autem et lex Domini, lex Spiritus.

X. Et de singulis quoque sanctorum in XXXVI Psalmo dictum est : « Lex Dei ejus in corde ipsius[5]. » De se vero Paulus : « Factus sum, *inquii*, his qui sub lege sunt, » tanquam sine lege, cum extra legem Dei non essem, » sed in lege essem Christi, ut lucrarer eos qui sunt sine » lege[6]. » Et rursum ad Romanos scribit : « Lex enim » Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege pec-

[1] Rom. VIII, 11. — [2] Psal. CIII, 29. — [3] Jer. II, 6. — [4] Isai. LXIII, 13. — [5] Psal. XXXVI, 31. — [6] I Cor. IX, 21.

» cati et mortis[1]. » Ita ut unitas Trinitatis in veritate inveniretur in sanctis Scripturis : quæ enim sunt Dei ac Christi, ac Spiritus sancti inveniemus in eis, ut cum Dominus Judæis dicat : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ Dei sunt, Deo[2]. » Paulus quoque ad Philippenses scribit : « Omnes enim quæ sua sunt quærunt, » non quæ Jesu Christi[3]. » Et ad Corinthios : « Animalis » autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei : stul- » titia est enim ei[4]. » Et si quidem Dei homines patres nostri, nomine Dei; Christiani vero discipuli, nomine Christi; et spirituales Spiritus sancti nomine appellantur. Audienda namque est illa in Sarepta Sidoniæ vidua ad Heliam Thesbiten, dicens : « Quid mihi et tibi est homo » Dei[5]? » Et rursum : « Nunc cognovi, quia homo Dei » es tu. » Illa vero mulier Sunamitis suo marito de Helisæo dicens : « Ecce homo Dei magnus venit ad nos[6]. » Ipsa quoque scriptura Regnorum, ait : « Et homo Dei » venit ex Juda, et prophetavit super altare Bethel[7]. » Nec non etiam titulatio octogesimi noni Psalmi : « Oratio » Moysi hominis Dei[8]. » Lucas vero in Actibus Apostolorum, ait : « Factum est autem et integro anno eos con- » venire in Ecclesia, et appellari in Ecclesia primum » discipulos, Christianos[9]. » Et Paulus ad Corinthios scribit : « De spiritualibus autem nolo vos ignorare, » fratres; scitis, quia quando Gentes eratis ad idola muta » quomodocumque ducebamini addicti : quapropter no- » tum facio vobis, quia nemo in spiritu Dei dicit, Ana- » thema Jesu : et nemo potest dicere Dominum Jesum, » nisi in Spiritu sancto[10]. » Et rursum : « Animalis homo » non percipit ea quæ spiritus sunt Dei, stultitia enim

[1] Rom. VIII, 2. — [2] Luc. XX, 25. — [3] Philip. II, 21. — [4] 1 Cor. II, 14. — [5] 3 Reg. XVII, 18. — [6] 4 Reg. IV, 9. — [7] Ibid. XXIII, 17. — [8] Psal. LXXXIX, 1. — [9] Act. XI, 26. — [10] 1 Cor. XII, 1.

» est illi, et non potest scire, quia spiritualiter dijudi- » catur : nam spiritualis judicat omnia, ipse autem a » nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Do- » mini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi » habemus[1]. » Sensum autem Jesu Christi in substantia proprie Apostolus Spiritum sanctum esse professus est : « Quis scit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei? Sicut spi- » ritus noster, quæ sunt nostra novit. » Vel ipse Paulus ad Corinthios scribit : « Nobis autem revelavit Deus per » Spiritum suum : Spiritus enim scrutatur omnia, etiam » profunda Dei. Quis enim novit hominum, quæ sunt » hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipo? Sic et » quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei : nos autem » non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum » qui a Deo est[2]. » Et rursum : « Videor enim et ego » Spiritum Dei habere[3]. » Paulus autem a Deo se voca- tum ait, ad Galatas scribens : « Cum autem placuisset » Domino, qui me segregavit de utero matris meæ, et » vocavit in gratiam suam, ut revelaret Filium suum » mihi, ut evangelizarem eum in gentibus[4]. » Romanos vero a Christo vocatos esse ait, scribens : « In quibus estis » et vos vocati Jesu Christi[5]. » Et Spiritus sanctus Pau- lum et Barnabam a se dixit esse vocatos, quo gentibus annuntiarent Christum. Et plane mirabile, cum Salvator diceret ad Paulum in templo : « Ito, quia ad gentes longe » positas ego mittam te[6]. » Et Paulus ad Galatas scri- beret : « Paulus Apostolus non ab hominibus neque per » hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, » qui suscitavit eum a mortuis[7]; » Spiritus tamen sanc- tus misit Paulum et Barnabam probatos ad prædicandum Gentibus Jesum Christum, dicit namque Scriptura sic :

[1] I Cor. II, 14. — [2] Ibid. 10, — [3] I Cor. VII, 40. — [4] Gal. I, 15. — [5] Rom. I, 6. — [6] Act. XXII, 21. — [7] Gal. I, 1.

« Erant autem Antiochiæ in Ecclesia Prophetæ et doc-
» tores, in quibus erat Barnabas, et Simeon, qui voca-
» batur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahem quoque,
» qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus.
» Ministrantibus autem eis Domino, et jejunantes et
» orantes imposuerunt eis manus et dimiserunt, qui missi
» a Spiritu sancto descenderunt Seleuciam, et inde na-
» vigaverunt Cyprum[1]. » Et sic deinceps prædicatio
Gentibus per Paulum facta exponitur.

XI. Et est quidem quando ex persona Patris loquuntur Prophetæ, sicut David in Psalmis ait : « Semel juravi in » sancto meo : si David mentiar, semen ejus in æternum » manebit, et sedes ejus sicut sol ante me[2]. » Et rursum : « De fructu ventris tui ponam super sedem meam[3]. » Sicut et Petrus ait : « Propheta cum esset David, et sci- » ret, quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi » ejus sedere Christum secundum carnem super thronum » suum[4]. » Quando vero ex persona Filii? cum Esaias dicit : « Hæc dicit Dominus : Propter vos semper blas- » phematur nomen meum in Gentibus : propterea nunc » sciet populus meus in die illa nomen meum, quia ego » ipse qui loquebar adsum[5]. » Quando autem ex persona Spiritus sancti, ut cum Propheta Agabus dicat : « Hæc » dicit Spiritus sanctus : Virum hunc, cujus est iste cin- » gulus, sic ligabunt in Hierusalem Judæi, et tradent in » manus Gentium[6]. » Paulus autem ad Timotheum scri- bit : « Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis » temporibus discedent quidam a fide, attendentes spi- » ritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum, sicut » et cætera[7]. » Est quidem quando Pater, et quando Filius, et quando Spiritus sanctus loquitur. Sic equidem

[1] Act. XIII, 1. — [2] Psal. LXXXVIII, 36. — [3] Psal. XIII, 11. — [4] Act. II, 30. — [5] Isai. LII, 5. — [6] Act. XXI, 11. — [7] I Tim. IV, 1.

per seipsum Pater de Salvatore ait : « Hic est Filius meus » dilectus, in quo complacui[1]. » Filius vero, antequam conversaretur inter homines, singulis quibusque sanctorum locutus est, et post in cœlum ascensum, Spiritus quoque sanctus ad Discipulos : « Segregate mihi Barnabam » et Saulum ad opus quod vocavi eos[2]. » Et Propheta quidem Ezechiel contra veterem populum clamans, dicit : « Et contristabas me in his omnibus, dicit Domi- » nus[3]. » Paulus vero scribit ad novellum populum : « Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in » diem redemptionis[4]. » Et David nihilominus contra Judæos dicit : « Et exacerbaverunt Dominum in deser- » to[5]. » Esaias vero de eisdem ait : « Ipsi vero contuma- » citer egerunt, et exacerbaverunt Spiritum sanctum[6]. » Et ad Corinthios scribens Paulus ait : « An experimentum » quæritis ejus, qui in me loquitur Christus[7]? » Et rursum : « Mulier ligata est quanto tempore vivit vir ejus ; » si autem mortuus fuerit vir, liberata est, cui vult nu- » bat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic » manserit secundum meam sententiam : videor enim et » ego Spiritum Dei habere[8]. » Et ad Romanos dicit : « Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior, testi- » monium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu » sancto[9]. » Et in Esaia Dominus : « Filios genui, et » exaltavi, ipsi vero me spreverunt[10]. » In Evangelio vero : « Quod natum est de carne, caro est, et quod na- » tum est de spiritu, spiritus est, quia Dominus Spiritus » est[11]. » Et rursum : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem » ejus audis, et nescis unde veniat, et quo eat. Sic est » omnis qui natus est ex spiritu. » Ergo hæc ad initium

[1] Matth. III, 17. — [2] Act. XIII, 2. — [3] Ezech. XVI, 43. — [4] Ephes. IV, 30. — [5] Psal. LXXVII, 40. — [6] Isai. LXIII, 10. — [7] 1 Cor. XIII, 3. — [8] Ibid. VII, 39. — [9] Rom. IX, 1. — [10] Isai. I, 2. — [11] Joan. III, 6.

Evangelii comparans, minuit Spiritus sancti dignitatem? In principio quidem Evangelii Joannes de Salvatore, et de his qui crediderunt ait : « Quotquot eum receperunt, » dedit eis potestatem Filios Dei fieri, qui credunt in » nomine ejus, qui non ex sanguine, neque ex voluntate » viri, sed ex Deo nati sunt[1]. »

XII. De generatione quoque fidelium exponens postmodum Dominus, Nicodemum instruens, quod eos qui in se credunt, hoc est qui accipiunt eum, a Spiritu sancto regenerari oportet, dicens : « Ne mireris quia dixi, oportet vos nasci denuo, spiritus ubi vult spirat, et vocem » ejus audis, et nescis unde veniat et quo eat. Sic est » omnis qui natus est ex Spiritu sancto[2]. » Et commemorans ante : « Quod natum est ex carne, caro est : et » quod nascitur de spiritu, spiritus est. » Si igitur hi qui cœlesti regeneratione generantur, ex Spiritu sancto regenerati, ex Deo sunt generati, cur non si quid magnum et divinum et Trinitate dignum de Spiritu nos opinari oportet, quantum ad humanam possibilitatem est? Quid vero cogitabimus iterum audientes Paulum ad Corinthios de Spiritu scribentem : « An nescitis, quia corpora vestra » templum est Spiritus sancti qui in vobis est, quem acepistis a Deo, et non estis vestri : empti enim estis » pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpori- » bus vestris[3]. » Taliane de alia ex creaturis proprie esse dicuntur, et qualia de Deo, talia de Spiritu scriberent sancto, si creatio esset? Quid vero faciemus audientes Petrum ad Ananiam dicentem : « Quid quod tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui sancto ut subtraheres » de pretio fundi? non es mentitus hominibus, sed Deo[4]. » Dicent forte, qui Spiritui Dei mentiuntur, sicut qui ministrum contumelia afficiunt, regem dehonestant. Quibus

[1] Joan. I, 12. — [2] Joan. III, 7. — [3] I Cor. VI, 19. — [4] Act. V, 3.

dicimus : Ergo et illi Apostolo mentientes, nonne Deo mentiti sunt : aut qui Apostolos recipiunt, nonne Deum recipiunt? sicut Dominus ad Apostolos ait : « Qui recipit » vos, me recipit, qui vero me recipit, recipit eum qui » me misit[1]. » Oportebat ergo Petrum memorantem : Quid quod tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui sancto? non es mentitus Spiritui sancto, sed Deo : aut dicere, quid quod tentavit Satanas mentiri nobis? non es mentitus hominibus, sed Deo, ut sequentia ratio habeat. Quoniam Deus sanctis suis hoc tradidit et sapere et profiteri, quemadmodum cum a filiis Israël, spreto illo magno Samuele rex petebatur : mœstusque esset, dixit ad eum Deus : « Non te spreverunt sed me[2]. » Et talibus quidem verbis Petrus non est usus : sed cum Anania et Sapphira uxor ejus putarent homines decipere, unus ex his, qui decipi putabatur, Petrus, dixit : « Quid quod » tentavit Satanas mentiri te Spiritui sancto? non es » mentitus hominibus, sed Deo. » Sic sane et ad Sapphiram ingressam continuo dixit : « Quid quod convenit » vobis tentare Spiritum Domini? » Et Patri quidem, et Filio, et Spiritui sancto fideles vivere sancta eloquia nos docent, sicut Paulus ad Romanos scribit : « Quod autem » mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem » vivit, vivit Deo[3]. » Et rursum : « Ut hi qui vivunt, » non jam sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, » et resurrexit[4]. » Et rursum increpans Galatas scribit : « Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus[5]. » Et cum Paulus diceret : « Nobis vero unus Deus Pater, ex quo » omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem » omnia[6]. » Et quod est majus in tota creatura, hoc est corpus Domini, ex Spiritu sancto esse creditur, sicut

[1] Matth. x, 40. — [2] 1 Reg. viii, 7. — [3] Rom. vi, 10. — [4] 2 Cor. v, 15. — [5] Gal. v, 25. — [6] 1 Cor. viii, 6.

Evangelista Matthæus tradidit : « Christi vero generatio » sic fuit : Cum desponsata esset Maria mater ejus ab Jo- » seph, antequam convenirent, inventa est in utero ha- » bens de Spiritu sancto : Joseph autem vir ejus, cum » esset homo justus, et nollet eam detegere, voluit eam » occulte dimittere. Hoc autem eo cogitante, ecce An- » gelus Domini in somnis visus est ad Joseph dicens : Jo- » seph Fili David ne timeas recipere Mariam uxorem » tuam : quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto » est[1]. » Et licet sapientia Salomonis in Proverbiis, de corpore Salvatoris diceret : « Sapientia ædificavit sibi » domum[2], » et hic profitetur unigenitum creatorem corporis sui, hic tamen Angelus ex Spiritu sancto illud esse dixit, et sic omnis Christianus cum instruitur, credit. Neque enim Scriptura circa Trinitatem discrepat, unam eamdemque operationem ejus factam ubique docens. Denique Deum paritura Maria cum Gabrielem audisset dicentem : « Ecce tu in utero habebis, et paries Fi- » lium, et vocabis nomen ejus Jesum, etc[3]. » Et cum interrogasset : « Quomodo erit istud, quia virum non » novi ? » Statim docetur ab eo dicente : « Spiritus sanc- » tus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi, propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabi- » tur Filius Dei. » Quod si virtus Altissimi est unigenitus secundum Paulum, dicentem : « Christus Dei virtus, et » Dei sapientia[4] : » Spiritus vero sanctus paraclitus, spiritus veritatis, hisque obumbrantibus, pariturae Deum Mariæ, creatum est Dominicum templum : Angelus autem ex Spiritu sancto creatum illum dixit, cur non unam operationem esse Trinitatis erudimur ?

XIII. Omnes vero fideles ex Spiritu sancto esse dixit Dominus ad Nicodemum profitens : « Quod natum est ex

[1] Matth. I, 18. — [2] Prov. IX, 1. — [3] Luc. I, 31. — [4] I Cor. I, 24.

» carne, caro est : et quod natum est de spiritu, spiritus » est : ne mireris, quod dixerim tibi, oportet vos nasci » denuo. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et » nescis unde veniat, et quo vadat : sic est omnis, qui » natus est ex Spiritu sancto[1]. » Cum ergo audivimus nobis, « Unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Domi- » nus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum[2], » et habemus, quod majus est in tota creatura et gloriosius, quod est corpus Domini, nec non et omnes sanctos, Spiritu esse sanctos : cur non quæ de Patre, et Filio, eadem etiam de Spiritu sancto sapere dirigimur ab Scripturis? Quod si grave vel nefas impiis hoc esse videtur : ergo sicut credunt in Patre, et Filio, ita credant in Spiritu sancto, et sicut baptizant in nomine Patris et Filii, ita baptizent in nomine Spiritus sancti. Et sicut baptizant in nomine Patris et Filii, non ita baptizent etiam et in nomine Spiritus sancti. Et videamus, si vel in Deum credant vel baptizent, qui sic sapiunt, aut non vident in Scripturis sanctis Trinitatis unitatem. Scripsit namque ad Ephesios beatissimus Paulus : « Propterea suscipite tota arma Dei, » ut possitis resistere in die malo, et cum omnia perfe- » ceritis, state cincti lumbos in veritate, et calceati pe- » des in præparatione Evangelii pacis, super hæc omnia » accipientes scutum fidei, et galeam salutis accipite, et » gladium spiritus, quod est Verbum Dei[3]. » Ecce tota arma et galea Filii : ipse enim est salutaris : sicut dixit Esaias Propheta : « Et videbit omnis caro salutare Dei » nostri[4]. » Gladius vero Spiritus sancti numquid destitit a Trinitate? numquid non Trinitatem edocet? Quid igitur de Spiritu sancto quisquam dicit? cum tales professiones audiat de eo Scripturas enuntiare, et sanctos orare Do-

[1] Joan. III, 6. — [2] I Cor. VIII, 6. — [3] Ephes. VI, 3. — [4] Isai. XL, 5.

minum : « Domine, ne in ira tua arguas me[1]. » Et Dominus in Psalmo : « Arguam te, et statuam peccata tua ante fa- » ciem tuam[2]. » Et Salvatorem de Spiritu sancto dicentem : « Si autem iero, mittam paraclitum ad vos, et cum » venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, » et de judicio[3]. » Et quemadmodum in Esaia, de conversatione unigeniti inter homines audivimus : « Exiet » virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et » requiescet in eo Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ et in- » tellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scien- » tiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. » Non secundum gloriam judicabit, neque secundum lo- » quelam redarguet, sed judicabit humili judicio, et re- » darguet superbos, et eripiet humiles terræ, et percutiet » terram verbo oris, et spiritu per labia interficiet im- » pium[4]. » Igitur et conversatum eum inter homines videmus, et Spiritum Dei, id est, Spiritum sanctum, et septem spiritus vocatos requiescere super eum aspeximus, sed videre in secundum ejus adventum expectamus. Sic itaque et de Spiritu sancto audientes consideramus : Ipse enim Filius est Dei, qui dixit : « Et cum venerit paracli- » tus, arguet hunc mundum de peccato, et de justitia, et » de judicio[5]. » Neque enim sine Spiritu sancto Dominus adveniet in carne, sed constituens cum divinitate sua eum, qui universitatem implet, cum sit unctio super carnem suam. Sic sane et David audivimus cantantem, et dicentem : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fu- » giam[6]? » Aut non tanquam judicem spiritum expectans istas emittit professiones? Omne enim opus Dei, et Christi, et Spiritus sancti est proprium. Aut non audivimus eum in XCIV Psalmo dicentem de Deo : « Hodie qui-

[1] Psal. VI, 2. — [2] Psal. XLIX, 21. — [3] Joan. XVI, 7. — [4] Isai. XI, 1. — [5] Joan. XVI, 8. — [6] Psal. CXXXVIII, 7.

» dem, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda » vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri[1] : » De se vero : « Probaverunt me et viderunt opera mea : » Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et » dixi semper, errant corde. Ipsi vero non cognoverunt » vias meas, sicut juravi in ira mea, si introibunt in re» quiem meam ? »

XIV. Quod si dicant illi Dominum esse et non Spiritum, qui dicit : Propterea odio habui illam generationem, et antea dicta illa omnia : audiant Paulum ea, quæ in XCIV Psalmo sunt dicta, ad Hebræos scribentem : » Quare sicut Spiritus sanctus dicit : Hodie si vocem » ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, » et cætera[2]. Veniant vero ad Prophetam Esaiam, et audiant eum dicentem : « Non legatus, neque Angelus, sed ipse » salvabit eos omnibus diebus sæculi. Ipsi vero contu» maciter egerunt, et exacerbaverunt Spiritum sanc» tum, et conversus est eis ad inimicitiam[3]. » Necnon etiam primitias martyrum Stephanum auscultent increpantem principes Judæorum, ob beneficia, quæ contulit Deus patribus eorum in deserto per annos quadraginta, et ob ea, quæ irreligiose egerunt facto vitulo, et idolis adorantes, et propter hæc omnia, quæ nefarie machinati sunt, et dicentem ad eos : « Dura cervice, et incir» cumcisi corde, et auribus, vos semper Spiritui sancto » obnitimini, sicut Patres vestri. Quem ex Prophetis » non persecuti sunt patres vestri, et occiderunt? pro» nuntiantes de adventu Justi, cujus vos proditores et » interfectores estis, qui accepistis legem ad Angelorum » constitutionem[4]. » Quis igitur non mirabitur Spiritus sancti divinitatem, cum talia sint de eo sint dicta? Quis

[1] Psal. XCIV, 8, 9 et 10. — [2] Hebr. III, 7. — [3] Isai. LXIII, 9. — [4] Act. VII, 51.

non venerabitur paraclitum Spiritum veritatis, cum viderit eum arguere hunc mundum de peccato, et de justitia, et de judicio : cum viderit eum suscitantem mortuos, et vivificantem, et facientem quod Pater et Filius facit? In Evangelio scriptum est; « Sicut enim » Pater suscitat mortuos et vivificat, et sic Filius, quos » vult, vivificat[1]. » Ad Romanos dicit Paulus : « Si Spi» ritus ejus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, » habitat in vobis : qui suscitavit Jesum a mortuis vivi» ficabit mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spi» ritum suum in vobis[2]. » Et in CIII Psalmo : « Auferes » spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum » convertentur. Emittes Spiritum tuum, et crea» buntur, et renovabis faciem terræ[3]. » Et quisquam paraclitum creatorem non confitetur esse, qui mittitur, et creat corpora a sæculo dissoluta, et conversa in pulverem suum, et renovat faciem terræ? secundum hoc, quod in Esaia Propheta scriptum est : « Erit autem cœ» lum novum, et terra nova[4] : » sine quo nihil neque Pater, neque Filius operatur in creationem, sicut ante monstravimus his Scripturis. Et iterum Paulus ad Romanos scribit : « Habeo ergo confidentiam in Christo ad » Dominum, non autem audeo de omnibus loqui, quod » non est operatus per me Christus ad obauditionem » gentium verbo et facto, atque in veritate signorum et » prodigiorum in virtute Spiritus sancti : » duce Spiritu sancto Christum signa et prodigia fecisse. Ad Ephesios vero : « Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ex » quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, » ut det vobis secundum opulentiam gloriæ suæ vir» tutem corroborari per spiritum suum in interiorem

[1] Joan. V, 21. — [2] Rom. VIII, 11. — [3] Psal. CIII, 30. — [4] Isai. LXV, 17.

» hominem, habitare Christum per fidem in cordibus » vestris[1]. »

XV. Et hæc quidem de Patre et Filio Paulus singulariter scribit, sicut ad Thessalonicenses, quod frequenter memoravimus, ait : « Ipse vero Deus et Pater noster » sanctificet vos ad perfectum[2] : » Non dicit, sanctificent vos pluraliter, sed sanctificet singulariter. Quando autem ad Corinthios de Filio et Spiritu dicit : « Sed abluti estis, » sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu » Christi, et in Spiritu Dei nostri[3]. » Et de Patre quidem et de Spiritu : « Nescitis, quia templum Dei estis, et » Spiritus Dei habitat in vobis ? Si quis templum Dei » violaverit, disperdet illum Deus : quia templum Dei » sanctum est, quod estis vos[4]. » Sed et David de Patre et Spiritu dicit : « Quo ibo a Spiritu tuo ? et a facie tua » quo fugiam ? si ascendero in cœlum, tu ibi es[5] : » et non dixit vos, licet de Spiritu et Patre dixerit. Ubi est enim Deus, ibi est et Filius, et Spiritus esse ostenditur, et in Filio atque in Spiritu sancto Deus adoratur. Nam cum mulier Samaritana adhuc carnaliter cogitaret de Deo, et arbitraretur in loco Deum adorari, ac diceret : » Domine animadverto, quia Propheta es tu : Patres » nostri in monte isto adoraverunt, et vos dicitis, quo- » niam Hierosolymis est locus, in quo adorari opor- » tet[6]. » Dominus autem excludens in loco adorari eum, dixit : « Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando » nec in isto monte, neque in Hierosolymis adorabitis » Patrem : sed veniet hora, quando veri adoratores ado- » rabunt Patrem in Spiritu et veritate : Pater enim tales » quærit adoratores : Deum in spiritu et veritate oportet » adorare. » Quod si in spiritu et veritate, ergo in Filio

[1] Ephes. III, 14. — [2] Thess. V, 23. — [3] 1 Cor. VI, 11. — [4] 1 Cor. III, 16. — [5] Psal. CXXXVIII, 7. — [6] Joan. IV, 19.

Deus adoratur : nam veritas est Filius, qui dixit : « Ego » sum via, et veritas, et vita[1]. » Cur non cum Patre Spiritus adorandus est a nobis? Namque inacceptabilis est, ut corporalem venerantes Deum, non in Spiritu et in Filio adorare : alioquin si in Spiritu adorant Deum coadoratur Spiritus, cum in Christo audiant glorificari Patrem in Ecclesia, quid se esse facturos asserent? Paulus enim scribens ad Ephesios : ait : « Ei qui potens est omnia facere abundanter quam petimus vel sapimus, ipsi » gloria in Ecclesia in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum, amen[2]. » Et rursum Paulus dicit : Quia per Christum dicitur Amen Patri ad gloriam : per nos Patrem per Filium Dei, et in Filio Patrem glorificantes nos utique conglorificantes Filio. Sic namque Deum adorantes in Spiritu et in Filio, id est, per Spiritum ac per Filium adorantes, coadoramus Deum Filium et Spiritum. Denique Paulus scribit : « Ut in nomine Jesu Christi omnes gentes genu flectant, et omnis » lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est » Dei Patris[3]. » Quod si hi, qui in nomine Jesu Christi flectunt genua, Filium glorificant cum Patre, cur hi, qui in Spiritu Patrem et Filium adorant, non adorabunt eum cum Patre, et Filio, et Spiritu sancto? Si itaque audivimus Mosen dicentem : « Dominum Deum » tuum adorabis, et illi soli servies[4], » scimus pronuntiari cum Deo Filium et Spiritum.

XVI. Et ne tanquam non scripta memorantes, et de nostro loqui videamur, demonstranda est eis cœlestium virtutum adoratio, et sicut in sanctis Scripturis didicimus, forsitan illi æmulatores effecti, sic et venerari discant et adorare. Quem visum volunt Esaiæ in templo laudare et adorare et clarificare, Seraphim; Patrem ne

[1] Joan. xiv, 6. — [2] Ephes. iii, 20. — [3] Philip. ii. — [4] Deut. vi, 13.

an Filium? forte enim aures obstruent, si audiant, an Spiritum sanctum? Esaias enim dicit : « Et factum est » anno quo mortuus est Ozias Rex, vidi Dominum Sabaoth sedentem super thronum altum et elevatum, » et plena domus majestate ejus, et Seraphim stabant in » circuitu ejus, sex alæ uni, et sex alæ alteri, et duabus » quidem velabant faciem, duabus vero pedes, et duabus volabant, et clamabant ad alterutrum, et dicebant » Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, » plena est omnis terra gloria ejus. Et elevatum est » limen ex voce clamantis, et domus impleta est fumo, » et dixi : O miser ego, quoniam compunctus sum : quia » cum sim homo, et immunda labia habeam, et in medio quoque populi immunda labia habentis ego habitem, Regem Dominum Sabaoth ego vidi oculis meis. » Et missus est ad me unus de Seraphim, et in manu habebat carbonem, quem forcipe tulerat de altari, et » tetigit os meum et dixit mihi : Ecce tetigit istud labia » tua, et ait : Ecce aufert iniquitates tuas, et peccatum » tuum mundabit. Et ego audivi vocem Domini, dicentis : Quem mittam et quis ibit ad populum istum? et » dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit mihi : Vade ad » populum istum, et dic ei : Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non aspicietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne forte » videant oculis suis et credant, et auribus audiant, et » corde intelligant, et convertantur et sanem illos. Et dixi : » Usquequo Domine[1]? » Quem igitur hunc esse volunt, afferant, dicent enim forte Filium. In Evangelio kata Joannem scriptum est : « Et propterea non poterant credere in » Jesum, quia dixit Esaias Propheta : Excæcavit eorum

1 Isai, VI, 1.

» oculos, et hebetavit eorum cor, ne forte videant oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem illos[1]. » Hæc igitur dixit Esaias, cum vidisset gloriam ejus, et locutus est de eo. Et quid facient de Paulo, qui Spiritum sanctum dicit in illa gloria visum esse Esaiæ, et locutum esse ei, cum misisset eum ad populum supradicta dicere? Scriptum est enim sic in Actibus Apostolorum : « Convenientes autem ad alterutrum Judæi dimittebantur, dicente Paulo verbum unum : Quia bene Spiritus sanctus locutus est ad patres vestros per Prophetam Esaiam, dicens : Ito ad populum istum, et dic ei : Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non aspicietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt, et oculos suos clauserunt ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem illos[2]. » Ecce Joannes quidem Filium, Paulus vero Spiritum sanctum esse dicit, qui sit visus Esaiæ, sedens super thronum altum, et elevatum, qui adoratur, et laudatur, et glorificatur a Seraphim. Ecclesiæ autem Christi omnes ab oriente usque ad occidentem convenienter Patrem a Seraphim laudari profitentur in ministeriorium relatione. Dicant itaque nobis, qui venerationem Spiritui sancto abnegant, quisnam ex his verum dicit, aut quis fallit? Utrumne Joannes, an Paulus? an vero omnes Ecclesiæ Christi? quoniam quidem omnes Ecclesiæ Patrem profitentur esse, qui adoratur a Seraphim, Joannes autem Filium, Paulus vero Spiritum sanctum. Si vero nemo eorum fallit, sed omnes veritatem dicunt, manifeste probatum est quod et solius nomen Patris dicatur. Habebat tamen Patrem et Filium, et Spiritum sanctum secundum pronuntiatum; vel si Spiritus habeat Patrem

[1] Joan. XII, 39. — [2] Act. XXVIII, 25.

et Filium si venerentur qui sic adorant, venerationem cœlestium animantium imitentur, et non suas cogitationes sequantur. Alioquin quid facient audientes Salvatorem, dicentem ad Discipulos : « Euntes docete omnes gentes, » baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti [1]? » Cum Scriptura non Trinitatem, sed unionem baptisma nominaverit. Scriptum est enim sic in Actibus Apostolorum, de his qui in Samaria crediderunt, et baptizati sunt a Philippo, tantum baptizati erant in nomine Domini Jesu Christi.

XVII. De his vero qui Ephesi a Paulo baptizati sunt, « Ii cum audissent, baptizati sunt in nomine Domini » Jesu Christi [2]. » Petrus enim Judæos alloquens : « Pœ» nitentiam, » inquit, « agite, et baptizetur unusquis» que vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem » peccatorum vestrorum. Ii cum audissent et compro» bassent sermones ejus, baptizati sunt, et additæ sunt » in die illo animæ quasi tria millia [3]. » Numquid prævaricatores mandati Salvatoris effecti sunt? et contra traditionem Salvatoris baptizaverunt tantam multitudinem? Non enim scriptum est : quia baptizaverunt in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed tantum, in nomine Domini Jesu Christi. Sed non sunt prævaricati : Absit. Nam licet Filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen Patrem et Spiritum secundum pronuntiatum, sicut in Scripturis sanctis probabimus. Itaque et Spiritus sanctus Dominus Sabaoth dicitur, et est cum Deo et cum Filio a Seraphim adoratus. Propter quod hæc ter dicunt : Sanctus, Sanctus, Sanctus, ut Trinitatem pronuntiarent. Unde et Paulus Dominum vocari Spiritum non negat, dicens ad Corinthios : « Dominus vero Spiritus est, et ubi Spiri-

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] Act. XIX, 5. — [3] Ac. II, 38.

» tus Domini, est ibi libertas [1]. » Et ad Romanos ait : « Lex autem Spiritus vitæ liberavit me a lege peccati et » mortis [2]. » Quomodo ergo ausi estis Spiritum sanctum servum dicere, qui creaturam liberavit? Si enim, inquit, omnia per ipsum facta sunt, ostendite creatum esse Spiritum sanctum. Utique etiam id, quod in CXVIII Psalmo scriptum est, « Quia omnia serviunt tibi [3], » servum esse ostendit Spiritum sanctum. Sed neque id quod dicitur : omnia per Filium facta sunt, assignant Spiritum sanctum : ipse enim est, qui dixit; neque id quod omnia serviunt tibi, servum esse ostendit eum. Alioquin et Paulus quomodo audiendus est, dicens : « Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in ti- » more, sed accepistis Spiritum adoptionis Filiorum, in » quo clamamus, Abba Pater [4]. » Itaque nec servus nec creatio Spiritus sanctus esse ostenditur. Sed vos et carnem, et servum esse eum infamatis, qui non solum non sit liber, sed et creaturæ libertatem largitur, sicut superius probavimus. Et rursum Paulus scribit : « Divisiones » autem donorum sunt, idem vero Spiritus, dividens » unicuique sicut vult. » Et Jesus ait : « Spiritus ubi » vult spirat [5]. » Qui autem facit quod vult, non est servus, sed liber est. Et qualem mortem merebuntur qui Dominum cœlestis militiæ servum esse profitentur? Dominus enim virtutem interpretatur, Dominus Sabaoth, et non utique libertatem largiretur creaturæ, nisi esset creationis Dominus : in nomine enim Domini Jesu Christi et Spiritus sancti, « Quem mittet vobis Pater in nomine » meo, ille vos docebit [6]. » Tamen nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et in propria vita et substantia permanens, cum ipse sit vita. Alioquin quid estis facturi,

[1] 2 Cor. III, 17. — [2] Rom. VIII, 2. — [3] Psal. CXVIII, 91. — [4] Rom. VIII, 15. — [5] 1 Cor. XII, 4. — [6] Joan. XIV, 26.

audientes in Cantico Canticorum Salomonem dicentem : « Unguentum effusum nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te[1]? » Esaias vero : « Et faciet Dominus Sabaoth gentibus, in isto monte bibent in lætitia, et bibent vinum, unguento ungentur, tradent » hæc omnia gentibus[2]. » Nonne Spiritum sanctum, quo uncti sumus, unguentum vocavit Propheta? Quem et David oleum exultationis in XLIV Psalmo dicit, in conversatione humana Salvatoris : « Propterea unxit te » Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ consortibus » tuis[3]. » Quod et assumens Petrus, ait : » Jesum Christum, qui est a Nazareth, unxit Deus eum in Spiritu » sancto et virtute[4]. » Spiritus itaque sanctus cum et oleum, et unguentum dicitur, nomen est Dei et Filii, in propria vita et substantia permanens : cum sit ipse, ut supra diximus secundum Prophetam, « Unguentum effusum nomen tuum. » Manifestum est autem, quia Spiritum sanctum effudit Dominus abundanter super eos, qui ex gentibus crediderunt, sicut Paulus scribit : « Et cum » unctionem et signaculum habeamus : » et rursus idem Paulus in secunda epistola ad Corinthios scribit « Qui autem firmat nos vobiscum in Chirsto, et unxit nos Deus, » qui et signavit nos, qui et dedit arrham Spiritum in » cordibus nostris[5]. » Et iterum ad Ephesios, ait : « In » quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, » qui est arrha hæreditatis nostræ[6] : » magna nos sapere sancti præparant de Spiritu sancto. Nam David dicit : « Dominus par hæreditatis meæ, et calicis mei[7]. » Et Moses scribit : « Non erit portio, neque hæreditas Levitis » in terra, Dominus ipse portio eorum est. Et Hieremias

[1] Cant. I, 2. — [2] Isai. XXV, 6. — [3] Psal. XLIV, 9. — [4] Act. X, 37. — [5] 2 Cor. I, 21. — [6] Ephes. I, 13. — [7] Psal. XV, 5.

clamat : « Quia formavit omnia ipse hæreditas hujus » Jacob, Dominus nomen est ei.

XVIII. Et cum Dominum hæreditatem sanctorum Spiritum sanctum esse dixit : « In quo, » inquit, « credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrha hæreditatis nostræ[1], » docens hæreditari et non hæreditare professiones sanctorum considerantes. Ait enim Esaias ad eos qui non haberent Spiritum sanctum, et propterea ignorantes esse hæreditatem sanctis post hujus sæculi exitum instruens patienter, et dicens : « Est hæreditas » colentibus Deum, et vos eritis justi, dicit Dominus : » Qui sititis, ite ad aquam[2]. » Spiritum sanctum aquam appellans, sicut postmodum monstrabimus : cum sit arrha sanctorum hæreditatis, hunc Spiritum sanctum et David signaculum hæreditatis cum habuisset. Sed hos quidem qui non credunt hæreditatem esse sanctis, post hujus vitæ exitum miseros esse dicit. De se vero et similibus confidenter agens : « Multi dicunt : quis ostendit » nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui » Domine[3]. » Signationem esse dicens signaculum, quod lumen vultus tui Domine esse sit professus. Itaque credent Paulo dicenti, Spiritu promissionis sancto signatos esse credentes; et huic David qui haberet eumdem spiritum fidei, psallenti : « Credidi, propter quod locu» tus sum[4]. » Sciant quod et vultus Domini esse dicit signaculum, quod accepit, id est Spiritum sanctum, adeo ut et Filium Dei lumen Dei esse sciens, psalleret Deo in xxxv Psalmo, dicens : « In lumine tuo videbimus lu» men[5], » id est, in Filio tuo videbimus Spiritum sanctum. Sic et Esaias Spiritum qui sanctificat, non solum lumen, verum etiam ignem scit appellare, dicens : « Et

[1] Ephes. I, 13. — [2] Isai. LIV, 17. — [3] Psal. IV, 6. — [4] Psal. CXV, 10. — [5] Psal. XXXV, 10.

» erit lumen hujus Israël, et sanctificabit eum igne ar-» denti [1]. » Et ecce in lumine, quod est ignis, sanctificat Deus hunc Israël, et Deus noster ignis consumens est, sicut Moyses ait : « Deus noster ignis consumens est [2]. » Sed et Paulus dicit : « Ut fiat oblatio gentium accepta-» bilis, sanctificata in Spiritu sancto [3]. » Et non aliter gentes, aliter Israël sanctificantur a Deo, quam Spiritu sancto lumine et igne existente. Dicit autem et Sapientia Salomonis in Proverbiis : « Lux Domini spiratio est ho-» minum, qui scrutatur interna ventris [4]. » Et manifestum est, quia Spiritus omnia scrutatur, quemadmodum scribit Paulus, et quod a principio formato Adam, in faciem ejus spiravit Deus Spiritum sanctum, sicut Moses ait : « Et spiravit Deus in faciem Adæ inspiratio-» nem vitæ, et factus est homo in animam viventem [5]. » Neque id quod spiratum est a Domino, animo est, secundum fabulatores Judæos; alioquin quomodo hoc, quod a se spiratum est, Deus, igni æterno condemnat? sed vivificans Spiritus est, de quo et Paulus ait : « Spiritus » vero vivificat. » Et, « Spiravit Deus in faciem ejus » spirationem vitæ, et factus est homo in animam vi-» ventem [6]. » Itaque Spiritus sanctus est spiritus vitæ, a quo excidentes nonnulli, viventes mortui sunt, sicut Paulus scribit : « Nam quæ in deliciis agit, vivens mor-» tua est [7]. » Alioquin quomodo audiendus est Salomon, dicens : « Lux Domini spiratio est hominum, qui scru-» tatur interna ventris [8], » si animas hominum lumen Dei esse dicitis, nisi Spiritum sanctum lumen Dei confessi fueritis? Sed spirationem lumen Dei esse credatis, dicente Mose : « Spiravit Deus in faciem Adæ spiraculum » vitæ. » Et Filius Dei : « Ego sum vita [9]. » Sed et Sa-

[1] Isai. x, 17. — [2] Deut. iv, 24. — [3] Rom. xv, 16.— [4] Prov. xx, 27. — [5] Gen, ii, 7.— [6] 2 Cor. iii, 6.— [7] 1 Tim. v, 6.— [8] Prov. xx, 27. — [9] Joan. xiv, 6.

pientia Salomonis introducentem Salvatorem dicit : « Ecce proferam vobis meæ aspirationis professio- » nem : » sic enim in Proverbiis, ait : « Sapientia in » exitu canetur, in plateis vero fiducialiter agit : in por- » tis autem potentiam assistit : in muris quoque civitatis » confidenter ait : Quanti temporis obtinent prudentes » non stultitiam et erubescent? Imprudentes autem con- » tumeliæ cum sint cupidi, impii effecti odio habuerunt » sensum, et obnoxii facti sunt increpationibus. Ecce » proferam vobis meæ aspirationis professionem, do- » cebo vos meum sermonem[1]. » Et Esaias Spiritus sancti promissionem prædicans sic ait : « Dixit Dominus, qui » cœlum fecit et affixit illud, qui solidavit terram, et » quæ in ea sunt : qui dat spirationem populo, qui est » super eam, et spiritum calcantibus eam[2]. » Dicite qui est populus qui accepit spirationem? Numquid et hic spirationem animam esse dicitis? Aut dabitis sine anima populum super terram constitisse? Sed non est, professionem namque Spiritus sancti prædicans Propheta hæc ait. Denique completam professionem super fideles, qui fuerant illo tempore, scripsit Lucas : « Et cum comple- » rentur dies quinquagesimæ, erant pariter omnes in » unum. Et factus est subito sonus de cœlo, tanquam » Spiritus vehemens ferretur, implens totam domum » ubi erant sedentes. Et visæ sunt eis divisæ linguæ tan- » quam ignis, et sedit super unumquemque eorum, et » cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus » dabat eloqui illis[3]. »

XIX. Simili modo magnus ille Job adversus amicos suos, cum essent Spiritu sancto privati, et nihil verum dicerent, neque opinarentur se ante Deum loqui, aiebat : « Nonne ante Deum loquimini[4]? » Et rursum : « Cui

[1] Prov. I, 23. — [2] Isai. XLII, 5. — [3] Act. II, 1. — [4] Job. XIII, 7.

» annuntiastis verba? Spiratio vero cujus est, quæ pro-
» cedit a te [1]? » Ex quibus unus magna loquens dicebat: « Spiritus est, qui mortalibus intercedit, spiratio vero » omnipotentiæ est, quæ me docet [2]. » Omnipotens autem Filius Dei, de quo Zacharias ait: « Propterea sic di- » cit Dominus omnipotens. Post gloriam misit me super » gentes [3]. » Igitur Salomone dicente: « Lux Domini » spiratio est hominum [4]. » Et a Mose instructi: « Spi- » ravit Dominus in faciem Adæ spirationem vitæ, et fac- » tus est in animam viventem [5]. » Audientes vero et Salvatorem dicentem: « Ego sum vita [6]: » Et Paulum scribentem: « Lex enim spiritus vita [7]: » Et rursum: » Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra [8]: » Videntes autem etiam Unigenitum insufflantem in faciem Apostolorum et dicentem: « Accipite Spiritum sanc- » tum [9], » spirationem Filii in propria vita et substantia manente Spiritum esse doceamur, et neque genitum neque creatum esse a Filio sapiamus, nequaquam unigenitum Filium credamus esse Spiritum, et quod Dominus sit Verbum Filii, genitum vero a Deo Verbum suum in propria vita et substantia permanens, cum sit vita Filius Dei. Propterea vero non est genitus ab eo Spiritus, quia non est Verbum ejus. Creatum vero dicere Spiritum, absit. Verumtamen spirationem Filii Dei eum ex sanctis Scripturis docti sumus, et fontem Spiritus et Filium Dei dicimus, audientes Filium: « Quia duo nequam fecit po- » pulus iste, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et » foderunt sibi lacus contritos, qui non potuerunt aquam » portare [10]. » Aqua viva Spiritus sanctus est, sicut Joannes docuit, Salvatore dicente ad Samaritanam mulierem:

[1] Job. xxvi, 4. — [2] Job. xxxiii, 4. — [3] Zach. ii, 8. — [4] Prov. xx. — [5] Gen. num. 7. — [6] Joan. xiv, 6. — [7] Rom. viii, 2. — [8] Gal. iv, 6. — [9] Joan. xx, 23. — [10] Jer. ii, 13.

« Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, da mihi » bibere, tu utique petisses eum, et dedisset tibi aquam » vivam [1]. » Et rursum : « Quicumque biberit ex aqua, » quam ego ei dabo, non sitiet in æternum [2]. » Et in medio templi clamat : « Si quis sitit, veniat ad me et bi- » bat, qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina » de ventre ejus fluent aquæ vivæ [3]. » Et interpretatus est sic : « Hoc autem dicebat de Spiritu sancto, quem » accepturi erant qui credituri erant in eum. » Ita etiam et Esaias Dominum dixisse ait : « Quia ego dabo in siti » aquam iis qui in sicco iter fecerunt, et ponam Spiri- » tum meum super semen tuum, et benedictiones meas » super filios tuos, et orietur tanquam in aqua fœnum, » velut falix inter fluxus aquæ [4]. » Ergo manifeste Scripturis sanctis profitentibus, aquam vivam Spiritum sanctum esse cognovimus. Dominus se fontem Spiritus esse dixit sic : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ [5]. » Sic et David canit in Psalmo xxxv, dicens ad Dominum : « Quia apud te est fons vitæ [6]. » Igitur præter Dominum ostende alium fontem vitæ, qui apud eum sit : non enim dixit, Quoniam tu es fons vitæ, sed quia apud te fons vitæ. Est vero apud Deum, et est Filius fons existens Spiritus, de quo Paulus ad Romanos scribit : « Spiritus vero vitæ propter justitiam [7]. » Ita non alienum, sed proprium Patris esse eum dicit. Nam cum professus fuisset : « Quia apud te est fons vitæ, » adjunxit : « In lumine tuo videbimus lumen, » id est, in Filio tuo videbimus Spiritum. Necnon etiam et in nomine virtutis Dei appellatus Spiritus, et virtus, et sapientia esse monstratur. Audivimus enim Salvatorem in Evangelio promittentem Discipulis suis

[1] Joan. IV, 10. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. VII, 27. — [4] Isai. XLIV, 3. — [5] Jer. II, 13. — [6] Psal. XXXV, 10. — [7] Rom. VIII, 10.

missurum esse Spiritum sanctum, qui dicit : « Ecce ego » præmittam promissionem Patris mei super vos : vos » vero sedete in civitate, donec induamini ex alto vir» tutem [1]. » In Actibus vero Apostolorum idem Dominus, ait : « Sed accipietis virtutem superveniente super » vos Spiritu sancto [2]. » Hoc quoque impletum esse comperimus, sub die quinquagesimæ consummatæ. Aut ergo virtutem Dei Spiritum sanctum esse profitemini, aut sicut Sabellius Paraclitum, cum sit virtus Dei, eumdem Filium Dei esse prædicate, et audite Paulum dicentem : « Spi» ritus vitæ propter justitiam. » Fontem iterum Spiritus instruimur esse Filium. Hieremiam audite clamantem contra Judæos : « Quia dereliquerunt me fontem vitæ » Dominum. » Alius autem ait : Spiritum sapientiæ, sciens Spiritum sanctum secundum Esaiam quidem dicentem : « Et requiescet super eum Spiritus Domini, » Spiritus sapientiæ et intellectus [3]. » Secundum Paulum vero tribuentem : « Non cesso gratias agens Deo pro vo» bis, ut det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis [4]. » Fontem esse Spiritum dixit supra, sic dicens : « Dereli» quistis fontem sapientiæ [5]. » Quod vero Spiritum hic sapientiam appellaverit, manifestum est, ex quibus dicit. Nam cum in terra Chaldæorum esset populus, et cum Chaldæis conversaretur, eos qui non haberent Spiritum sanctum, sed carnaliter quidem viverent peccato, morerentur vero justitiæ, et fraudarentur Spiritu sancto, querebatur cum lacrymis, dicens : « Quid est Israël? » quid, quia in terra inimicorum es, et inveterasti in » terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus » es cum his qui in inferno sunt, dereliquisti fontem sa» pientiæ, viam Domini. Si fuisses ingressus, habitares

[1] Luc. XXIV, 49. — [2] Act. I, 8. — [3] Isai. XI, 2. — [4] Ephes. I, 16. — [5] Bar. V, 13.

» utique cum pace in æternum [1]. » Considerent enim viam, quam dereliquerunt filii Israël, Deum esse, qui dicit : « Ego sum via [2] : » fontem vitæ in Propheta appellari, quam dereliquerunt Judæi, coinquinantes se cum Babyloniis, qui erant mortui justitiæ : ducem enim non habebant in se Spiritum paraclitum, Spiritum veritatis, qui est vita et vivificat : viventes mortui sunt.

XX. Unde et Paulus de talibus scribit : « Nam quæ » in deliciis agit vidua, vivens mortua est [3]. » Et Salomon clamat : « Qui in deliciis conversatur, a pueritia » servus erit, in novissimo vero dolebit in se [4]. » Qui enim in peccati deliciis agunt, non audiunt Paulum scribentem : « Non enim accepistis spiritum servitutis » iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis » filiorum, in quo clamamus, Abba Pater [5]. » Sed cum sint filii peccati, mortui sunt justitiæ. Qui vero Spiritus sancti donum acceperunt : « Lex enim Spiritus vitæ in » Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis [6]. » Bene itaque Moses observavit ut diceret : « Itaque spiravit Dominus in faciem Adæ spirationem vitæ, et » factus est homo in animam viventem [7]. » Qui enim non habent Spiritum sanctum, viventes mortui sunt. Unde et ad Israël derelicto Domino, qui sit fons vitæ vivificans, dicit : « Dereliquistis fontem sapientiæ, viam » Domini si fuisses ingressus, utique habitares in pace » in æternum tempus [8]. » Audientes ergo Dominum dicentem : « Ego sum via [9], » docti etiam ex Scripturis sanctis fontem Spiritum esse Deum, qui dicit : « Me de» reliquerunt fontem aquæ vivæ [10], » nequaquam creaturam Spiritum sanctum sapiamus, sed ejusdem esse

[1] Bar. III, 10. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] 1 Tim, V 6. — [4] Prov. XXIX, 21. — [5] Rom. VIII, 15. — [6] Ibid. 2. — [7] Gen. II, 7. — [8] Bar. III, 13. — [9] Joan. XIV, 6. — [10] Jer. II, 13.

cum Patre et Filio substantiæ iterum ex Scripturis probamus, sic ut superius ab Esaïa Propheta docuimus. Scribit autem ille magnus Joannes Evangelista in Apocalypsi, hæc dicens : « Et ostendit mihi fluvium aquæ » vivæ, candidum quasi glaciem egredientem a sede » Dei et Agni, fluentem per medium plateæ[1]. » Dicebat vero supernæ Jerusalem, de qua scriptum est in Psalmis: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei[2]. » Quod si dixerint, quid ergo quia scriptum est aqua? Audiant. In sede Dei et Agni aqua est viva vitæ, et cum aquæ ejus capaces aliqui efficiuntur, et flumina dicuntur, et in singulis quibusque adimpleri dicitur Spiritus sanctus : sicut et Filius Dei adimpletur in singulis, secundum Paulum scribentem : « Plenitudo ejus, qui omnia in » omnibus adimplet[3]. » Et est quidem, quando ii qui implentur ista aqua viva, flumina appellantur, sicut et David in XCII Psalmo dicit : « Elevaverunt flumina » Domine vocem suam, a voce aquarum multarum[4]. » Est vero quando verbum doctrinæ, et unaquæque operatio spiritus, flumina vocantur, secundum Dominum dicentem : « Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, » flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ[5]. » Ergo non dixit, aqua impleta est, aqua enim Spiritus vita est, et « flumen Dei impletum est aquis. » Et Dominus : *Me,* inquit, « dereliquerunt fontem aquæ vivæ[6]. » Itaque ejusdem sedis est cum Deo et Agno, vita vitæ, id est, Spiritus sanctus, sicut Joannes una cum Esaia dixit, et non servus, nec minister, sicut vos dicitis. Quod si permanent dicentes creatum Spiritum sanctum, et proferent illud quod in Amos Propheta scriptum est : « Præ» para te, invoca Deum tuum, Israël, quia ego firmans

[1] Apoc. XXII, 1. — [2] Psal. XLV, 5. — [3] Ephes. I, 25. — [4] Psal, XCII, 3. 4. — [5] Joan. VII, 38. — [6] Jer. II, 13.

» tonitruum, et creans spiritum, et annuntians hominibus Christum suum [1]. » Audiant non de Spiritu sancto hoc dixisse Filium Dei, sed de spiritu venti qui tonitruum sequitur. Neque enim præcedit Spiritum sanctum tronitruum, sed præcedit spiritum venti, quem creare dixit post tonitruum Dominus. Alioquin dicant, an ante Spiritum sanctum crearet tonitruum. Si vero hoc impium est dicere, expellantur prorsus, qui dicunt, creatum esse Spiritum sanctum, quoniam nec de prima creatione, quæ a Filio Dei sit creata, tacuerit Scriptura : sic enim dicit qui loquitur ad Job : « Sed ecce bestiæ » apud te fœnum tanquam boves edent, et vigor ejus in » lumbis, virtus vero in umbilico ventris ejus. Statuit » caudam sicut cypressus, nervi ejus complexi sunt » sicut funes, latera ejus sicut latera ærea, et dorsum » ejus, etc [2]. » Hoc testimonium facturæ Domini factum ad illudendum Angelis. Itaque Diabolus prima creatio esse scriptus est deludi ab Angelis, sic enim scriptum est : « Initium facturæ Domini, factum ad illudendum » Angelis [3]. » Nos autem sensum Christi Spiritum esse de Scripturis sanctis didicimus, sicut Paulus scripsit : « Sed docti ab Spiritu, spiritualibus spiritualia com« parantes : animalis autem homo non percipit ea, quæ » sunt Spiritus Dei, stultitia est enim ei, et non potest » scire, quia spiritualiter dijudicatur, spiritualis vero » dijudicat omnia, ipse autem a nemine dijudicatur : » quis enim novit sensum Domini, qui instruat eum? » Nos vero sensum Christi habemus [4] : » Iste igitur Spiritus sanctus cum sit sensus Domini, in propria vitæ substantia existens, sicut frequenter didicimus, novit omnia, quæ sunt Dei, sicut spiritus noster quæ nostra sunt.

XXI. Denique et Paulus, ait : « Nobis autem revela-

[1] Amos. IV, 12, 13. — [2] Job. XL, 10. — [3] Ibid. 14. — [4] I Cor. II, 13.

» vit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia » scrutatur, etiam profundum Dei. Quis enim homo no» vit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in » ipso est? sic et quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus » Dei : nos vero non spiritum hujus mundi accepimus, » sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo » donata sunt nobis, quæ et loquimur, non docti hu» manæ sapientiæ verbis; sed docti ab Spiritu, spirita» libus spiritalia comparantes[1], » etc. Istum Spiritum sanctum etiam digitum Dei esse docuit, secundum Matthæum quidem dicens : « Si autem in Spiritu Dei ejicio » dæmonia, pervenit in vos utique regnum Dei[2]. » Secundum vero Lucam : « Si autem ego in digito Dei » ejicio dæmonia, pervenit ad vos utique regnum Dei : » propterea dico vobis quia omnis blasphemia remitte» tur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remit» tetur eis. Et quicumque dixerit in Filium hominis, » remittetur ei : qui autem dixerit in Spiritum sanctum, » non remittetur ei, neque hic, neque in futuro sæcu» lo[3]. » Per hunc Spiritum sanctum, cum sit digitus Dei, scriptæ sunt tabulæ lapideæ, quæ datæ Moysi sunt, scriptæ digito Dei, sicut ipse Moyses exposuit. Alioquin si non Spiritum sanctum digitum Dei esse dicunt : tabulas enim lapideas gloriosiores magis esse quam corda sanctorum profitebuntur, super quæ epistola Christi est scripta non attramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hunc Spiritum sanctum, et lumen vultus Dei esse credimus, secundum David in quarto Psalmo dicentem : « Signatum » est super nos lumen vultus tui, Domine[4]. » In trigesimo vero et quinto Psalmo : « In lumine tuo videbi-

[1] 2 Cor. II, 10. — [2] Matth. XII, 28. — [3] Luc. XI, 20. — [4] Psal. IV, 7.

» mus lumen[1]. » Et secundum Salomonem in Proverbiis scribentem : « Lux Domini inspiratio est hominum, qui » scrutatur interna ventris[2]. » Et Esaiam dicentem : « Et erit lumen huic Israël in ignem, et sanctificabit » eum igne ardenti[3]. » Hanc spirationem Filii Dei esse divinæ Scripturæ docuerunt, secundum Salomonem quidem dicentem : « Lux Domini inspiratio est hominum; » secundum Mosem : « Et spiravit Deus spiramentum vi- » tæ, et factus est homo in animam viventem[4], » et quemadmodum postea creatus est Adam, accipiens spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem, et habens Spiritum sanctum, spiritualis erat, adeo ut et prophetaret, quod hujus rei gratia derelinqueret homo patrem suum et matrem suam, et adhæreret uxori suæ, et essent duo in carne una : necnon et illam quæ sumpta est de se mulierem vocaret Evam, prophetice dicens ei : « Hæc est mater omnium viventium[5]. » Simili modo et omnes sancti, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, per impositionem manuum sacerdotis Dei Spiritum sanctum consecuti, ad antiquum restituuntur, in quo erant ante prævaricationem Adam. Et hoc Spiritu legem dante in Ecclesiis gentium, nos neque carnem circumcidimus, neque carnaliter legem Moysi custodimus. Nam cum Paulus, et qui cum eo prædicabant gentibus Verbum Domini, et qui fideles fuerant de circumcisione dicentes : « Quia oportet circumcidere eos, et præcipere eis custodire legem Moysi : jussit Spiritus sanctus non circumcidi ex gentibus credentes, neque carnaliter ritum sequi, quem Moses Judæis tradidit : scripserunt Apostoli iis qui ex gentibus erant, hæc. « Apostoli et » Presbyteri fratres, iis qui Antiochiæ, et Syriæ, et

[1] Psal. xxxv, 10. — [2] Prov. xx, 27. — [3] Isai. x, 17. — [4] Gen. ii, 7. — [5] Gen. iii, 20.

» Ciliciæ fratribus, qui sunt ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus, quod ex nobis quidam turbaverunt » vos verbis quæ non constituimus : visum est nobis » congregatis in idipsum mittere ad vos cum carissimis » nostris Paulo, et Barnaba, hominibus qui tradiderunt » animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi, » Judam et Silam, et ipsos per verbum annuntiantes » eadem. Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil » amplius imponi vobis oneris, præter ea quæ necesse » est, ut abstineatis vos ab idolothytis, et sanguine » suffocato, a quibus custodientes vos bene agetis. Valete[1]. » Et cum Spiritus sanctus promulgasset, omnes Ecclesiæ Christi custodiunt hæc, quia nemini ex his quæ creata sunt, legem orbi terrarum dare concessum est. Itaque videntes Spiritum sanctum legem dantem non blasphement dicentes, eum esse creatum : quoniam præcipue Dominus contra eos qui blasphemant in eum dicit: « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, » qui autem blasphemaverit in Spiritu sancto, non re» mittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro[2]. » Non autem talia de eo diceret Dominus, si creatura esset. Deinde et in libro Regnorum scribitur : « Si peccaverit » vir in virum, orabit pro eo Sacerdos : si vero in Do» minum peccaverit, quis orabit pro eo[3]? » Et his similia de Spiritu sancto etiam Dominus dixit, sicut superius probavimus : « Quicumque dixerit verbum in Fi» lium hominis, remittetur ei, quicumque in Spiritum » sanctum, neque in hoc sæculo, remittetur ei, neque » in futuro. » Hanc igitur pertimescentes sententiam, et audientes quanta de Spiritu sancto Scripturæ dixerint, qualia de Patre et Filio, talia etiam de Spiritu sancto sapiamus. Quoniam sicut credimus in Deum Patrem, et

[1] Act. xv, 23. — [2] Matth. xii, 31. — [3] 1 Reg. ii, 25.

in Filium ejus unigenitum, ita credimus et in Spiritum sanctum. Et si baptizati sumus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quod sicut credimus, et baptizati sumus, ita sentientes de Trinitate et imitantes adorationem Seraphim, hæredes regni cœlorum effici poterimus.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

SERMO MAJOR DE FIDE.

I. Illud enim, « erat, » refertur ad ejus deitatem; illud vero, « caro factum est, » ad corpus. « Verbum caro » factum est[1], » non in carnem resolutum, sed carnem gestans; quemadmodum si dixerit quispiam : Hic senex factus est, cum non talis antea esset genitus; vel, Miles factus est veteranus, cum non talis antea esset, qualis effectus est. Joannes ἐγεννόμην, inquit, hoc est, « factus » sum, » sive, « fui in insula Patmo, in die Dominica[2] : » non quod illic factus vel natus fuerit; sed dixit, « Factus » sum in Patmo, » quasi dicas, accessi. Ita etiam Verbum ad carnem accessit, ut dictum est, « Verbum caro factum » est[3]. » Audi dicentem, « Factus sum tanquam vas per- » ditum; *et*, Factus sum sicut homo sine adjutorio inter » mortuos liber[4]. »

II. Quod fuit excitatum a mortuis, homone erat, an Deus? Rem explicat Petrus Apostolus, cui melius quam nobis id notum erat, aitque : « Deponentes eum de ligno,

[1] Joan. I, 14. — [2] Apoc. I, 9. — [3] Psal. XXX, 13. — [4] Psal. LXXXVII, 6.

» posuerunt eum in monumento : Deus vero suscitavit » eum a mortuis[1]. » Corpus itaque Jesu mortuum de ligno depositum, in monumento collocatum, et a Joseph ab Arimathia unguentis conditum; idipsum a Verbo excitatum fuit, uti dixerat : « Solvite templum hoc, et in » tribus diebus excitabo illud[2]. » Nam qui mortuos omnes vivificat, etiam hominem ex Maria natum Christum Jesum, quem assumpserat, vivificavit. Si enim cum esset in cruce, quæ prius dissoluta erant sanctorum corpora suscitavit; multo magis suscitare potuit corpus quod gestavit, qui est semper vivens Deus verbum, ut dicit Paulus : « Vivens enim Dei verbum, et efficax[3]. »

III. Vita mori nequit, quinimmo mortuos vivificat. Est itaque fons vitæ, per suam ex Patre deitatem : homo autem est qui mortuus est, itidemque qui a mortuis excitatus est, qui etiam postulat pro nobis, natus ex virgine Maria, quem deitas Verbi propter nos assumpsit. Quod itaque scriptum est, « In principio erat Verbum[4], » deitatem manifeste declarat. Illud autem, « Verbum caro » factum est, » Domini commonstrat humanitatem.

IV. Accidit ut Lazarus morbo affectus moreretur : Homo autem Dominicus, non prævia ægritudine, nec invitus mortuus est; sed ex se ad mortis œconomiam accessit, confirmatus a Deo Verbo, in ipso habitante, qui dixit : « Nemo tollit animam meam a me. Ex meipso » eam pono. Potestatem habeo ponendi ipsam, et rur» sum potestatem habeo accipiendi ipsam[5]. » Deitas ergo Filii est, quæ ponit et accipit animam hominis quem gestavit. Plenum enim hominem suscepit, ut et plenum ipsum, et cum ipso mortuos vivificaret.

V. Cum ipse potens, omniumque opifex esset, in Vir-

[1] Act. xiii, 29. — [2] Joan. ii, 19. — [3] Hebr. iv, 12. — [4] Joan. i, 1. — [5] Joan. x, 18.

gine templum sibi, scilicet corpus, paravit, et proprium sibi fecit quasi instrumentum, in ipso cognitus, in ipso habitans. Idcirco corpus quod mori possit assumit sibi; ut idem corpus Dei Verbi particeps, ad mortem pro omnibus subeundam idoneum esset; ac propter Verbum inhabitans, incorruptum maneret.

VI. Verbum quippe Dei, cum supra omnes sit, templum suum et corporeum instrumentum offerens in redemptionem pro omnibus, pro merito implevit debitum, quod in morte situm erat; et, utpote qui propter similitudinem omnibus inesset incorruptibilis Dei Filius, omnes, ut consentaneum erat, in promissione resurrectionis induit immortalitate: et corruptio, quæ secundum homines mortem consequitur, nequaquam ultra locum habet, propter Verbum in ipsis habitans, quia unum cum eo corpus sunt. Ac perinde atque cum rex quidam magnus in aliquam amplam urbem intrat, et in una domorum ejus habitat; urbs sane hujusmodi magno afficitur honore, neque ulterius quis hostium furumve insultare ipsi aut eam destruere audet; immo vero regis in una domorum ejus habitantis gratia, cum nulla non sollicitudine, atque decore illa servatur; pari modo de Servatore nostro actum. Cum venisset enim in regionem nostram, et domicilium cepisset in corpore nostris simili, exinde omnes contra hominem insidiæ sedatæ.

VII. Neque enim circumclusus in corpore erat; neque etiam ita in corpore erat ut alicubi non esset; neque ita corpus movebat, ut alia ejus providentia privarentur. Sed, quod vix capi valeat, cum Verbum esset, a nullo continebatur, immo potius complectebatur omnia. Propter Verbi adventum in ipsum, non ultra corpus juxta propriam naturam corrumpebatur, sed propter inhabitans Dei Verbum corruptione vacuum erat. Corpus siqui-

dem juxta corporum naturam patiebatur : nihilominusque incorruptionis naturam per inhabitans in ipso Verbum habuit.

VIII. Ipse Dei Filius trium dierum spatio corpus, quod mortuum erat, effecit immortale et incorruptum; omnibusque liquidum fuit non infirmitate naturæ inhabitantis in ipso Verbi mortuum fuisse corpus, sed ut mors abrogaretur in ipso per virtutem Servatoris.

IX. Quem oportebat fore corporis finem, cum in ipsum advenisset Verbum? Non mori nequibat; quia mortale erat, et pro omnibus offerendum in mortem, qua de causa Salvator ipsum paraverat; manere mortuum non poterat, utpote templum vitæ; quamobrem ut mortale quidem obiit, at propter vitam in ipso sitam revixit.

X. Quid incredibile narramus, cum dicimus, Verbum in errantem atque lapsam naturam humanam insedisse, hominemque factum fuisse; ut tempestate jactatæ ipsi salutem conferret per administrationem et bonitatem suam?

XI. Ad animam quidem spectat, interiora corporis sui cogitatione contemplari; neque tamen operari in ea potest quæ extra corpus sunt, nec quæ procul corpore consistunt per præsentiam suam movere. Nunquam igitur homo procul positus illa movet, aut transfert: neque enim domi sedens quispiam, et quæ in cœlo sunt cogitans, aut solem movet, aut cœlum circumvertit; sed illa commoveri, et condita fuisse videt; neque tamen ita ut eorum quidpiam efficere valeat. At non hujusmodi est Dei Verbum in homine; non enim corpore colligatum erat, immo potius ipsum occupabat cum imperio; ita ut una in corpore et in universis rebus esset; quin etiam extra res omnes, atque in solo Patre.

XII. Animadverte, quæso, annon vel ignari adversum se risum moveant, qui apud Græcos sapientes habentur, dum mundum aiunt corpus esse grande, atque vere dicunt dum isthæc effantur : ipsum enim ejusque partes singulas, quoniam in sensum cadunt, perspicimus. Si igitur in mundo ipso, qui corpus est, Verbum Dei existit, ac simul in res universas, et in singulas quoque pervadit; quid mirum aut quid absurdum si dicamus ipsum in hominem advenisse? Quod si, licet facta sit universa creaatrum rerum natura, non absurdum est Verbum in ea esse, non absurdum pariter erit esse ipsum in homine. Non indecorum itaque est, in homine esse Verbum, atque omnia ab ipso et in ipso illuminari atque moveri.

XIII. Videns itaque Deus Verbum, omnium creator, Adamum a Diabolo deceptum, transgressum opificis sui mandatum, atque in maledictionem, mortisque subjectionem delapsum; ex Virgine Maria, ab Adamo originem ducente, efformato sibi purissimo corpore, quod posset continere omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, atque passiones, id est cruciatus humanos ferre; pro toto mundo ipsum sponte tradidit; ut Diabolum, qui olim mortis imperium obtinebat, morte corporis sui occideret. Sanguis autem non ex spiritu divinitatis Verbi manet; sed ex homine quem tulit.

XIV. Illud : « Ego sum vitis[1], *et*, Pater meus major » me est[2], » item, « Creavit me[3], *et*, Ego sum vermis » et non homo[4]; » et quæcumque in Evangeliis et in Prophetis de se humilia et abjecta dixit, corpus quod propter nos tulit spectant. Neque patibile corpus, quod pro universi salute tulit, Patri adscribimus : omnia enim creata sunt a Patre per Filium. Filius porro solus a Patre

[1] Joan. xv, 1. — [2] Joan. xiv, 28. — [3] Prov. viii, 22. — [4] Psal. xxi, 7.

genitus est : quamobrem « primogenitus est omnis crea- » turæ[1] » Deus Verbum : immutabilis siquidem ex immutabili est. Igitur corpus quod pro nobis tulit, res est creata.

XV. Adamum enim induens cum affectibus per omnia præter peccatum, scilicet eum qui vocatur Jesus, ut per ipsum perditam ovem Patri reduceret et offerret, « Quasi » ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram » tondente se sine voce[2]; » de quo Paulus scribit : « Ho- » mo Christus Jesus[3], qui dedit semetipsum redemptio- » nem pro nobis. » Et alio loco ait : « Per hominem » mors, et per hominem vita. Namsicut in Adam omnes » moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur[4]. »

XVI. Per ipsum enim Verbum omnia facta et creata sunt, ipsum vero factum non est; sed hominem ipsum quem propter nos tulit, factum et creatum declarant Scripturæ. Ait quippe Dominus : « Omnis palmes in me » manens fructum fert[5] : » et in homine quem tulit, quique ex genere Adami erat, omne quod ex genere Adami erat vivificavit.

XVII. Perpende, quæso, neminem hactenus novisse Filium Dei sicuti est, donec sese ipse manifestum faceret nobis. Quem autem ipse tulit pro nobis Filium hominis, novimus, de quo dixit Paulus : « Considerate apostolum » et pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est » ei qui fecit illum[6]. » De quo et Stephanus ait : « Video » Filium hominis stantem a dextris Dei[7]; » non dixit, Verbum aut Sapientiam Patris se vidisse, sed Filium hominis, Dominicum corpus ex Maria natum.

XVIII. Quod autem illud spectat, « Jesus autem pro- » ficiebat ætate, sapientia et gratia[8]; » id sane dicitur

[1] Colos. I, 15. — [2] Isai. LIII, 7. — [3] I Tim. II, 5. — [4] I Cor. XV, 22. — [5] Joan. XV, 5. — [6] Hebr. III, 2. — [7] Act. VII, 55. — [8] Luc. XXV, 2.

de homine qui in Salvatore esse intelligitur, qui modo infans fuit, modo profecit ætate, et sapientia et gratia, incipiens quasi annorum triginta, ut ait Evangelista Lucas. Corpus vero, quod et profectum et ætatem admittit, est res creata et condita. Jesus autem Christus, qui in Salvatore intelligitur homo, ipse est qui profectum ætatis admittit, modo infans, modo vir; incipiens quasi ætatem triginta annorum, ut ait Lucas. Qui igitur ætatum successionem admittit homo Christus Jesus, qui fuit fidelis Apostolus atque pontifex ei qui fecit illum, ipse est qui profectum admittit.

XIX. Stephanus ait : « Video filium hominis stantem » a dextris virtutis Dei[1]; » non dixit Verbum aut Sapientiam Patris se vidisse; sed Filium hominis, Dominicum corpus ex Maria sumptum, quem Filium hominis Paulus dicit sedere ad dexteram Dei[2]. De quo corpore David Prophetice ex persona Patris ait : « Sede a dextris » meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum » tuorum[3]. » Quia prævidebat inimicos fore Diabolum et adversarias potestates ipsius ministras, quæ infestæ erant Dominico homini; gnaræ se, necnon Diabolum qui imperium mortis habet, per mortem ejus destructum iri. Qui enim deitatem Verbi minuunt, ac si Dominus per se non posset inimicos ulcisci, quia scilicet Pater Filio dixit, « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos » scabellum pedum tuorum; » ii scilicet, imperiti homines, noverint, id in hominem secundum carnem acceptum, quadrare. In ipso quippe Davide de eodem Dominico homine scriptum est. « Non proficiet inimicus in » te[4]. » Corpus itaque est, cui dicit : « Sede a dextris » meis, » cujus inimicus fuit Diabolus cum malis potestatibus, necnon Judæi et Græci.

[1] Act. VII, 55. — [2] Coloss. III, 1. — Psal. CIX, 2. — [4] Psal. LXXXVIII, 23.

XX. Cum omnia in ipso creata fuisse dixisset beatus Paulus, ipsum solum ait ante omnia esse. Ab antiquis enim eruditus, quia legis peritus erat, utpote qui accurate Parabolas Salomonis legisset, atque duas de Domino loquendi species deprehendisset ; aliam quidem de homine ex Maria assumpturus erat ; aliam de Verbo, quod ante omnia sæcula ab æterno ex Patre genitum fuerat ; de Jesu quidem ex Maria nato, Timotheo scribit : « Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a » mortuis ex semine David secundum carnem[1] ; » de Verbo autem Deo qui semper cum Patre est, dixit : « Quod sit » ante omnia, » Convicti itaque omnium Sanctorum testimonio maneant qui dicunt. Dei Verbum initium operum creatum fuisse ; atque a Davide audiant, non esse opus, sed operum conditorem, ut habet ipse : « Opera ma» nuum tuarum sunt cœli : ipsi peribunt, tu autem » permanebis[2]. »

XXI. « Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæ» cula[3] : » sic dicitur de homine qui in Salvatore esse intelligitur. Is ipse est, qui aliquando infans fuit, deinde profecit ætate et gratia, et post erat incipiens quasi annorum triginta, ut ait Lucas Evangelista. Quod autem et profectum et staturam sive ætatem admittit, corpus scilicet, illud est res creata atque facta. Sanctorum itaque testimonio convicti, qui aiunt, Verbum ex Patre natum esse rem conditam, aut finem faciant impias blasphemias proferendi, aut Christi hostes ab omnibus proclamentur. Ubi enim sese profligari sentiunt, confidenter refugiunt ad eum qui in Proverbiis ait : « Dominus crea» vit me initium viarum suarum in opera sua.[4] » Verum labuntur : cum enim Salomon prophetico afflatu de illo verba faceret, qui ad totius mundi salutem et utilita-

[1] 2 Tim. II, 8. — [2] Psal. CI, 26. — [3] Hebr. XIII, 8. — [4] Prov. VIII, 22.

tem ex Maria ortum sumere debebat, de Dominico scilicet homine, ex persona illius dixit : « Dominus creavit me » initium viarum suarum in opera sua. »

XXII. « Certissime sciat ergo omnis Domus Israël, » quia et Dominum eum et Christum fecit, Deus hunc » Jesum quem vos crucifixistis[1]. » Ipsum itaque crucifixum digito monstrantes Apostoli, dixerunt Domini hominem : Hunc Jesum, Christum et Dominum fecit Deus. Ipse scilicet, ut conspicuum, Domini homo est, qui creatus est initium viarum, quæ ad beneficia mundo dispensanda præscriptæ sunt, qui princeps est omnium Sanctorum, qui viæ appellantur, Dominus Jesus Christus, qui factus et cruci affixus est. De quo Hieremias dicit juxta Septuaginta interpretum editionem : « Dominus creavit me in » plantationem salutem novam, in qua salute circumibunt homines : » secundum Aquilam vero hoc dictum ita exprimitur : « Creavit Dominus novum in » fœmina[2]. » Hanc dicit salutem novam non antiquam, quæ nobis creata est, non ante nos. Quem vero novum creatum in fœmina vocat, intelligas hominem Jesum qui in Servatore est. Jesus quippe modo Salvator, modo salus explicatur; ex Salvatore salus, ut a lumine illuminatio : quem dicit esse Dominum Jesum, salutem nobis creatum, novum in fœmina, id est in Maria, immo potius ex Maria. Quem igitur Salomon ait principium viarum creatum esse, et quam Hieremias dicit salutem novam creatam, et novum in fœmina, quem pro nobis et propter nos Sapientia ædificavit sibi domum, Christum Jesum esse, Scripturarum testimonio comprobavimus : jam vero cætera subsequamur, quæ nonnulli aut ex ignorantia, aut ex præjudicata opinione, in errore

[1] Act. II, 36. — [2] Jer. XXXI, 22.

perseverantes, neque docere recte neque doceri volunt.

XXIII. Si omnes eloquia divina possent spirituali more intelligere, nequaquam cuperet ipsis spiritualem gratiam impertire; neque lacte ipsos potaret, si solidum omnes cibum percipere valerent. Sed eos qui in cognitionis divinæ verbo quasi infantes sunt, veluti infantes lacte alendos, primæ institutionis rudimentis imbui procurat: utpote qui nondum possint Angelorum pane nutriri, scilicet Deo Verbo, qui in corpore humano absconditus latet.

XXIV. Par est itaque nos, ut peritos dispensatores mysteriorum divinorum, sermonem pro cujusque captu et facultate impertire. Nam utres veteres rumpuntur, cum continere non valent novum veræ vitis vinum, id est, Verbum Domini nostri Jesu Christi. Cum igitur quidam, immo vero multi, qui nondum Discipulis connumerari possunt, ex quadam temeritate ac petulantia, ad docendum accesserint, « nescientes neque quæ dicunt, » neque de quibus affirmant[1], » cæcutientes animi oculis, nec mente præditi Dei contemplationi dedita, veluti Jacob, neque mundo corde ad Deum videndum; ii cum humilia opera, vocesque inopiam testificantes, de Salvatoris homine, quem pro nobis tulit, scriptas, Verbi deitati tribuunt, et sic in errorem labuntur, atque una imperitos et infirmos in errorem pertrahunt; nobis utique necessitatem afferunt, ut Judas scribit[2], per hanc epistolam expromere, quæ dicta Verbi deitati competant, quæ vice versa homini propter nos assumpto. Quemadmodum enim in una eademque crumena, aurea numismata cum argenteis pariter servantur, et utraque unius Regis imaginem et inscriptionem nominis ejus habent;

[1] 1 Tim. I, 7. — [2] Jud. III.

sed tamen nummularius, penes quem isthæc sunt, probe novit, quam præstet et quam pretio dispar sit aurum argento : pari modo in una eademque Scriptura et de divinitate Filii, et de corpore quod propter nos ex Maria assumpsit, scriptum est; at eorum singula cognoscemus ut sagaces discipuli unius veri magistri. Quot igitur humiles voces et similia opera sunt, tot cogites scripta esse de corpore Jesu : quot gloriosa et sublimia, ad Verbi deitatem referas. Cum post jejunium fame premitur, id corporis infirmitas est; cum autem ex quinque panibus quinque millia, exceptis parvulis et mulieribus, alit, et duodecim cophini fragmentorum supersunt, deitatis Verbi est opus[1]. Quando ad pulvinar in navicula dormit, id requies est corporea; cum supra maris undas ambulans fluctibus comminatur et ventis, « Tace, obmu» tesce, » subito audit vectores in navicula cum juramento affirmantes, « Vere Filius Dei es[2]. » Quando ad Lazari sepulcrum stans lacrymatur, et cum vicinus cruciatibus ait, « Tristis est anima mea usque mortem[3], » et horrore tenetur, ac Spiritus quidem deitatis promptus est; de tota œconomia hæc profert : carnem quoque infirmam dicit; corporis infirmitas est tristem esse atque horrore corripi. Cum jubentis more dicit : « Lazare veni » foras[4], » et statim quatriduanus mortuus reviviscit, qui jam solutus erat, quod ab initio mundi nusquam factum est; illud est deitatis signum[5]. Cum ab itinere ad fontem sedet; corporis est fatiscere; cum autem dicit : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et » ego quiescere faciam vos[6]; » deitatis est opus, tam a morbis et fatigationibus corporeis, quam ab animæ periculis liberare. Cum ab Joanne baptizatur « Qui peccatum

[1] Marc. IV, 38 et 39. — [2] Matth. XIV, 34. — [3] Matth. XXVI, 38. — [4] Joan. XI, 43. — [5] Joan. IV, 6. — [6] Matth. XI, 28.

» non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus[1], » corporis est propitiatio pro nobis; cum autem jubet Apostolus baptizare omnes gentes, in nomine Patris et Filii Spiritus sancti; id divinæ ejus potestati convenit[2]. Cum genua flectit et ceu homo precatur; corporis confessio est pro nobis[3]; cum autem illius in monte transfigurati gloriam non ferentes Petrus et Jacobus et Joannes, vultus atque genua ad terram inclinant ad gloriam deitatis; Verbi virtus est. Cum Apostolos confirmat his verbis, « Nolite timere ab iis qui occidunt corpus animam au- » tem non possunt occidere[4]; » hæc est deitatis latens atque valida adhortatio : cum mortem deprecatur, corporis formido est. Prius enim quam Adam transgrederetur, neque tristitia, neque formido, non lassitudo, non fames, non mors erat.

XXV. « Ego sum, » inquit, eorum qui salutem consequuntur *via*, et mortuorum *vita*[5], et eorum qui mendacium aversantur *veritas*. Dicens « iis qui sunt in tene- » bris, Revelamini. Ego sum lux mundi[6]. » Quandoquidem enim Adamum cum affectibus induit, præter peccatum, videlicet eum qui vocabatur Jesus; per ipsum ovem perditam Patri obtulit, « tanquam ovis ad occisionem » ductus, aut quasi agnus coram tondente se sine voce[7]. » De quo Paulus scribit : « Homo Christus Jesus, qui dedit » semetipsum redemptionem pro nobis et pro peccatis » nostris[8] : » et alibi ait Apostolus « Per hominem mors, » et per hominem vita[9]. » Nam sicut in Adam omnes morimur, ita et in Christo omnes vivificabimur. Et rursum alio in loco scribit : « Primus homo de terra terre- » nus, secundus homo de cœlo[10]. » Per primum itaque

[1] 1 Petr. II, 22. — [2] Matth. XXVIII, 19. — [3] Matth. XVII, 6. — [4] Matth. X, 28. — [5] Joan. XIV, 6. — [6] Isai. XLIX, 9; Joan. VIII, 12. — [7] Isai. LIII, 7. — [8] 1 Tim. II, 5. — [9] 1 Cor. XV, 22. — [10] Ibid. 47.

Adamum, primum hominem in mundo efformatum significat; per secundum autem Adamum hominem qui in Servatore est, qui vocatur filius hominis, ovis; vitis, panis, arbor, granum frumenti, et his similia. Vocatur quoque Adam, etiamsi secundus multum differat a primo. Nam ille quidem ex terra factus, hic vero cum Verbum Patris esset, caro factus est. Neque tamen quia carnem ferebat, ideo Verbi naturam amisit : quemadmodum neque aurum, proprium amittit decorem, quod in deformi claudatur marsupio.

XXVI. Cum autem doctor noster alio loco dicat, « Considerate apostolum et pontificem confessionis nos- » træ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum[1]; » cave putes rem factam esse Deum Verbum, qui ab initio apud Patrem est. Non enim ait ut deitas invisibilis consideretur, sed Dominicus homo, quem ait Paulus mediatorem esse Dei et hominum, « Hominem Christum Jesum, qui » dedit semetipsum redemptionem pro nobis[2]. » Quem dixit ut consideremus, Jesum scilicet, « Qui fidelis est ei » qui fecit ipsum[3] : » quemadmodum ait Dominus, « Considerate corvos quia non seminant, et cætera[4]. » Et rursum : « Considerate lilia agri quomodo crescunt[5]. » Quæ apparent igitur, ait consideranda esse, non autem Angelos aliasque creatas res quæ sub aspectum non cadunt. Quamvis enim dixerit Habacum Propheta, « Con- » sideravi opera tua, et expavi[6] : at ille se opera considerasse ait, non operum conditorem. Ac similiter Apostolus quod sub aspectum cadit Domini corpus consideratum oportere ait, non autem invisibilem Verbi deitatem : « Deum » enim « Nemo vidit unquam, neque videre po- » test[7]. » Siquidem Deus Verbum erat et est, ut theolo-

[1] Hebr. III, 2. — [2] I Tim. II, 5. — [3] Hebr. III, 2. — [4] Luc. XII, 24. — [5] Ibid. 27. — [6] Habac. III, 1. — [7] I Joan. IV, 12.

gus ait Joannes. Quem itaque ad considerandum inducimur hominem Christum Jesum, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis, quem ait apostolum et pontificem fidelemque esse; eum, inquam, quatenus res creata est, considerare jubet. Omnia itaque creata sunt : sed Dei Verbum non est creatum, utpote Dei Filius, sed genitum secundum naturam : universa enim per Verbum Pater creavit, quemadmodum Paulus ait : « In quo omnia creata » sunt[1] : » et ut Joannes dicit, « Omnia per ipsum facta » sunt, et sine ipso factum est nihil[2]. » Ipsum autem Verbum neutiquam creat Deus, sed gignit : per ipsum namque Verbum facta omnia creataque sunt; neque tamen ipsum factum est. Sed in supra notatis sententiis hominem quem pro nobis gestavit, factum scilicet atque creatum, intelligunt significantque Scripturæ.

XXVII. Ait quippe Dominus, « Omnis palmes in me » manens fert fructum[3] : » et in homine quem gestavit ex terrigena Adamo, vivificabit ipsum Adami genus, « Mortificatus carne, vivificatus Spiritu[4], » ut scribit Petrus; quia scilicet tunc ipsum carne pro nobis, neque tamen immortali ac vivifica deitate, occisum significat. Ait quippe Dominus : « Ego sum vita[5]. » Vita certe non moritur; immo vero mortuos suscitat. Sicut enim lumen in loco tenebroso non læditur; sic neque vita quidpiam pati valet cum mortalem visitat naturam : immutabilis quippe et invariabilis est Verbi divinitas.

XXVIII. « Quis novit, *inquit*, sensum Domini? aut » quis consiliarius ejus fuit, qui instruat eum[6]? » Solus Filius consiliarius est Patris, cujus mentem novit, qui ait : « Nemo novit Patrem, nisi Filius; et Filium nemo novit » nisi Pater, et cui Filius revelaverit[7]. » Ait itaque Joan-

[1] Coloss. I, 16. — [2] Joan. I, 3. — [3] Joan. XV, 5. — [4] I Petr. III, 18. — [5] Joan. XIV, 6. — [6] Isai. XL, 13. — [7] Luc. X, 22.

nes de Domino : « Cum apparuerit, similes ei erimus, et » videbimus eum sicuti est[1]. » Animadverte neminem hactenus vidisse Filium Dei, sicuti est, donec se ipse nobis manifestaret : hominem vero, quem propter nos gestavit, vidimus. De quo ait Paulus : « Considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fide» lis est ei qui fecit ipsum[2]. » De quo Stephanus quoque ait : « Video Filium hominis stantem a dextris virtutis » Dei[3]. » Non dixit Verbum aut Sapientiam Patris se vidisse, sed Filium hominis, Dominicum ex Maria corpus, de quo Paulus ait : « Qui sedet a dextris Dei[4]. » De quo corpore loquitur prophetice David ex persona Patris : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sca» bellum pedum tuorum[5]; » videlicet quos præscivit fore inimicos, Diabolum et adversarias illi administras potestates; quæ Dominico homini infestæ erant, quia non nesciebant abrogari se per mortem ipsius, necnon eum qui imperium mortis habebat Diabolum, atque Judæos ejus inimicos, in quibus impletur quod scriptum est : « Quia odio habuerunt me gratis[6]? » Nam cum ab eo præcepta edocerentur sibi perutilia, flagris ipsum cædere et cruci affigere ausi sunt, Samaritanum, dæmonium habentem, hominemque peccatorem dictitantes, quamvis ab eo peccatum condemnatum fuisset[7]. De quo scriptum est : « Videbunt in quem transfixerunt[8]. » Sed quando ipsum in judicii die videbunt judicantem vivos et mortuos, uti Joannes de Filio ait : « Quemadmodum dedit » illi judicium facere, quia Filius hominis est[9]; » pœnitentia moti, tribus adversus tribum ita loquentur : Hic est quem habuimus aliquando in derisionem, dicentes

[1] 1 Joan. III, 2. — [2] Hebr. III, 2. — [3] Act. VII, 55. — [4] Hebr. X, 12. — [5] Psal. CIX, 1. — [6] Joan. XV, 25. — [7] Joan. VIII, 48. — [8] Joan. XIX, 37. — [9] Joan. V, 27.

ipsi : Alios salvos fecisti, teipsum non potes salvum facere. Domini itaque corpus respicit quod scriptum est a Davide : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos » tuos scabellum pedum tuorum[1]. » Nam ante prophetiam hanc Davidis, in sinu Patris Verbum erat, neque habuit inimicos in cœlo. Nemo enim ante conditum mundum cum Patre erat, nisi Filius et Spiritus sanctus. Pater enim per Filium fecit infinita sæcula, principatus, potestates, omniaque opificia. Qui ergo commune nihil cum aliquo habet, non fundum, non pecuniam, sed omnium est Dominus, videlicet Deus Verbum cui nemo resistere valet, quonam pacto inimicos habuerit? Nam qui deitatem Verbi minuunt, quasi scilicet non possit Dominus per seipsum inimicos ulcisci, æstimant dixisse Filio Patrem : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos » scabellum pedum tuorum[2]. » Illud vero vel nunc tandem noverint homines imperiti scriptum fuisse de Servatore, quatenus spectatur ut homo. In ipso enim Davide scriptum est de Dominico homine : « Inimicus nihil pro» ficiet in te[3] : » ac rursum, « Flagellum non appropin» quabit tabernaculo tuo[4]. »

XXIX. « Dominus, *inquit*, in cœlo paravit thronum » suum[5]. » Aliud est, « Cœlum mihi thronus[6]; » et aliud est parari thronum in cœlo ceu in aliquo loco. Multis in præsenti opus est verbis ad eorum enarrationem. Memorati vero throni denotant omnium creatarum rerum obsequentiam. Hæc autem præmisimus in illud, « Sede a » dextris meis[7], » quod scilicet de Dominico corpore dictum sit. Si namque, « Cœlum et terram ego impleo, » dicit Dominus[8], » ut ait Hieremias : omniaque Deus continet, et a nullo continetur; quo in throno sedebit ?

[1] Psal. CIX, 1. — [2] Ibid. — [3] Psal. LXXXVIII, 23. — [4] Psal. XC, 10. — [5] Psal. CII, 19. — [6] Act. VII, 49. — [7] Psal. CIX, 1. — [8] Jer. XXIII, 24.

Corpus igitur est cui dicit, « Sede a dextris meis, » cujus etiam inimicus fuit Diabolus cum malignis potestatibus, necnon Judæi et Græci, qui Christi prædicationibus obstitere, perque ipsum corpus pontifex et apostolus effectus et vocatus est, per mysterium quod dedit nobis dicens : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur[1], » et sanguis novi Testamenti, non veteris, quod pro vobis effundetur. Divinitas autem neque corpus neque sanguinem habet, sed is, quem ex Maria tulit homo, horumce causa fuit : de quo dixerunt Apostoli : « Jesum ex Nazareth, » virum approbatum a Deo in vobis[2]. » Nazareth urbem terrenam dicit, neque cœlestem illam. Virumque vocant ipsum, non Deum, apud Judæos scilicet aliosque, qui perinde atque illi ab illo ad usque præsens tempus secundum carnem sentiunt. Apostoli vero, ipseque Dominus de seipso humano more respondit his verbis : « Quid me » quæritis interficere, hominem qui veritatem locutus » sum vobis[3]? » Non ait, quæritis me interficere qui Deus sum. Deus quippe cum impatibilis et immortalis sit, mortem quidem abrogat, mortuos autem vivificat : ait quippe, « Ego sum vita[4]. » Philippum vero, ad credendum promptum, cum reliquis Apostolis, aliisque qui pari modo possent spiritualiter capere, docuit his verbis : « Qui vidit me, vidit et Patrem. Ego et Pater unum su- » mus, et, Ego in Patre, et Pater in me[5]. »

XXX. Habes itaque ex ipsa sacrarum Scripturarum demonstratione, hominem Servatoris esse, quem ut rem creatam considerare docemur; sed non invisibilem Verbi divinitatem, quæ in paterno sinu abscondita est, quamque nemo hactenus vidit. Id vero Paulus præstantius quam nos noverat, qui ait : « Circumfulsit me lux

[1] Matth. XXVI, 26. — [2] Act. II, 22. — [3] Joan. VIII, 40. — [4] Joan. XIV, 6. — [5] Ibid. 9; Ibid. X, 30; Ibid. XIV, 10.

» copiosa, et decidi in terram : et audivi vocem dicen-
» tem mihi : Saule, Saule, quid me persequeris? durum
» est tibi contra stimulos calcitrare. Et ego respondi :
» Quis es Domine? Et dixit Dominus mihi, Ego sum Je-
» sus, quem tu persequeris[1]. » Fatetur autem se a gloria et claritate lucis Domini excæcatum, et post triduum ex revelatione et jussu ipsius visum recepisse. Quod si Paulus, vas electionis, excæcatus est, quod gloriæ Domini conspectum ferte non valuerit; qui nos ipse edocere possit quo pacto consideremus et perspiciamus ipsius Verbi deitatem? Sed quæ sæpe dixi, et nunc repetam : Jesum Servatoris hominem, qui fidelis est ei qui fecit ipsum, nobis esse considerandum dixit.

XXXI. « Imitatores mei estote, inquit, sicut et ego » Christi[2]: » de homine scilicet loquitur, qui positus est est in fundamentum. Divinitatis enim Verbi neque Paulus, neque quispiam alius potest imitator esse : nec nisi in « passionibus » et in mansuetudine Christum possumus imitari : de quibus Petrus ait, nos secuturos vestigia ejus[3] : quemadmodum et Paulus ait, adimplere se quæ desunt tribulationibus Christi in carne sua[4]. Sine controversia igitur est, eum qui ante sæcula fundatus est, in secreto paternæ mentis per præscientiam fuisse, Dominicum scilicet hominem, quem futurum erat ut Pater ex Maria produceret. De Dominico autem corpore palam est prophetico afflatu Judæ dictum fuisse : « Ex te exiet
» mihi dux : et principatus ejus a principio a diebus sæ-
» culi[5]. » Siquidem in consummatione sæculorum ex tribu Juda Deus Verbum assumpsit hominem.

XXXII. « Cum, *inquit*, subjecta fuerint illi omnia,
» ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia[6]. »

[1] Act xxii, 6. — [2] Philip. iii, 17. — [3] 1 Petr. ii, 21. — [4] Coloss. i, 24. — [5] Mich. v, 2. — [6] 1 Cor. xv, 28.

Quæramus itaque quis ille est qui non subjicitur Deo, nisi prius omnia subjecta sint illi. Quid enim habuit non sibi subjectum is, qui ante œconomiam suscepti pro nobis hominis, Patris Verbum erat? Omnia quippe opificia opifici subjiciuntur. Assumpto autem homini non omnia etiam ad hoc usque tempus subjecta sunt; ait enim Paulus : « Nondum videmus omnia subjecta ei[1]. » Judæis quippe scandalum est, gentibus autem stultitia, nobis vero qui in ipsum credimus, « Christus est Dei » virtus et Dei sapientia[2]. » Cum itaque omnis creatura in nubibus occurrerit Filio, et ipsi subjecta fuerit; tunc et ipse Filius Patri subjicietur, factus pro omni creatura fidelis apostolus et pontifex, ut sit Deus omnia in omnibus; id est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, una dominatio, divinitas et regnum. Quod si quis dixerit : Non Jesum subjectum esse dixit Apostolus, sed Verbum; audiat is, Jesum Filium Dei vocari et esse propter Verbum in eo absconditum, quemadmodum Lucas, qui genealogiam scripsit, ait : « Erat autem Jesus incipiens » quasi annorum triginta, Filius, ut putabatur, Jo» seph[3], » atque decursis omnibus qui in genealogia locum habent usque ad Adam, dixit : « Qui fuit Adam, qui » fuit Dei[4]; » ut declararet et corpus quod ex Adamo gestavit, et deitatem quam ex Patre habet.

XXXIII. Est autem una ex omnibus rebus quas in Filio Pater efficit et ostendit, quod ipse cognoscat diem et horam judicii, ipsique omne judicium tradidit; « Ut » quemadmodum honorant Patrem, ita et Filium ho» norent[5]. » Quod si judicium omne ipsi tradidit, ut illud exerceret; liquidum sane est cognitionem quoque ejus, quandonam scilicet et quo pacto futurum sit, ipsi

[1] Hebr. II, 8. — [2] 1 Cor. I, 24. — [3] Luc. III, 23. — [4] Ibid. 38. — [5] Joan. V, 23.

traditam fuisse. Qui igitur non novit diem judicii, Jesus est ex Maria genitus, nam qui ex corde Patris est Deus Verbum, ignorat nihil, qui omnia novit antequam fiant.

XXXIV. Si itaque Jesus ait : « Pater meus major » me est [1], » et tamen dicit se æqualem Deo esse ; ediscamus quæ causa sit, quod Patrem et majorem et æqualem sibi dicat. Major est Filio, propter corpus patibile quod Filius gestavit ; æqualis vero, quia Pater totus totum perfectum ab æterno genuit Filium.

XXXV. Quemadmodum et Esdras prophetico spiritu dicit ex persona Zorobabelis, idque de Filio Dei : « Vivit veritas, et vincit, et roboratur, manetque in » sæcula sæculorum [2] ; » intelligendo scilicet corpus, quod gestaturus erat pro nobis, morti tradendum ; sed non veritatem in ipso latentem, id est Verbum Patris. Una quidem cum Jesu mortuo descendit veritas in cor terræ ; ut eos qui mendacio decepti ac circumventi fuerant, ipse, veritas cum esset, liberaret : perinde ac si Rex quispiam carcerem adeat visitatum eos, qui in vinculis sunt ; ingressus quippe nihil læditur, sed eos juvat qui sub custodia sunt ; ita Deus Verbum, nihil læsus a corpore mortali quod pro nobis gestavit, ipsis, qui in carcere inferni degebant, in spiritu divinitatis auxilium tulit.

XXXVI. Jacob cum benedicit Judæ, ex quo futurum erat ut Dominus humanum corpus assumeret, ait : « La- » vabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amic- » tum suum [3]. » Quod tamen historice sumptum neutiquam fecit : neque enim in vino lavit stolam suam. Quid vero, postquam dixit loturum in vino stolam suam, adjicit, « Et in sanguine uvæ ? » Num aliud est vinum,

[1] Joan. XIV, 28. — [2] 3 Esdr. IV, 41. — [3] Gen. XLIX, 11.

aliud sanguis uvæ? id melius novit Hesaïas quam nos, qui ait : « Vestimentum ejus quasi calcatum in torcu-» lari. Plenus conculcata [1]. » Vestimentum itaque est quod in vino et in sanguine uvæ lavandum prænuntiat. Tunica vero est ipse artifex : nam præter rationem et ordinem esset indumentum in vino abluere, quod ne stultorum quidem aliquem fecisse proditum est. Sed quia Spiritu sancto afflante prænoscebat, fore ut Filius Dei corpus gestaret pro nobis, sumptum ex Judaïco populo, qui vocatur vitis et vinea ; ideo dixit : « Ex surculo ascen-» disti, fili mi Juda [2]. » Atque illud, abluere in sanguine stolam, corporis indumentum declarat : pro corpore et sanguine, lotis hominum peccatis, omnes homines suo corpore induit.

XXXVII. Inde igitur pudore afficiantur qui Filium a Patre dividunt, sicut vineam a vinitore, certiores facti ex sacris Scripturis, parabolam illam corpus Domini spectare, non deitatem. Cum perficeret enim sacrum mysterium, benedicens dixit : « Bibite ex hoc omnes : » Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis » effunditur [3]. » Etsi non Domini sanguis vinum sit, sed vineæ. Quamobrem dixit Dominus de proprio corpore : « Ego sum vitis [4]. » Sanguis autem non ex spiritu divinitatis Verbi emanat, sed ex homine quem gestavit.

XXXVIII. Ait Deus per Prophetam Ezechielem : « O » pastores, pastores! An pastores seipsos pascunt et non » oves? Vos autem quod erraverat non reduxistis, quod » perierat non quæsiistis, quod infirmum erat non con-» solidastis, quod claudum erat non colligastis ; immo » quod robustum erat labore oppressistis. Propterea » excitabo mihi pastorem fidelem servum meum David :

[1] Isai. LXIII, 2. — [2] Gen. XLIX, 11. — [3] Matth. XXVI, 26. — [4] Joan. XIV.

» et erit pastor et dux in sæculum [1]. » Cum autem Ezechiel hæc prophetabat in Babylone, jam pridem a quatuordecim generationibus David obierat. Dominicum vero hominem prædixit ex semine David excitandum, de quo Paulus Timotheo scribit : « Memor esto Jesum » Christum resurrexisse a mortuis ex semine David se- » cundum carnem [2]. »

XXXIX. Cum ii qui carnalia sapiunt edoceri nolint a viris spiritualibus, qui notitiam Scripturarum plene et perfecte assecuti sunt; immo vero cum simpliciores ac rudes homines docere videantur, eos in foveam pertrahunt : atque ita impletur quod scriptum est, « Si cæcus » cæcum ducat, ambo in foveam cadent [3], » hoc est, in infernum. Si historico modo res accipiatur, non potest sane cæcus cæcum ducere ; sed intelligitur de eo qui cæcutit circa divinorum notitiam mysteriorum. Tales quippe homines singulis earum rerum imperitis sic loquuntur : Annon ipse dixit per Salomonem : « Dominus » creavit me initium viarum suarum in opera sua [4] ; » ac per se suoque ore dicit Filius : « Pater qui misit me » major me est [5] : » et rursum ait, « A meipso non lo- » quor, Pater mihi præcepit quid loqui et dicere de- » beam [6] : » Et illud, « Non veni ut faciam voluntatem » meam, sed ejus qui misit me Patris [7] ? » Aliam ergo voluntatem habet Pater, aliam Filius, ut ipsi quidem sentiunt. At si divisam habent voluntatem, quare ait, « Faciamus hominem » et reliqua [8] ; neque discernunt quæ dicta competant deitati ; et vicissim quæ homini quem gestavit.

[1] Ezech. XXXIV, 2.— [2] 2 Tim. II, 8.— [3] Matth. XV, 14. — [4] Prov. VIII, 21. — [5] Joan. XIV, 28. — [6] Joan. XII, 49. — [7] Joan. VI, 38. — [8] Gen. I, 26.

FINIS TOMI TRIGESIMI SECUNDI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 89.

Hæc quæ uncinis includuntur, usque ad ἐνσαρκὶ, in nullis codicibus leguntur, præterquam in Felckm. II, ubi ad marginem sunt scripta : unde videntur potius glossema cujusdam alîus esse, quam Athanasii verba. Placuit tamen ea retinere, cum exploratum omnino non sit, sintne adjectitia, an cum in aliis codicibus vitio scribarum omissa fuissent ad hujus codicis marginem restituta sint : quod non semel vidimus. In omnibus editis hæc eadem habentur.

ANNOTATIO (2) pag. 95.

Multa ex hoc textu objiciunt Calvinistæ, sed brevi explicatione patebit illum nullatenus reali præsentiæ adversari et primo illam confitetur Athanasius dicendo Christi carnem et spiritum, (id est divinitatem juxta loquendi modum in hac epistola) ab eo exprimi in sermone Joan. VI, 62. Quid ergo objicietis? nonne quia asserit verba Christi non esse carnalia, sed spiritualia, carnem Christi esse cibum ex supernis cœlestem, et spiritualem, atque spiritualiter dari? hæc concedimus omnia. Cibum animæ spiritualem spirituali homini collatum Eucharistiam veneramur. Subjungit non alimenti carnalis more dividi carnem Christi, ut homini præbeatur; et hoc plene orthodoxum, divisionem partium excludendo, non autem præsentiam realem.

ANNOTATIO (3) pag. 378.

Hoc locus Athanasii ita truncatus allatus est in sexta generali synodo a Monothelitis, sed illo integritati resti-

tuto, evanuit difficultas. Illud tantum contendit auctor, scilicet, omnes in Christo voluntates et cogitationes ex divini Verbi voluntate prodiisse, ita ut in illo nec carnalis cupiditas, nec vitiosa cogitatio orirentur. Sed non minus aperte prædicat in libro *de Incarnatione et contra Arianos* et multis aliis locis, duas in Christo voluntates nempe *alteram humanam quæ est carnis, alteram divinam quæ Dei est.*

ANNOTATIO (4) pag. 401.

Nondum de libris deuterocanonicis judicaverat Ecclesia; hanc magnam litem tantum in concilio Tridentino absolute diremit; inde canonum diversitas apud veteres Patres. Notandum tamen est Sapientiam, Ecclesiasten, Esther, Judith et Tobiam, hic inter minoris auctoritatis libros enumerata, ab ipso Athanasio adversus Arianos tanquam vere scripturas allegari. Quoad Pastorem Hermæ, et libros de Doctrina Apostolorum pars illorum est inter apocryphos, Ecclesiæ criticesque consentientibus judiciis. Sed hæc alias tractare est quam inter annotationes Athanasii.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Epistola ad serapionem, p. 3.	Eorumdem indicatio, tom. v, p. 237-238.
Epistola de synodis, p. 101.	Ejusdem indicatio, p. 238.
Vita S. Antonii, p. 195.	Ejusdem fragmenta, p. 255-257.
Contra Apollinarium libri II, p. 367.	Eorumdem indicatio, p. 236.

INDEX

TOMI TRIGESIMI SECUNDI.

Pag.

FINIS INDICIS.